Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
15 — B
34

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ANTVERPIÆ,
ud Viduam et Hæredes IOANNIS CNOBBARI. M.DC.LXI
Cum Gratia et Priuilegio.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

QVOTIDIANA
CHRISTIANI
MILITIS
TESSERA.

Digitized by Google

Digitized by Google

Assistentiæ Germaniæ Soc. IESV.

QVOTIDIANA CHRISTIANI MILITIS TESSERA, QVA HOMO

Fugiens mala, è servitute manu-mittitur:
Faciens bona, ad libertatem manu-ducitur.

AVCTORE
R. P. GUILIELMO STANIHURSTO
è Societate IESU.

ANTVERPIÆ,
Apud Viduam & Hæredes JOANNIS CNOBBARI.
M. DC. LXI.

Cum Gratia & Privilegio.

Ex dono Autoris

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆNOBILI AC GENEROSO

DOMINO,

D. IOANNI VANDER EYCKEN

DOMINO HOOGEVORST,

PRÆTORI URBIS ANTUERPIENSIS

ET

MARCHIONATVS RHIENSIS DITIONIS.

QVemadmodùm familiare eſt Parentibus, proſpicere ſuis, dum ſacro fonte abluuntur, liberis de Patrimo: ſic & Libro meo par eſt mihi proſpicere de Patrono. De eo, ut mihi proſpicerem, ſupervacaneum fuiſſet, longè, lateque circumſpicere. Tu occurrebas unus, qui hoc poteras exigere ſolus. Cui namque potius convenit Liber, qui tractat de Teſſeris Chriſtiani Militis, quàm Tibi, cujus officium eſt militare? Quid enim aliud ſunt tui, qui Tibi auctorati ſunt ſatellites, quàm Iuſtitiæ vel conſervandæ, vel propugnandæ milites? Ita ut non modò, quod eſt omnibus commune, vita, quam vivis; ſed, quod paucis eſt ſingulare, munus quod geris, non ſit aliud quàm militia. Nam pro Iuſtitia, ut conſervetur, pugnas; ne violetur, propugnas. Ut propterea, ſi placeat adſciſcere Tibi Teſſeram, quæ cùm officio, quo fungeris, concinnſſimè quadret, non alia occurret aptior, quàm illa Alphonſi IX. Regis Hiſpaniarum, videlicet. Pro

Lege,& pro grege. *Quidquid enim agis, non aliud eſt, quàm pro* Lege,*ne infringatur ; & pro* grege, *ne affligatur, pugnas pugnare? Ita ut ſit quaſi quidam concentus, & conſenſus ; imò ſympatia, & ſymphonia inter Librum meum, & Munus Tuum. Illud porrò, quod non tam alieno ſuffragio, quàm proprio merito, nactus es officium ; tàm moderatè, ſcienterque exequeris, ut quædam modeſtè puniens, quædam prudenter diſſimulans, id aſſecutus ſis ; ut Te & mali metuant, & boni diligant. Sic bono publico ſtudens, & periculorum nil timens, id efficis ; ut ſub tuâ tutelâ, Iuſtitia ſit non tantùm ſine periculo tuta, ſed ſine metu periculi ſecura. Ita Te prodis honore, quo emines, dignum eſſe, qui emineas. Ad illud faſtigium Adoleſcentia tua, quoddam fuit veluti præludium. Per omnes enim nobili adoleſcente dignas artes in ludo literario cumulatè inſtructus, in ipſo flore ætatis, fructus proferebas prudentiæ ; ut jam tum oſtenderes talem Te eſſe, qui poſſes olim laudabiliter præeſſe. Hoc eſt demùm avitam gloriam, & gentilitium ſtemma, novis virtutum ſubſidiis ſuſtinere; Tuique claritati ſanguinis, quæ à longâ Proavorum ſerie lucem hauſit, novum Tuis meritis conciliare ſplendorem. Si velis, quoad longiſſimè poteſt mens tua reſpicere ſpatium præteriti temporis, proſapiam Tuam circumſpicere ; reperies illam non modò in Belgio notam, ſed extra Belgium claram. In primis, Iudocus ab Eycken, D. de Rivieren, Ganſhoren, Avus tuus, fuit Auriaci Principis Guilielmi Magiſter aulæ, & Bredanæ urbis ſupremus Præfectus. Deinde amita, Maria ab Eycken, Domina de Rivieren, nuptui data eſt Illuſt.^mo Marchioni Badenſi Eduardo, anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo primo. Quid, quod Parens, piæ*

memo-

memoriæ, Bruxellis eâ prudentiâ, Conſulatus ampliſſimo ſexies functus eſt munere, ut ſummâ illâ poteſtate non modò rexerit, ſed quomodò Reſpublica ſit optimè regenda, oſtenderit. In hæc tam inclyta Majorum tuorum veſtigia pedem ponis, dum tam laudabiliter Tibi, utiliter aliis, ea quâ polles, poteſtatem geris: dum magnâ animi excelſitate adminiſtras publica, componis turbida, vincis ardua. Sed, quia Tibi antiquius eſt facere laudabilia, quàm laudari; ut pergas cum ea, quâ cœpiſti laude, in curriculo illo tuæ induſtriæ verſari; dum feliciter confeceris, fortaſsè hic tam exaggeratus perutilium Teſſerarum acervus non mediocriter conducet; dum Te ad illam, quæ eſt filiorum Dei, libertatem manu-ducent. Vt in profanâ, ſic & in Chriſtianâ militiâ, opus eſt, ut prælia Domini fortiter prælieris, Teſſerâ: ſi quot diebus, unam depromas; & quæ vel ad fugienda mala, vel ad facienda bona complectitur documenta, maturè expendas, & per diem ſæpiùs animo volvas; tum demùm, non ſuſpenſus, & incertus à fortunæ, vel humani præſidij obſcurâ ſpe, & cæcâ expectatione pendebis; ſed animum inter diſſimilia ſemper ſui ſimilem in ſtatione tranquillâ collocabis: hinc diſces Tibi facere nihil concupiſcendo, divitias; nihil timendo, pacem: inter collidentia ſtare, & in gradu Conſtantiæ perſtare; ærumnas, terroreſq; mortalium ſub jugum mittere. Denique, ex hoc Libro evades, (ut cum Paulino loquar) **non tam linguâ, quàm vitâ eruditus;** *ut poſſis tam magna facere, quàm legere. Et certè, par laus eſt, libros ſcriptos cum fructu legere, & legendos cum labore ſcribere. Res eſt nunquam ſatis deplorata, nec deploranda, tot lenocinantes chartas, tot ſpurcos, Iuvenum præſertim manibus verſari, oculis luſtrari libros; quibus*

animi

animi libertatem, dum fiunt ſervi peccati, perdunt: quibus, dum expolire ſtudent ſermonem, contaminant vitam; dum floſculos delibant eloquentiæ, florem amittunt pudicitiæ: & quod unum in malis eſt bonum, adimunt libri illi, ſceleris committendi timorem, commiſſi verecundiam. Hæc mala ut declinentur, tot pij codices elaborantur, unde contra vitia promant, ſeu ne admittãt, præſidia, ſeu ut excludant, conſilia Omnibus ergò hi libri proſunt; aliis, quia boni ſunt; aliis, ut ſint. Sed, cùm hæ Teſſeræ, quas propono, ſint militares, ad illud potiſſimùm conducunt; ut ſic firment, & formẽt animum, ut quies nobis ſit in turbis, pax inter bella, & portus in turbulẽto pelago Hoc vitæ mortalis tempus, eſt tempus belli. Hoſtes noſtri ſemper canunt claſsicum, nunquam non, & nuſquam non datur ſignum ad pugnam. Quid refert, ad quàm pacata loca venerimus? bellum nobiſcum trahimus; Bellonam in ipſis viſceribus circumferimus: turbæ circum nos, imò in nobis ſunt. Pugnat enim, pugnabitq; ſemper ſecum diſcors animus, appetendo, fugiendo, ſperando, deſperando. Eſt quidem malorum, quæ per hæc bella patimur, aliquod effugium, ſed non fuga. Effugiendi modum ſuggerent hæ noſtræ ex ſelectiſsimis Auctoribus delibatæ Teſſeræ. Tu interim hunc Librum teſſerarium, tanquam affectus in Te mei Teſſeram, & pignus, benigno aſpice oculo, & benevolo excipe animo, & obvio protege patrocinio: & boni conſule hunc meũ conatum, quem ut ſpero ad voti fructũ provehet is, in cujus poteſtate eſt, ac favore; ut proſperè poſsimus, quod piè volumus. Vale.

Prænobili Dominationi Veſtræ

addictiſſimus Cliens

GUILIELMUS STANIHURSTUS

Societatis JESV.

AD

AD LECTOREM.

MIlitiam eſſe vitam hominis, Benevole Lector, tametſi Job, & ipſe totus ſub armis ſudans, non aſſereret; diurna, nocturnaque, quæ committimus prælia, non ſinunt dubitare. Quid aliud maternus eſt uterus, quàm domeſtica palæſtra; in quâ novem menſibus, velut tyrones, ad graviſſima quæ impendent certamina, umbratilis pugnæ ſimulacro quaſi præludimus. Quo temporis ſpatio confecto naſcimur, id eſt, in campum pugnaturi progredimur. Vix aſpicimus amicam lucem, & mox incurrimus in hoſtem. Ipſa, in quibus ploramus, incunabula, ſunt prima, quæ occupamus propugnacula. Jam inſtabiles pueri, ponimur veluti ſtationarij milites, in præſidio ſtativo, antequam poſſumus cadere, & dum poſſumus, quanti nobis ſtat, non cadere. Quod, ſi ita eſt; ſi hic, in quo degimus, mundus, ſit veluti Martius, in quo confligimus, campus; ſi vita, eſt militia; ſi homines, milites: ne noſtra vita non tàm ſit, quâ pugnamus militia, quàm quâ peccamus malitia; ut ſub ſignis Chriſti pugnas ejus pugnemus fortiter; ut vincamus feliciter, ſubminiſtro pro quot diebus anni, unam, quæ militibus eſt familiaris, Teſſeram. Cujus vis verbi, ut tibi ſit explorata, ejus originem paucis ſuggeram. In militia olim dicebatur Teſſera; ſymbolum, quo ſocij ab hoſtibus, & exploratoribus dignoſcebantur. Ea autem (ut vult Polybius) erat tabella, quam Tribuni militares, ſub noctem ab Imperatore acceptam, ad Centuriones perferebant: Centuriones autem ad Decuriones; & ij rurſus ad unumquemque ſuæ decuriæ militem: à quibus rurſus, antequam ſe intenderent tenebræ, redibat ad Imperatorem. Hinc Virgilius: *It bello teſſera ſignum.* Qui verò illud ſignum bellicum, per contubernia militum nuntiabat, Teſſerarius appellabatur. Jam verò cùm nos ſimus milites Deo exercituum 7. Æneid.

 aucto-

Digitized by Google

auctorati; & à Chriſto, velut ſupremo Archiſtratego centuriati; multum refert, ut prælia Domini fortiter præliemur; quolibet die habere in promptu militarem veluti Teſſeram, quæ non, ut fit inter milites, unâ tantùm conſtet voculâ, ſed contractâ ſententiâ, quæ memoriæ altùm impreſſa, & per diem ſæpiùs animo expenſa, & ore repetita, acuet & ad pugnandum contra hoſtes audaciam; & ad vincendum hoſtes fiduciam. Illum morem fuiſſe ſolemnem, inclytis Chriſtianæ militiæ ſigniferis, quaſi in bello contra æëreas poteſtates primipilis, teſtantur ſacri hiſtoriarum Annales. Sic D. Franciſco erat pro Teſſera, illud ſacrum acroama: *Deus meus, & omnia.* Matri Thereſiæ: *Aut pati, aut mori.* S. Ignatio: *Ad majorem Dei gloriam.* Aliis alia, vel è cælo hauſta, vel à Spiritu ſancto ſuggeſta, vel è divinis paginis ſelecta, pronuntiata, erant pro Teſſera. Hæ, aut ſimiles ſententiæ, quas ego, quia milites ſumus, Teſſeras indigito; ſæpè dum ab hoſtibus noſtris importunius oppugnamur, ingeminatæ, & quaſi jacula in adverſarios contorta, incredibile dictu eſt, quanti ſint ad exſuſcitandum animum ponderis; quantumque ad alacriter conſligendum ſubminiſtrent roboris. Hæ etenim ponderoſæ in ſumma brevitate ſententiæ, animum à rebus humilibus ſevocant, & cæleſtia ſtimulãt: quibus homo, vel per modeſtiam ſe ſubmittat, vel per amorem attollat, vel ad metuendam Numinis Majeſtatem, vel ad amandam ejus Bonitatem, vel ad ſperandum in ejus Miſericordia, vel ad gratias agendas ejus Beneficentiæ, vel ad implorandum præſidium, vel ad petendam gratiam, ad alias denique animi affectiones declarandas plurimùm conducunt. Sicut enim olim in caſtris militum profanurum ſerviebant Teſſeræ, ut ſymbolum, & ſignum; quo ſocij milites dignoſcebantur, & ab hoſtibus ſecernebantur; ut pro quibus & contra quos dimicarent, ipſi facilè dijudicarent; atque ita multæ & hoſtium expeditiones, & exploratorum inſidiæ fuerunt detectæ: eandem quoque vim obtinent ſacræ noſtræ militiæ, quas quot diebus ſuppeditamus, Teſſeræ. Illæ enim detegunt & dæmonis ſtrophas, quibus nos circumvenire;

Digitized by Google

nire; & mundi technas, quibus imponere; & carnis illecebras, quibus nobis noxiè ſolet lenocinari. Variæ olim, à variis diverſarum gentium Dynaſtis, traditæ ſunt militibus Teſſeræ. Fuit in memorabili illo, inter bina Belli fulmina, Cæſarem, & Pompeium, prælio, Teſſera Cæſaris, illud triumphale verbum, *Victoria*: Pompeij verò militibus, *Hercules invictus*. Fuit illa Teſſera fauſti ominis, Cæſari, qui vicit: infauſti Pompeio, qui victus eſt. Bruto, in Philippis pro Teſſera fuit, *Apollo*; Cyro, *Iupiter, belli Dux, & ſocius*: D. Antonino, *Æquitas*: Severo Septimo, *Laboremus*: Pertinaci Imperatori, *Militemus*. Claudius Cæſar, Græco verſu definivit Teſſeram, in hæc verba: *Virum ulciſci decet, qui prior injuriatur*. Manuel Comnenus Imperator, noctu Turcas invaſurus, hanc Teſſeram exercitui, in nocturno conflictu dedit, ut exclamarent, *Ferrum*; ut ſuos, eâ voce agnitos, inviolatos præterirent: alios verò, qui taciti accederent, occiderent ut peregrinos. Tanti in militia eſt momenti, militaris Teſſera, ut potiaris victoriâ. Non minoris erit in noſtra, quâ *non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem; ſed adverſus Principes, & Poteſtates; adverſus mundi Rectores, tenebrarum harum*, Caſſius Choræa, Conjuratorum Princeps, Teſſeram ſuis dederat in necando Cajo, quaſi victimam diis gratam futuram immolaturis: *Hoc age*. Et tu miles Chriſtiane, ut conſilio Pauli, *bonum certamen* certes, interficias inimicos; ſume quotidie, quâ te animes, hoſtes exanimes, Teſſeram, hoc eſt, vel quæ te ad virtutem promoveat, vel à vitio removeat, ſententiam; & erit tibi præſentiſſimum ſubſidium, ad obtinendam in certamine lauream. Depromamus è noſtro penu unam aliquam Teſſeram, verbi gratiâ, hanc D. Chryſoſtomi: *Primum malum eſt, eſſe malum*. Quòd ſi vim illius Teſſeræ, penitus intelligendo, percipias; & intellecta, vera eſſe tibi perſuadeas; quàm multa vel quæ tibi videntur, vel quæ inimici tui ſuggerent tibi eſſe mala, levi brachio eludes? Si illo die, te morbus infeſtet; ſi calamitas aliqua invadat; ſi pecuniæ jacturam facias; ſi fama lædatur, nomen traducatur; & illa, vel inimicus, qui te oppugnat; vel Ratio quæ errat, tibi perſuadere ſatagat, eſſe mala;

Epheſ. 6. 12.

2. Tim. 2.

Digitized by Google

oppone,velut clypeum,hoc militare ſymbolum: *Primum malum eſt,eſſe malum.*Certò igitur credens,nulla poſſe tibi eſſe mala; ſi ipſe non ſis malus,animos inter illa,quæ putantur mala, non abjicies, ſed potiùs contra illa eriges ; atque adeò hujus unius Teſſeræ præſidio, eris inter præſentiſſima pericula, tibi ipſe præſens ; eris inter terribilia, interritus ; & totius, veluti aciei pondus in te incumbentis, belliq́ue molem, hâc unâ Teſſerariâ ſententiâ,inſtar Horatij,umbone ſiſtes. Hæ Teſſeræ docebunt nos,qui ſub Chriſti aquilis meremus,ſtare quaſi in primâ acie, perferre promptiores,quàm inferre mala; contumelias,verbaq́ue probroſa,ut miſſilia tela, & ſaxa, ſine vulnere circa galeam crepitantia deſpicere ; contemnere ſui ipſius contemptum; graviſſimos morborum dolores, hoc eſt, mortis præludia,eludere fortiter tolerando: denique contra omnia hæc infirma mundi, firmare gradum ; totoq́ue animo petere cælum. Sic tibi erit quælibet Teſſera,capiti galea,pectori lorica,ſiniſtræ clypeus, dexteræ gladius, pro corpore, & anima, *Dei armatura.* Porrò,quia varietas delectat; ne tibi deſit & inde delectationis materia, varia quotidie ſuggeritur Teſſera. Undè, ſi quot diebus, unicam illius diei Teſſeram mandaveris memoriæ, quo nihil eſt expeditius; cùm tot ſint Teſſeræ,quot per annum dies; qualis,exeunte anno,indè accreſcet ſelectiſſimarum ſententiarum ſtrues? Ne verò Teſſeræ ſenſa ſint nimis obſcura, atque adeò minus perſpecta ; ago illorum interpretem ; quæ dum explicatiùs, fuſiuſq́ue expono, piæ pro illo die, ſeu Meditationis, ſeu lectionis materiam ſubminiſtro. Denique,quia nihil eſt,quod aures ſic capiat,& animos rapiat ; ac diſcors vocum, ſeu nervorum concordia. (Inde enim exurgit quædam flexanima Harmonia, in quâ dum verba numerosè ſonantia ſimiliter deſinunt, aures mirificè afficiunt)idcircò,ut moralis doctrinæ,quam propono,placita magis placerent; placuit illa in fine,harmoniæ ritu explicare : & ut ſimul memoriæ committerentur faciliùs, & imprimerentur altiùs; conſilium fuit ryhtmicis verſibus, quos *Leoninos* appellant, proponere. Sic enim modulatè per modum

Epheſ. 6. 11.

dum ſymphoniæ propoſita ; & quia docent, dicuntur cum fructu ; & quia delectant, audiuntur cum plauſu. Non igitur, ſine cauſa Antiqui olim nihil habuerunt antiquius ; quàm, cùm vellent arcanæ ſapientiæ monita (ut fecit Cato Major) inuri mentibus, eadem exponere verſibus. Itaque, hæc multiplex verſuum varietas, & rythmorum muſicus concentus, tria complectitur bonorum genera: Utile, dum docet; Jucundum, dum oblectat; Honeſtum, dum movet. Ut igitur, ſalutaria illa Ethicæ, juxtà ac Aſceticæ doctrinæ monita, ſuaviùs in animos influant, ſic, ut nunquam effluant; ordior illa ab oratione ſoluta, & concludo oratione ſtrictâ. Accipe ergò, benevole Lector, hæc ex variis Auctoribus conflata, correcta, & ad ſuas claſſes reducta, moribus expoliendis utiliſſima ſacræ militiæ dogmata. Quæ ſi ſint ad animi & oblectamentum, & emolumentum ; interpretabor me in hoc quali, quali opere non inutiliter impendiſſe operam. Vale ; & alteram, quæ totius operis ſeriem complectitur paginam, ſi libitum eſt, lege.

SERIES
OMNIVM TESSERARVM;
Quâ omnes inter ſe per totius anni dies ſunt aptæ, & colligatæ.

TOtum hoc Opus, duo complectitur; quæ ſunt duo, veluti poli, & aurei cardines, quibus univerſa hominis felicitas, & perfectio volvitur, videlicet; fugere mala, facere bona; quæ ex
Pſal. 36. 27. *Regij Vatis deprompta ſunt oraculo*: Declina à malo, & fac bonum. *Primo igitur ſemeſtri explicantur mala fugienda: altero, bona facienda. Mala hominem abducunt ab ultimo fine: bona adducunt ad finem. Illa continent corruptæ naturæ pravos affectus, ex quibus naſcuntur vitia; ex illis, peccata; ex his denique omnia, quæ fecimus, vel facimus mala. Alterum ſemeſtre proponit, quæ facienda ſunt Bona; inter quæ ſunt virtutes; & quæ ad virtutes acquirendas, conſervandas, & augendas ſunt, vel præſidia, vel invitamenta. Quibus duobus adminiculis, homo è ſervitute manu-mittitur, ad liber-*
Gal. 4. 30. *tatem manu-ducitur. Quia per vitia, ut loquar cum Paulo, ſumus* filij ancillæ, *hoc eſt, ſervi: per virtutes, ſumus* filij libe-
Ibid. 31. *ræ, hoc eſt, ingenui. Quamobrem declinando mala, & faciendo bona; ejuſdem Apoſtoli confirmamus effatum, dicentis*: Itaque fratres, non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ. *Sed totius Operis continuatio, & in eo rerum omnium complexio tibi erit perſpectior, ſi lubet ſingulos menſes, & in illis dies perluſtrare; quibus una veluti catena, quot Teſſeris, tot quaſi anſulis ſibimet innexis, ſpectanda exhibebitur.*

IA-

Digitized by Google

IANVARIVS.

MALA FVGIENDA.

Dies *Primus.* Operis noſtri initium, ſit JESUS, qui ipſe eſt, Principium. *Secundus.* Cum novo anno, nova omnia facienda. *Tertius.* Hoc ut facias, plurimùm refert, ut à principio incipias. *Quartus.* Hoc ubi ſtatuiſti, ſervandus eſt ordo. *Quintus.* Quis ordo? exponitur, videlicet, primò, quærendum cælum. *Sextus.* Ut ordinem ſerves, opus eſt Magiſtro, quem obſerves. *Septimus.* Nec hic proderit, ſine Dei gratia; à qua habes, ut bona facere poſſis. *Octavus.* Sed & poſſe, parùm proderit; niſi (quod & Gratiâ obtines) velis. *Nonus.* Imò, nec velle quidquam conferet; niſi (quod & donum eſt Gratiæ) quod poſſis, & velis facere, facias. *Decimus.* Cùm per Gratiam poſſis omnia; ſupereſt, cum eâ operaris. *Undecimus.* Ut cum Gratiâ operante cooperaris; plurimùm conducet à turba receſſus. *Duodecimus.* Ad hunc receſſum, pro Intellectu radij, pro Voluntate ſtimuli. *Decimus tertius.* Proponuntur, ut recedas à turba, mundi turbines. *Decimus quartus.* Ad ſolitudinem piæ illecebræ. *Decimus quintus.* Ejuſdem caſtæ deliciæ. *Decimus ſextus.* Qualis ſit eligenda ſolitudo? *Decimus ſeptimus.* Quid in ea agendum? quid cogitandum? *Decimus octavus.* Princeps in ea ſolitudine opus, eſt frequens Meditatio. *Decimus nonus.* Prima meditatio ſit de hominis creatione, & ejus nihilo. *Vigeſimus.* Hîc expendit, quid acceperit à Deo? *Vigeſimus primus.* Dein, quis finis hominis jam creati? *Vigeſimus ſecundus.* Media ad finem perveniendi. *Vigeſimus tertius.* Primùm Deo vivendum, à quo accepimus vitam. *Vigeſimus quartus.* Mala, quæ à fine abducunt, ſive peccata. *Vigeſimus quintus.* Recenſet hîc homo, quæ peccando commiſit. *Vigeſimus ſextus.* Meditatur, averti à peccato, converti ad Deum. *Vigeſimus ſeptimus.* Reditur ad Deum pœnitentiâ. *Vigeſimus octavus.* Aculei ad converſionem. *Vigeſimus nonus.* Converſio inchoanda à timore Dei. *Trigeſimus.* Hic docet vitare peccata etiam minima. *Trigeſimus primus.* Agit de tempore exacti menſis.

FEBRVARIVS.

Dies *Prima*. Novo animi ardore, novus inchoandus menſis. *Secunda*. Ad hoc, invocanda Deipara. *Tertia*. Vetus homo, fit novus meditatione mortis. *Quarta*. Mortem optabilem reddunt vitæ miſeriæ. *Quinta*. Incipimus mori, dum incipimus naſci. *Sexta*. Hinc homo, flori ſimilis. *Septima*. Nulla mala mors; niſi, quam præceſſit mala vita. *Octava*. Mors illi timenda, qui fecit timenda. *Nona*. Mors hominis, eſt mors omnium, quæ afficiunt hominem. *Decima*. A morte, ſequitur judicium mortui. *Vndecima*. Mortis comes; pœna, vel gloria. *Duodecima*. Inferorum locus, & ſocietas. *Decima tertia*. Complexio malorum in orco, ac primùm tenebræ. *Decima quarta* Fœtor. *Decima quinta*. Pœna viſus. *Decima ſexta*. Fames, & ſitis. *Decima ſeptima*. Vermis. *Decima octava*. Ignis. *Decima nona*. Deſperatio. *Vigeſima*. Æternitas. *Vigeſima prima*. Una tibi ſit cura; curare, ne pereat Anima. *Vigeſima ſecunda*. Ne pereas, otium caveas. *Vigeſima tertia*. Diligentia adhibenda, in negotiis animæ. *Vigeſima quarta*. Pro illis, omnis labor laudabilis. *Vigeſima quinta*. Ut ſtrenuè labores, ſtrenuiſſimè fugienda eſt ſocordia. *Vigeſima ſexta*. Hujus mater, eſt ſomnolentia. *Vigeſima ſeptima*. **E ſomno evigilanti, Deus ſit, ad quem collinies, ſcopus.** *Vigeſima octava*. Finiti brevitas menſis.

MARTIVS.

Dies *Primus*. Ut hujus menſis tempore, utaris cum fœnore; cogita illud eſſe ſemen Æternitatis. *Secundus*. Inclinanti ad perfectionem, primùm declinandum eſt à malo. *Tertius*. Quæ propriè ſint mala. *Quartus*. Errores in opinione malorum, ac primùm: inter hæc, non eſt accenſenda Paupertas; ſed Cupiditas. *Quintus*. Natura enim, paucis eſt contenta; Cupiditas, ne quidem omnibus. *Sextus*. Fortuna, homini non nocet. *Septimus*. Non eſt malum, Contemptus. *Octavus*. Nec aliorum in nos Invidia. *Nonus*. Nec Adverſitas. *Decimus*. Nec morbi. *Vndecimus*. Nec ulla alia miſeria. *Duodecimus*. Nec mors. *Decimus tertius*. Solum, & unicum malum, eſt peccatum. *Decimus quartus*. Non minus errant homines in cenſu bonorum, quàm malorum: quia nec Fortunæ, nec Naturæ bona, ſunt propriè bona. *Decimus quintus*. Non Divitiæ. *Decimus ſextus*. Nec Voluptas. *Decimus ſeptimus*. Nec Honor. *Decimus octavus*. Nec Gloria. *Decimus nonus*. Nec Laus. *Vigeſimus*. Nec Fama. *Vigeſimus primus*. Nec Nobilitas. *Vigeſimus ſecundus*. Nec Pulchritudo. *Vigeſimus tertius*. Nec Magni-

Magnificentia ædium, ſplendor veſtium, aut lautitia dapum. *Vigeſimus quartus.* Nec alia ulla bona mundi; quia caduca. *Vigeſimus quintus.* Unum nobis eſt Bonum; Incarnatum Verbum. *Vigeſimus ſextus.* Natura boni inveſtigatur. *Vigeſimus ſeptimus.* Bona creata, ſunt tantùm Dei veſtigia. *Vigeſimus octavus.* Bona extra Deum, ſunt peritura. *Vigeſimus nonus.* Supra ſolem quærendum Bonum. *Trigeſimus.* Nullum eſt homini bonum, niſi, quod eſt incommutabile. *Trigeſimus primus.* Solus Deus eſt bonus, & Bonum.

APRILIS.

Dies *Prima.* Hoc menſe, quo terra germinat flores; eſtò tu flos campi, non horti? *Secunda.* Initium boni, eſt fuga mali. *Tertia.* Inter mala cenſentur primùm vitia, quæ inducunt ſervitutem. *Quarta.* Recenſentur vitia contra virtutem Prudentiæ; quas inter primas occupat, Celeritas. *Quinta.* Sequuntur alia, Inconſideratio. *Sexta.* Inconſtantia. *Septima.* Negligentia. *Octava.* Aſtutia. *Nona.* Solicitudinis exceſſus circa temporalia. *Decima.* Ignorantia. *Vndecima.* Sequuntur vitia contra Juſtitiam, Injuſtitia. *Duodecima.* Injuria. *Decima tertia.* Suſpicio. *Decima quarta.* Opinio. *Decima quinta.* Judicium temerarium. *Decima ſexta.* Calumnia. *Decima ſeptima.* Detractio. *Decima octava.* Convitium. *Decima nona.* Contumelia. *Vigeſima.* Odium proximi. *Vigeſima prima.* Inimicitia. *Vigeſima ſecunda.* Simulatio. *Vigeſima tertia.* Invidia. *Vigeſima quarta.* Immiſericordia. *Vigeſima quinta.* Ingratitudo in homines. *Vigeſima ſexta.* Ingratitudo in Deum. *Vigeſima ſeptima.* Adulatio. *Vigeſima octava.* Mendacium. *Vigeſima nona.* Perfidia. *Trigeſima.* Prodigalitas.

MAIVS.

Dies *Primus.* Tempus, hoc menſe rectè ordinandum. *Secundus.* Auaritia. *Tertius.* Crucis amor. *Quartus.* Impietas in Deum. *Quintus.* Amor ſui. *Sextus.* Senſualitatis damna. *Septimus.* Corpori moderatè indulgendum. *Octavus.* Fugiendus veſtium luxus. *Nonus.* Curioſitas circa aliena. *Decimus.* Curioſitas in vanis ſcientiis. *Vndecimus.* Superbia. *Duodecimus.* Luxuria. *Decimus tertius.* Gula. *Decimus quartus.* Ira. *Decimus quintus.* Acedia. *Decimus ſextus.* Otium. *Decimus ſeptimus.* Peccati damna. *Decimus octavus.* Peccatum, Conſcientiæ eſt tormentum. *Decimus nonus.*

nus. Deum ex animo demittit, diabolum admittit. *Vigeſimus.* Eſt mors Animæ. *Vigeſimus primus.* Fragilitas hominis in peccando. *Vigeſimus ſecundus.* Quod eſt flos in horto, hoc eſt homo in mundo. *Vigeſimus tertius.* Ignorantia hominis, in cognoſcendis peccatis. *Vigeſimus quartus.* Receſſus à vitiis, eſt acceſſus ad Virtutes. *Vigeſimus quintus.* Nemo tam perfectus, in quo non ſit defectus. *Vigeſimus ſextus.* Ubi eſt minimus defectus, nullus ſit neglectus. *Vigeſimus ſeptimus.* Minimus animi nævus, eſt perniciosior, quàm maximus corporis morbus. *Vigeſimus octavus.* Peccati turpitudo. *Vigeſimus nonus.* Peccatoris miſeriæ. *Trigeſimus.* Maturè reſipiſcendum à peccato. *Trigeſimus primus.* Æternitas expendenda.

IVNIVS.

Dies *Prima.* Concupiſcentia. *Secunda.* Cupiditas in homine, idem eſt, quod tempeſtas in æquore. *Tertia.* Voluptas. *Quarta.* Paſſiones animi frænandæ. *Quinta.* Senſus, ſunt januæ mortis. *Sexta.* Laus S. Norberti. *Septima.* In iis, cautelâ opus. *Octava.* Et circa Auditum. *Nona.* Circa Odoratum. *Decima.* Circa Guſtum. *Vndecima.* Circa Tactum. *Duodecima.* Conſortium pravum, cauſa pravitatis. *Decima tertia.* Conſuetudo mala, fons malorum. *Decima quarta.* Error Intellectus. *Decima quinta.* Lingua frænanda. *Decima ſexta.* Voluntatis propriæ mala. *Decima ſeptima.* Reſpectus humani. *Decima octava.* Terrena bona deſpicienda. *Decima nona.* Occaſio peccandi fugienda. *Vigeſima.* Injuriæ remittendæ inimicis. *Vigeſima prima.* Amor carnis, eſt odium mentis. *Vigeſima ſecunda.* Vanitas omnium rerum. *Vigeſima tertia.* Mundi perfidia. *Vigeſima quarta.* Vita ſpernenda. *Vigeſima quinta.* Fortunæ inconſtantia. *Vigeſima ſexta.* Fortunæ proſperæ comes, Invidia. *Vigeſima ſeptima.* Hominis miſeriæ, primùm naſcentis. *Vigeſima octava.* Dein viventis. *Vigeſima nona.* Poſtremò morientis. *Trigeſima.* Temporis ratio exactè reddenda.

IVLIVS.

BONA FACIENDA.

Dies *Primus.* Boni natura. *Secundus.* Poſt Deum, nihil majus Matre Dei. *Tertius.* Homo quidquid vult, eſt. *Quartus.* Sine Gratia nihil poſſumus. *Quintus.* Gratiæ dignitas; & hominis eam ſpernentis fatuitas.

Sextus.

Digitized by Google

Sextus. Gratia dignior eſt dono faciendi miracula. *Septimus.* Timendum ſemper & in gratia,& ſine ea. *Octavus.* Gratia,eſt lux animæ. *Nonus.* Manuducit ad Virtutem. *Decimus.* Virtus acquiſitu,quàm vitium,facilior. *Vndecimus.* Virtus,ſui eſt pretium, & præmium. *Duodecimus.* Semper in ea proficiendum. *Decimus tertius.* Prima, inter virtutes Morales, eſt Prudentia. *Decimus quartus.* Quid ea ſit? *Decimus quintus.* Conſolatio,primus Prudentiæ actus. *Decimus ſextus.* Partes Prudentiæ; & ejus acquirendæ ſubſidia, primùm eſt, Memoria. *Decimus ſeptimus.* Dein Intelligentia. *Decimus octavus.* Docilitas. *Decimus nonus.* Solertia. *Vigeſimus.* Ratio. *Vigeſimus primus,* Providentia. *Vigeſimus ſecundus.* Circumſpectio. *Vigeſimus tertius.* Cautio. *Vigeſimus quartus.* Modus in omnibus ſervandus. *Vigeſimus quintus.* Secunda virtus, Juſtitia. *Vigeſimus ſextus.* Amicitia. *Vigeſimus ſeptimus.* Adhibenda correctio fraterna. *Vigeſimus octavus.* Charitas in omnes. *Vigeſimus nonus.* Fætus Charitatis,eſt Benevolentia. *Trigeſimus.* Et Beneficentia. *Trigeſimus primus.* S.Ignatij laus.

AVGVSTVS.

DIes *Prima.* Tempore novi menſis utiliter utendum. *Secunda.* Inimici diligendi. *Tertia.* Pax animi. *Quarta.* S. Dominicus, Sol Eccleſiæ. *Quinta.* Miſericordia. *Sexta.* Eleëmoſyna. *Septima.* Gratitudo erga homines. *Octava.* Gratitudo erga Deum. *Nona.* Beneficia Dei in nos. *Decima.* Affabilitas. *Vndecima.* Simplicitas. *Duodecima.* Fidelitas. *Decima tertia.* Liberalitas. *Decima quarta.* Religio,prout eſt virtus Moralis. *Decima quinta.* Mariæ ad cælum aſſumptæ triumphus. *Decima ſexta.* Adoratio. *Decima ſeptima.* Oratio. *Decima octava.* Devotio. *Decima nona.* Hanc fovent orationes Jaculatoriæ. *Vigeſima.* Attentio in oratione. *Vigeſima prima.* Reverentia in eadem. *Vigeſima ſecunda.* Reverentia in templo. *Vigeſima tertia.* Sacrificium Miſſæ; primò,eſt propitiatorium. *Vigeſima quarta.* Et Latreuticum. *Vigeſima quinta.* Et Euchariſticum. *Vigeſima ſexta.* Et Impetratorium. *Vigeſima ſeptima.* Sacerdotes honorandi. *Vigeſima octava.* Laus S. Auguſtini. *Vigeſima nona.* Euchariſtia. *Trigeſima.* Confeſſio peccatorum. *Trigeſima prima.* Temporis celeritas.

SEPTEMBER.

DIes *Primus.* Pietas. *Secundus.* Obedientia. *Tertius.* Tertia virtus Moralis, Fortitudo. *Quartus.* Fiducia in Deum. *Quintus.* Diffidentia ſui.

Sextus. Magnanimitas. *Septimus.* Æquanimitas. *Octavus.* Patientia. *Nonus.* Conſtantia. *Decimus.* Perſeverantia. *Vndecimus.* Quarta virtus, Temperantia. *Duodecimus.* Studioſitas. *Decimus tertius.* Abſtinentia. *Decimus quartus.* Sobrietas. *Decimus quintus.* Caſtitas. *Decimus ſextus.* Verecundia. *Decimus ſeptimus.* Humanitas. *Decimus octavus.* Urbanitas, ſive Eutropelia. *Decimus nonus.* Modeſtia. *Vigeſimus.* Manſuetudo. *Vigeſimus primus.* Humilitas. *Vigeſimus ſecundus.* Vigilantia. *Vigeſimus tertius.* Virtutes ſuper-naturales, Fides. *Vigeſimus quartus.* Spes. *Vigeſimus quintus.* Charitas. *Vigeſimus ſextus.* Virtutis pulchritudo. *Vigeſimus ſeptimus.* Deſiderium virtutis. *Vigeſimus octavus.* Labore acquiritur. *Vigeſimus nonus.* Ut virtutes acquiras, exempla aliorum inſpicienda. *Trigeſimus.* Non differendum, tempore benè uti.

OCTOBER.

Dies *Prima.* Angelus cuſtos colendus. *Secunda.* Perfectio. *Tertia.* Cognitio ſui. *Quarta.* S. Franciſci Smbolum. *Quinta.* Renovatio ſpiritus. *Sexta.* Reformatio Intellectus. *Septima.* Imaginatio. *Octava.* Cogitationes bene regendæ. *Nona.* Præmeditatio malorum. *Decima.* Eorum expectatio. *Vndecima.* Memoria. *Duodecima.* Lectio librorum utilium. *Decima tertia.* Hiſtoriarum utilitas. *Decima quarta.* Voluntatis reformatio. *Decima quinta.* Voluntatis propriæ abnegatio. *Decima ſexta.* Deſiderium reformandum. *Decima ſeptima.* Deus ſolus ſatiat. *Decima octava.* Unum eſſe oportet. *Decima nona.* Dei præſentia. *Vigeſima.* Varia pro ſalute ſuggeruntur documenta. *Vigeſima prima.* Mundi perverſitas. *Vigeſima ſecunda.* Mundi odium, divini Amoris eſt tyrocinium. *Vigeſima tertia.* Mundi miſeria, divini amoris ſunt illecebræ. *Vigeſima quarta.* Dei in nos beneficia, exigunt noſtra in eum obſequia. *Vigeſima quinta.* Deus mirabilis in animalculis. *Vigeſima ſexta.* Amoris indoles. *Vigeſima ſeptima.* Amantis Deum, felicitas. *Vigeſima octava.* Maximus amanti eſt dolor, tam rarus in terris Dei amor. *Vigeſima nona.* Commercium cum Deo. *Trigeſima.* Peccati comes, pœna. *Trigeſima prima.* Temporis volubilitas.

NOVEMBER.

Dies *Primus.* Solemnitas omnium Sanctorum, eſt ſtimulus ad ſanctitatem. *Secundus.* Pietatis officio defungeris, niſi ſuccurras defunctis. *Tertius.* Scientia Sanctorum, qualia doceat. *Quartus.* Mortificatio. *Quintus.* Pœnitentia. *Sextus.* Familiaritas cum Deo. *Septimus.* Oratio. *Octavus.* Meditatio.

tio. *Nonus.* Sub Deo ſervitus, eſt ſuper omnia dominatus. *Decimus.* Uſus rectus omnium rerum. *Vndecimus.* Opera requiruntur in Dei obſequio. *Duodecimus.* Ut Deum æſtimes, alia omnia nihil exiſtimes. *Decimus tertius.* Deus ſtudioſè quærendus. *Decimus quartus.* Deus amandus, quia Deus eſt. *Decimus quintus.* Eſt omne bonum. *Decimus ſextus.* Eſt fons omnis delectationis. *Decimus ſeptimus.* Ejus Benignitas. *Decimus octavus.* Bonitas. *Decimus nonus.* Ejus pulchritudo. *Vigeſimus.* Deus amandus ſolus. *Vigeſimus primus.* Maria in templo præſentata. *Vigeſimus ſecundus.* Muſica non tantùm eſt vocum, ſed morum. *Vigeſimus tertius.* Deus eſt omnia, & ideò amandus præ omnibus. *Vigeſimus quartus.* Deo inhærendum. *Vigeſimus quintus.* Voluntas Dei, fons eſt omnis boni; hominis, omnis mali. *Vigeſimus ſextus.* Felicitas hominis, Dei voluntati ſe conformantis. *Vigeſimus ſeptimus.* Deus eſt admirabilis. *Vigeſimus octavus.* Dei Majeſtas; & peccati enormitas. *Vigeſimus nonus.* Omnis noſter labor, debet eſſe, Deo placere. *Trigeſimus.* Temporis pretium, ex Æternitate cognoſcitur.

DECEMBER.

DIes *Prima.* Libertas hominis. *Secunda.* S. Xaverij laus. *Tertia.* Gloria Dei, in omnibus quærenda. *Quarta.* Deus incomprehenſibilis. *Quinta.* Deus amandus, quia eſt noſter Deus. *Sexta.* Deus ſolus bonus, & ſummum Bonum. *Septima.* Amandi Deum, infinitæ ſunt obligationes. *Octava.* Mariæ Conceptio; cæli & terræ eſt exultatio. *Nona.* Chriſti pulchritudo. *Decima.* Eſt Frater noſter. *Vndecima.* Ejus in nos beneficia. *Duodecima.* Chriſtus Deus, & homo. *Decima tertia.* Chriſti merita infinita. *Decima quarta.* Eſt nobis exemplar. *Decima quinta.* Ideo imitandus. *Decima ſexta.* Chriſtus, peccati maximus oſor. *Decima ſeptima.* Chriſtus, eſt via. *Decima octava.* Veritas. *Decima nona.* Vita. *Vigeſima.* Eſt lux mundi. *Vigeſima prima.* Laus S. Thomæ Apoſtoli. *Vigeſima ſecunda.* Suſpiria ad Chriſti Adventum. *Vigeſima tertia.* Chriſtus, eſt Medicus. *Vigeſima quarta.* Iter in Bethleem. *Vigeſima quinta.* Chriſti Nativitas, eſt omnium felicitas. *Vigeſima ſexta.* Nativitatis Chriſti varia myſteria. *Vigeſima ſeptima.* Dignitas ſtabuli Bethleemitici. *Vigeſima octava.* Amor Chriſti in nos. *Vigeſima nona.* Affectus amoris in Chriſtum. *Trigeſima.* Temporis utilis uſura. *Trigeſima prima.* Vanitas omnium rerum.

FACVLTAS.

R. P. PROVINCIALIS.

EGo infra-ſcriptus Præpoſitus Provincialis Flandro-Belgicæ Societatis IESU do facultatem ut typis vulgetur liber, cui titulus : *Quotidiana Chriſtiani Militis Teſſera*, Auctore P. GUILIELMO STANIHURSTO Societatis noſtræ Sacerdote, quem priùs examinarunt deputati ad id Cenſores & prælo dignum cenſuerunt. In quorum fidem hiſce manu propriâ ſubſcripſi, eaſque ſolito officij mei ſigillo munitas dedi. Antuerpiæ 17. Novembris 1660.

IOANNES RENTERGEM.

AP-

APPROBATIO.

Hic Liber, cui titulus, Quotidiana Christiani Militis Tessera, *eleganter & eruditè, necnon piè & utiliter, juxta sanam doctrinam, & conformiter bonis moribus conscriptus à* R.P. Guilielmo Stanihursto, Societatis Iesu, *luce publicâ dignissimus est. Actum* 1. *Julij* 1661.

G. Voochts, Canonicus & Archidiaconus
Antuerpiensis Lib. Censor.

SVM-

SVMMA
PRIVILEGII REGII.

PHilippus Dei gratiâ Hiſpaniarum, Indiarumque, &c. Rex Catholicus, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Seren. Belgarum Princeps, diplomate ſuo ſanxit, nequis Librum, cui titulus: *Quotidiana Chriſtiani Militis Teſſera*, Auctore *R. P. Guilielmo Stanihurſto* Societatis IESU, citra Viduæ necnon Hæredum *Ioan. Cnobbaert* voluntatem ullo modo in Belgio intra decem annos proximos imprimat, aut alibi terrarum impreſſum in has inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve habeat. Qui ſecus faxit, confiſcatione Librorum, & pro ſingulis exemplaribus huc illatis triginta florenorum penſione mulctabitur: uti latiùs patet in litteris Bruxellæ datis 3. Auguſt. 1661.

Signat

Lôyens.

QVO-

Digitized by Google

1. IANVARII.

Iesus Christus heri, & hodie, & ipse in sæcula. *Heb.* 13. 8.

I. IEsus Verbum Patris, verbum inter omnia verba auspicatissimum, utpote nomen Increati, & Incarnati Verbi, sit primum, quod anni incuntis die primo, ex ore meo prodeat verbum. Tria nobis de Jesu proponit strictim expendenda, prima hæc primæ diei tessera, *Heri, Hodie, in Sæcula.* Hoc est, Fuit, Est, Erit. Ut Deus, fuit *Heri*, id est ab æterno; ut Homo, est *Hodie*, in præsenti, ut Deus Homo, erit *in sæcula*, in futuro semper. Sicut ergo Jesus complectitur omnia tempora, præteritum, *Heri*, præsens, *Hodie*, futurum, *in Sæcula*: sic omnibus Justitiæ titulis debeat illi consecrari, singula omnis temporis momenta. Et quia nullum est momentum quo non accipio à Jesu beneficium, sic nullum hoc anno erit momentum, quo Jesu non rependam obsequium. Incipiendum à Jesu.

II. Cùm Jesus ut Deus, sit Primogenitus Patris; ut Homo, primogenitus Matris; ut Deus Homo, *Primogenitus omnis Creaturæ*: idem quoque erit mei dum loquar, primogenitus oris, dum diligam, cordis; dum cogitabo, mentis. Id igitur fixum est, à primo die Januarij, usque ad ultimum Decembris, mane ubi evigilavero, primum, vesperi ubi decubuero, novissimum, quod ex ore meo prodibit verbum, erit Nomen illius qui est *primus & novissimus*: qui de seipso dicit: *Ego ex ore altissimi prodivi*: hoc est Jesus. Quia igitur Jesus mihi hodie obtulit primitias sui Sanguinis; ego illi hodie offero primitias mei temporis. Cui enim æquiori jure debentur primitiæ temporis, quam illi qui fuit omni tempore? Nec unum omnis temporis, sed in tempore, omnis operis illi consecrabo principium, quia ipse α, id est principium; Medium, quia est Mediator, Finem, quia est ω, id est finis. *Quoniam ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Ex Jesu enim est omnis Potentia, per Jesum est omnis Sapientia, in Jesu est omnis Bonitas. *Coloss.* 1. 15. *Apoc.* 1. 18. *Eccl.* 24. 8. *Rom.* 11. 36

Luc. 22. III. A Iesu, ait te, opus manuum Iesu, oculos retorque. Iesus fuit, es, erit. Hesterna, hodierna, crastina. Tu quid fuisti, quid es, quid eris? Fuisti [illegible] Fuisti sperma fœtidum, es faciendus [illegible] es homo, eris cadaver. Ante paucos [illegible] Iuvenis, [illegible] Iuvenis, [illegible] Ante oculos [illegible] tatis [illegible] Psal. 4. *nus, & cubate, & tacete, & imperite, quo vanis & [illegible]* Dum igitur ad tempus præsentium Pudor, [illegible] cogitando quid fuisti es, eris.

Esse, fuisse, fore, [illegible]
Nam simul [illegible]

2. DIES [illegible]

Ecce nova facio omnia Apoc. 21.

Cum novo nova, Novi Hominis novi.

[illegible] nova omnia [illegible] novas cogitationes, novas [illegible] nova præ [illegible] Novus [illegible] nos Deus, voce [illegible] *Ecce rebus veteribus novam, & fractum* [illegible] Spiritus Sancti [illegible] Quid [illegible] Dei [illegible] de [illegible] nus [illegible] Quis forte hoc [illegible] cum-

ent; quæ hactenus nunquam evenerunt, nec putabas posse evenire, nova. Nunquid tibi foret novum, hoc anno audire vocem illam hucusque tibi inauditam: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives?* Hoc forsan anno lectûs tibi erit, non ut prius è molli anserе, sed è duro asserе; vestis, sindon sepulchralis: pulvinar capitis, manipulus straminis; domus, cœca telluris specus; crines, vermes; pulchritudo, putredo, odor, fœtor. Forsan ante finem hujus anni, corpus tuum nunc vegetum, paulo post rigidum, & frigidum circumscribetur angustijs contractæ sandapilæ, & à vespilonibus triste funus per vicos, mœstum sonante ære campano, effereris; pone sequentibus pullo amictu vicinis, & consanguineis: postea ponetur super feretrum, inde ad tumulum; ubi passis funibus demittent in tenebricolum, & solidum terræ antrum, quo tumultuarijs cespitibus tecto, eodem in tumulo, altâ oblivione sepelietur memoria tui, quo cadaver tuum. Januar. *Isai.* 38. 1

III. Hæc omnia si tibi, quæ aliquando, hoc ipso acciderent anno, nunquid essent tibi prorsus inexpectata, atque adeo penitus nova? Quod si Dei beneficio, velut è speculâ, certo tibi eventura hæc omnia nova prævideres, nonne tibi jam serio, ne postea fors serius, tibi provideres? Itaque jam nunc sic vitam ordire novam; ac si certò hic annus tibi foret novissimus. Si sit novissimus, ô quod tibi erit gaudium audienti; *Novissima hora est.* Dum respiciens, videbis tantum bonorum operum acervum, meritorum cumulum, incrementum gratiæ, & tot gradus gloriæ. Nunc igitur toto animo erigere, magnoque ausu, ac pari conatu, novam auspicare vitam, ne tunc velis rectè vivere, dum desinendum est vivere. Stas forsitan ut in anni limine, sic & in vitæ limite. Ne fidas corpori, quia robustum, non viribus, quia firmæ, non ætati, quia floridæ. Totum tuum vivere, levi morbo concidit, tuque te prius ad æternitatem miraberis abreptum, quam metuebas abripiendum. Sepe enim ægrotare incipimus, & mori: intra partem unius horæ, sani, ægri, vivi, mortui. Non facile peribis, si quovis die serio caves, ne pereas. Cum igitur sit jam annus novus, esto tu homo novus: & dic cum D. Thoma. 1. *Ioan.* 2. 18.

Secedant vetera
Nova sint omnia
Corda, voces, & opera.

3. DIES IANVARII.

Principium quantitate est minimum, potestate maximum, *Aristot. Elench.* 2.

Ut nova facies, multum dependet à principio.

ANni vix nati adhuc sunt incunabula, lucescentis tantum est crepusculum, orientis principium. Hic igitur stans in anni exordio, si quid habes ingenij, si quid industriæ, id totum impende, & expende, ne patiaris irreparabile dispendium, si negligas anni principium. Hujus te moneat, & ad cautelam moveat illa hujus diei tessera, ex Lyceo deprompta: *Principium quantitate est minimum: potestate maximum.* Hic tibi propone duo sibi [illegible]ostra Minimum, Maximum. Cave minimi facias principium, quia Minimum: quidquid enim inde sequitur, seu damnum, seu lucrum, est Maximum. Bonum enim cujuslibet rei principium, optimi finis est augurium. Qui porrò male incipit, pessimè desinet. In anni exordio, temporis feriæ, sunt secuturi per annum temporis, velut exequiæ. Perdes cuncta, si sis cunctator.

II. Error in principio parvus, progressu fit magnus, in fine maximus. Primum duarum viarum divortium, spatio licet est minimum; vix enim uno distant gradu: at sensim protractum, desinet in maximum intervallum. Hæ enim geminæ viæ, quæ vix binis distabant palmis, jam distant plus quam sexcentis leucis. Quantus error, ex quantillâ origine! Attende. Nullum est momentum temporis, cujus pretium non sit infiniti ponderis, & negliges hujus temporis principium? Ab hujus anni exor-

Virg. 1. Æn. dio, velut à puncto linea, sequitur *series longissima rerum*, ac temporum: videlicet 12. Menses, 52. Hebdomades, 365. Dies, 8. millia horarum & 760. Tanti temporis successus, dependet à temporis principio. Et quia hic annus fors tibi erit postremus, ab ejus principio fors pendet tua salus. Quam ob rem si sapis, imo ut sapias, audi monitum, & sequere consilium.

Eccl. 9. 10. *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare.* Imo quidquid potest facere reminiscendo Memoria, cogitando intellectus, cupiendo voluntas, quidquid possunt facere quinque in corpore sensus, & singula corporis membra, hæc totum, totis, & corporis, & animi facultatibus, omnibus & Naturæ, & Gratiæ viribus aggredere, & non oscitanter sed instanter operare tu hujus anni principio. Quo quod fers mense Januario, multo exculte Dyscolon.

III. Ut

III. Ut porro quod oportet facere, cito facias: præibit Pastor prius ovium, Rector dein hominum, David. Is cum audiret velut ex alto resonare Dei classicum ad castra sua evocantis: cum sentiret se totum Divino repleri afflatu, ac cælesti instinctu ad novum, atque excellius vitæ genus cieri: statuit mox aliam ordiri vitæ telam. Sed quando? An post annum? Hoc nimis erat serum? Post mensem? Adhuc citius; post diem? Et illud videbatur lentum; post horam igitur? Vel hora nimis erat longa mora. Quando ergo? Audi loquentem, sequere præcuntem. *Dixi: nunc cœpi.* Non differam in crastinum, non in sequentem horam, non ad momentum temporis; sed hoc loco, hoc momento, nulla interposita temporis mora; denique non paulo post, incipiam, sed *nunc cœpi.* Tale sit & tuum decretum. Nunc cum est dies salutis, nunc cum favet tempus, quod est acceptabile, ætas quæ floret, valetudo quæ est integra, dum cælum promissum mihi in præmium: Hodie non incipiam, nec cras, sed jam *nunc cœpi.* *Per multum cras, cras, tandem dilabitur ætas.* Januar. *Psal. 76. 11.*

4 DIES IANVARII.

Ordo est, quem si tenuerimus in vitâ, perducet ad Deum, quem nisi tenuerimus in vitâ, non perveniemus ad Deum. *Aug. l. 1. de Ord. c. 9.*

I. RErum principium, tenere in rerum successibus principatum, fuit hesternæ relleræ argumentum. Sed ne in principio devies ab eo qui est principium, sit tibi pinceps labor servare ordinem. Nec enim qui venisti à Deo, pervenies ad Deum nisi beneficio ordinis. Vt hunc serves, quid sit ordo observes. *Ordo est dispositio plurium, tribuens unicuique quod suum est.* Graviter necesse est tibi impones, nisi graviter omnia suo ordine disponas. Nec unquam veris tuis, nisi tribuas unicuique quod est suum. Servandum esse ordinem in omnibus, docent omnia. *Ordo Cœlestis, & terrestris continet. Ordo in ijs quæ ratione intelliguntur, ordo in ijs quæ sensu percipiuntur, Ordo in Angelis, Ordo in astrorum motu, magnitudine, mutua relatione, splendore. Ordo in anni partibus, & temporibus, apte & distincte in progredientibus, tum recedentibus. Ordo in die, ac nocte mensura, & varietate. Ordo in elementis, ex quibus corpora constant. Ordo cæcus in cæcum devexa, altera exporrecta, terram supposuit, humilem nostram sedem, atque in ea vitam* In omnibus servandus ordo. *Gerson. T. 4. de fin. terminor.* *Greg. Naz. Orat. 26.*

Januar. *contraxit: ventos emisit, aquas in nubibus astrinxit.* Itaque in omnibus servavit ordinem Auctor ordinis. Vnde rogatus Themistius quod esset proprium opus Dei? Scite respondit: *Omnia ex sua confusione, & perturbatione,* Orat. 14. pag. 333. *ad ordinem suum revocare.*

II. Contra, ordinis defectus, est certus rerum interitus. De hoc idem Supra citat. Gregorius. *Sine ordine, perturbatio, & confusio; in aere tonitrua, in terra motus, in mari naufragium, in urbibus bella, in domibus dissidia, in corporibus morbi, in animis peccata.* Ruit sine ordine Megalo-cosmus, & stabit sine eo Micro-cosmus? Quid est homo sine ordine, nisi corpus sine capite? Non tam homo, quam monstrum hominis. Si sit in vita tua rerum Chaos, & Prov. 10. 5. confusio, eris *filius confusionis.* Ordinis est vitium, ancillam dominari, dominam ancillari. Vt ergo sit ordo, subsit corpus animo, animus Deo. Qui ambulas supra terram, noli te demittere infra terram. Si tui intelliges originem, illa te docebit ordinem. Rogatus unde sis? Cogeris cum Chri- Ioan. 8. 23. sto respondere, si verum velis fateri. *Ego de supernis sum.* Quid ergo quæ- Deut. 4. 39 ris in terra deorsum, cum sit *Deus in cælo sursum?* Qui es sublimi in cælum aspectu, noli esse declivi in solum affectu. Te perdes, nisi in te ordinem serves.

III. Serva ordinem in animi tui politia, qui servatur in Republica: ubi liberi parentibus, servi heris, clientes patronis, discipuli Magistris, indocti sapientibus, viles nobilibus, pauperes opulentis, plebei Magistratui, Magistratus Consuli, hic Principi, se submittunt. Sine hoc ordine venustas Reipublicæ perit, imo Respublica ipsa interit. Idem tibi metue, si non dispensantur omnia ordine. Habeat in hoc ordine quodlibet opus, suum locum, & quodlibet tempus, suum opus. Hæc si inter se sint connexa & intricata, & instar catenæ suis annulis egregie composita, musicam veluti quandam efficient resonantem, quæ suo decore tenebit omnium oculos, rapiet animos. Sine hoc ordine, erit in omnibus actionibus fluctuatio, in negotijs hallucinatio, in omnibus funesta confusio. Hoc malum si putas leve, fies tibimetipsi gravis: nam juxta vetus metrum.

Inordinatus animus, pœna sibimet est sua.

5. DIES IANVARII.

Primas apud nos curas, quæ prima habentur, obtineant. *Eucher. Epist. Parane.*

I. NOn satis est velle in vitæ progressu servare ordinem, sed in ipso ordine servandus est ordo, ut serveris per ordinem. Quapropter re in ordine servando actum agas, is tibi sit norma agendi, qui est purissimus actus, Deus. Statim ubi cæpit esse tempus, cæpit, per quem sunt tempora, operari Deus. Quæris, quod fuit ipsi initium operis? Hoc tibi suggerit primum caput Geneseos, & ex eo intelliges seriem observandi ordinis. *In principio creavit Deus cælum & terram.* En ordinem. Primò cælum, deinde terram. Totum nostrum vivere, nil est nisi aliquid quærere. Quæris quid sit tibi primò quærendum? Respondeat qui te quærit. *Quærite primum regnum Dei.* Cælum comparare, & cælestia curare, sit tibi cura non tantum prima, sed tota. Illud igitur sit tibi quæsitu primum, quod est inventu summum. Creatus est tibi animus non tantum è cælo, sed propter cælum. Periculum igitur, imò perniciem tibi creas, si aliud impensius ambis præ eo, propter quod es creatus. Primùm quærendũ cælum. *Gen. 1. 1.* *Luc. 12. 13*

II. Quælibet animi actio, est quædam veluti creatio. Dum quippe animus agit, aliquid esse incipit, quod non fuit. Memoria dum quid recolit; Intellectus dum cogitat; voluntas dum amat, aliquid creat. In principio hujus anni, lecturi incipis, futuræ hebdomadis, cujuscunque diei, illud quod creas, sit primum ordine, quod Deo fuit primum in creando, tempore, cælum, id est Regnum Dei. Porro Regnum Dei, est ipse Deus, hic regnans in nobis per gratiam, postea per gloriam. Debet ergo illud quæri ut finis, quia quod quæritur ad nostrum bonum, nihil est supra, vel ultra. Propterea hoc ergo unum faciendi sunt omnia, quæcunque facimus. Si quid autem quæras quod est sub cælo, quærendum est propter cælum. Si alia præ hoc desideres, ita & perdes tu, & perdem ego. Quid sentires de homine, qui, quia commodior est calceus quam pes, partem abscinderet pedis, ut calceo respondeat? Insanires, nisi insanum censeres. Est enim calceus propter pedem, non pes propter calceum. Par tua est vesania mentis, insania cordis, dum perversus inverso ordine præfers terram cælo, tempus æternitati, corpus animæ, æs aurum.

III. Si autem Regnum Dei præ omnibus quæras, ut præ illo omnia negligas

Januar. negligas. Terra, cum sit infra te, est calcanda, non adoranda. Indignum est, animal dignissimum, rectum, & ad cælum erectum curvari ad terram. Ideo statum sublimem, præter cæteris animantes accepimus, ut non revolvamur deorsum, nec hunc cælestem vultum projiciamus ad terram, sed oculos eo dirigamus quo illos naturæ suæ conditio, direxit, nihilque aliud adoremus nisi solius opificis nostri Numen. Venisti in mundum, non ut esses de mundo, sed supra mundum, ut sic aliquando sis intra cælum. Illum despice, hoc suspice, ut te olim suscipiat. Et illud altè menti imprime, frustra sum, frustra hic vivo, frustra omnia, dum hic dego, ago, totoque cælo aberro à cælo, si quid studiosius quæro, & impensius opto præ eo, quod est optabilium omnium optabilissimum, Cælum. Procul à à nobis illud pessimum pessimorum axioma: *Quæ supra nos, nihil ad nos.* Imo nihil magis est nostrum, quam quod est supra nos. Tametsi angusto calle tenditur ad illa, quæ sunt sursum, pij vatis calculo, dum ita canit:

Est iter angustum, quod ducit ad æthera sursum.

6. DIES IANVARII.

Qui se sibi Magistrum constituit, stulto se discipulum subdit. *Bern. Epist. 87. ad Ogeri.*

Opus est Directore in via perfectionis.

I. QUid refert scire, ut ordinem serves, ea esse eligenda primum, quæ dignitate sunt prima, si quæ illa sint, ignores? Ideo digendus est Magister, sub cujus deciplinâ sis in viâ vitæ, non tantum ab errore tutus, sed à metu erroris securus. Si nolis esse discipulus hominis, fies tibi ipse magister erroris. *Nulla ars sine tempore discitur, & absque præceptore. Ars artium sola sine Magistro percipitur?* Nunquam te è servitute vitiorum manu mittes, nisi habeas qui te ad libertatem manu ducat. Trini illi ex Oriente Reges, cum ad illum tenderent, qui est Via, habuerunt viæ ducem è cælo stellam. *Stella antecedebat eos.* Auspicijs stellæ, ducti sunt ad solem. Tres tibi sunt animi vires, velut totidem Reges: non regent illæ nisi regantur. Nec unquam eris tui rector, nisi sit tibi carus director. Si tibi velis esse magister, cum sis ignorans, quid discès nisi ignorantiam? Quomodo enim sub tui magisterio aliquid scies, cum ne id quidem scias te nihil scire? Quæ tamen scientiæ pars est, non tantum magna, sed prima.

5. *Nilus. lib. Asce.*

Matt 2. 9.

II. Bina te ad hujus disciplinæ capessendæ necessitatem doceant, &

me

moveant exempla. Alterum D. Augustini, cujus hæc sunt verba: *Si posses me docere, quod ignoro, libentissime te sufferrem non solum verbis increpantem, sed & verberibus castigantem.* Alterum D. Anselmi, qui dicebat: *Mallem inter pueros sub virga Magistri pavere, quam toti Britanniæ in conventu populorum, Pontificali cathedra præsidere.* Tutius est ut discas descendere ad subsellia, quam ut doceas ascendere ad pulpita. Circa te tetra est caligo, infra te frequens vorago. Pro illâ ut videas, opus est luce; pro hac ne cadas, opus est Duce. Utrobique opus est directore. Nec enim caret crimine, exponere se tanto discrimini. Pericula sunt, non tantum circa nos, sed intra nos. Sed majus omnium periculum est, securitas nostra: nam est omnia pericula. Quomodo potes esse securus, cum ipse tibi sis inimicus? Itaque nusquam non, & nunquam non periclitaris. Intra te, tu ipse tibi es hostis, extra te, totus mundus, intra te totus orcus. Tot inter, & contra hostes, tecum pugnans, & repugnans, audes sine gnaro Duce sperare victoriam?

Januar. *Aug. Epist* 75. *Invita ejus l.* 2.

III. Is porro, quem tibi seliges in hac disciplina Magistrum, sit talis, qui tibi plus prosit exemplo, quam præsit imperio: qui tibi consulat, dum illum consules: qui (ut vocat D. Benedictum D. Gregorius) reddat te *scienter nescientem, & sapienter doctum*: qui doceat te pauca loqui, sed multa facere; cujus conversatio, vim præcepti obtineat; cujus vita, sit vivendi norma; cujus aspectus, sit morum censura; qui sic agat, sic dicat, ut ne à Momo quidem possit reprehendi. Hujusmodi Ducis auspicijs, in hâc lubricâ arenâ prælia Domini præliaberis, non tantum fortiter, ne vincaris, sed feliciter, ut vincas. At necesse est, ut illius in omnibus audias monita, sequaris consilia, exequaris imperia: & poteris sic impavidus ire inter pericula & contra pericula. Hujus prudentia, tibi erit, quæ te antecedet, stella, cujus lumine duceris in hac vita ad Bethleem, domum panis; post hanc vitam in Jerusalem, visionem pacis. E cælo affulgebit tibi stella, Dei gratia; in terris prælucebit tibi lucerna, hominis industria. Hâc geminâ luce, evades filius lucis. Nec in tenebris excuties, prælucente pedibus, & oculis hac lucerna. Cum teste Poëta:

Gregor. l. 2. *Dial. in Pref.*

Vt melius cernam, porto de nocte lucernam.

7. DIES IANVARII.

Sive parum sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest. *Aug. Tract. 18. in Ioa.*

Præter directionem hominis requiritur Gratia Dei. Ab ea habes ut possis.

PArum proderit, imo multum oberit, nactum fuisse gnarum, & gnavum qui te instruat Magistrum, cujus instinctu cognoscas facienda, nisi cognita facias. Trina sunt quæ te deducant ad SS. Trinitatem, Posse, Velle, Facere. Posse habes à Patre, ex quo omnia, Velle à Filio, per quem omnia. Facere à Spiritu Sancto, in quo omnia. Posse facere bonum, unde merearis cælum; ejus solius potes auxilio à quo est omne bonum, imo qui ipse est omne, & totum, & summum Bonum. Hoc auxilium, quia sine meritis nostris datur gratis, vocatur Gratia. Hæc nisi in via ad vitam euntem præeat, comitetur, sequatur, totum tuum ire, nihil est nisi perire. Hinc intelliges ejus necessitatem, ex ea cognosces ejus dignitatem, ex hac tui vilitatem. Quia sine ea non tantum parum, sed quo nihil minus potes, nihil potes: sine ea licet sis à Deo, tamen coram Deo es nihil. *Si charitatem non habuero, nihil sum.* Hìc te deprime infra omnia, ut agnoscas tuum nihil, Imo nihil non faciendum, ut intelligendo tuum nihilum, te nihili facias.

1. Cor. 10. 13.

II. Homo es; unde homo nisi ab humo? Humo quid humilius? Elementum brutum est, & inter cætera imum. Humus ex nihilo est. Hæc tui est origo. Sed qui nihil es, nec potes per te, omnia potes ejus auxilio, per quem es. Hoc auxilium ut nihil non possis, semper tibi adest: & dum adest, nihil tibi deest; modo tibi non desis. Felicissimus es, modo agnoscas te felicem, & cognoscas tuam felicitatem. Eam intelliges, & simul diliges, si quid sit Gratia, quæ animam nobilitat cognoscas. Intellige quid sit Gratia, & stupebis hactenus à te non intellectos, immensos, quos possides thesauros. Gratia est pulchritudinis divinæ quædam particula, animæ divinitus infusa, tam amabili luce eam venustans, ut rapiat in se Dei oculos, eamque non tantum quasi esset totus oculus inconvivi obtutu aspiciat, sed ut pupillam oculi diligat. Hâc Gratiâ, anima supra limites terræ, & ultra omne quod est naturæ, evecta, impatiens humi repere, nec gentilitij luti jam vernacula, fit repente Divinæ patticeps naturæ, consors gloriæ, hæres regni.

Æstima

III. Æstima nunc inæstimabilem tuam sortem, dum divinæ naturæ es consors; & simul plange intolerabilem quam insanis insaniam, dum tanti boni tam facile jacturam facis, & feciſſe, nihili facis. Quem si quando ex illo excelsissimo dignitatis gradu, & felicitatis statu excors vecordia voluit in præceps, tanti casus dolor nec gemitum è corde exprimit: tantum abest, ut dum Gratia jam abest, exhorrescas animo, & contremiscas corpore, esse te è statu, & ordine ultra Seraphinorum conditionem constituto, infra belluas, monstra, dæmones immani ruina devolutum, reum odij omnium, & quod sequitur, supplicij sempiterni. Non possum nec ego dicendo efferre, nec tu cogitando comprehendere, quid sit inseri in genus divinum, venire in partem divinitatis, undique infinitæ, unumque cum eo conflare. & fieri quodammoda Deum. Hoc assequi cum sit supra vires naturæ, solus capit auctor naturæ. Sine hoc auxilio, *Ipsa si cupiat salus, servare prorsus non potest* tuam animam. Ut ergo bonum possis, hoc bonum posce, ab eo sæpius si popoſceris dabit tibi. Promptior est enim Gratiam tibi dare, quam tu, vel alius quispiam accipere. Urget enim ut accipere velis, & irascitur si nolis. Magni ergo fac illud donum, quod te facit magnum, & ex humili erigit in altum: datur enim ab eo qui ipse est donum Dei altissimi: nec est quod hic ultra poscas, nam si Poetæ est fides. Januar. *Terent. Adelph.*

Dum influit hoc donum, confluit omne bonum.

8. DIES IANUARII.

Nostrum est velle, sed voluntas ipsa & admonetur ut surgat, & sanatur ut valeat, & dilatatur ut capiat, & impletur ut habeat. *August. de Viduit.*

I. Nihil potest, ut quid agas Posse, nisi sequatur & Velle. Ut quis bonum quod potest velit, est partim naturæ humanæ, partim gratiæ divinæ. Potes ergo bonum Velle; sed nec hoc posses, nisi ut monet tessera, gratia voluntatem & admoneret ut surgat, & sanaret ut valeat. Ergo Velle bonum, habes à gratia illius, qui est summum bonum. Velle est quidam animæ motus: Si sit motus, ab alio movetur testante Philosopho; *Omne quod movetur, ab alio movetur.* Hinc intendit convincere dari primum aliquod principium, quod movet omnia, & à nullo movetur. Vin exemplo id probari? Securis movetur à fabro, beneficio manus, & hæc virtute brachij, brachium porro ut se moveat, habet à corde, & nervis. In cor autem Non sufficit posse, opus est & velle *Arist. l. 7. Phys. initio.*

Digitized by Google

Januar. jugiter influit anima nescia feriari. Quod autem anima motum impertiat cordi, arteriis, & musculis, habet à Deo, qui stabilis, immotusque manens, dat cuncta moveri.

II. Cum igitur animæ motiones ad naturæ referantur motus, etiamsi sint supra gradum naturæ, non potest anima se movere, ad ausus divinos, & actus cælestes, nisi moveatur ab Auctore naturæ. Enimverò omnis animi nisus, cum dirigens ad gratiam, & gloriam, motio est: igitur ut se possit movere habet ab alio, (fatente id Philosopho) non à se, nec alio extra se, igitur ab illo; qui cum omnia movet, à nullo movetur. Hic solus qui est principium omnis motus, animum ut agere possit, movet, ut agere velit, permovet. Ut animus se moveat, non habet à primo mobili, sed à primo
Act. 17. 28. movente, in quo uno *Vivimus, movemur, & sumus*. Qui autem immotus movet omnia, ut & te moveat, non tantum est cupidus, sed obvius Unde cum opitulante gratia possis quodlibet bonum velle, si quam facile quid possis, tam serio velis, quidquid volueris, eris. Eris igitur si impense cupis, non tantum inter omnes, primus, sed inter omnia, summus. Agnosce hic tuam in volendo potestatem. Potes gratiæ beneficio quidvis velle, velle porro est se movere: potes igitur qui humi stratus contemptibiliter repis, per minima, movendo te erigere ad maxima. Potes te movere à terra ad cælum, à tempore ad æternitatem, ab humanis ad divina, à vitiis ad virtutes, à via lata, ad viam arctam, à quovis malo ad quodvis bonum.

III. Inde jam conficio; Christianæ perfectionis cælum in duobus polis immobiliter movetur; videlicet Nolle & Velle. Nolle quod Deus non vult, velle quod vult: nolle quod lex prohibet, velle quod jubet. Scribatur in polo Artico, Velle, in polo Antartico, Nolle, ut in his duobus polis tota lex pendeat, & Prophetæ. Cum enim voluntas & Velle possit, & Nolle, dum vult quod scriptum est in lege, & non vult quod vetitum est, jam habet quod scriptum est in capite libri; quod est caput omnis boni.
Ps. 39 8. Quid illud? *In capite libri scriptum est de me ut facerem voluntatem tuam; Deus meus volui*. In omnibus facere Dei voluntatem, est perveniſſe ad ultimam lineam felicitatis. Dei voluntas, est omnium voluntatum Regula: quapropter est norma recti, & forma obliqui; quæ & deflexa corrigat, & recta dirigat: quæ demonstret fugienda mala, & sequenda bona. Omnia mala ex hoc fonte scaturiunt, quia voluntas humana, opponitur voluntati Divinæ Quid agendum ut vitia declines, virtutes sectaris. Corrigatur voluntas disturta cum rectâ legis regulâ, & habes quod ad bonum tuum cupit, omnia. Sit pro clausulâ D. Augustini sententia: *Ecce tu volebas tibi aliquid accidere: sed Deus aliud voluit: Duæ voluntates sunt; sed voluntas tua corrigatur*

ad

ad voluntatem Dei, non Voluntas Dei torqueatur ad tuam. Prava eſt enim tua, Januar.
regula eſt iſta. Stet regula, & quod pravum eſt corrigatur ad regulam.
Fruſtra conatur, cui non Deus auxiliatur.

9. DIES IANVARII.

Gratiâ agitur, non ſolum ut faciendâ noverimus, ſed ut cognita faciamus. *Auguſt. de grat. Chriſt. c. 12.*

I. Hic demum eſt Chriſtianę perfectionis apex, humanę felicitatis vertex, bonum quodvis quod potes, velle, quod velis, facere. Et hoc fateri debes, te gratiæ debere ut monet teſſera. Audi, & quidvis aude: *Deus qui operatur in vobis, & velle, & perficere.* Qui operatur in te velle, eſt Bonitas; qui perficere, eſt Potentia. Quid dubitas perficere, ubi ut velis, Bonitas excitat; ut facias, Potentia adjuvat? Hinc jam duo emergunt, quæ toto marte ſibi repugnant. Alterum eſt Chriſti, alterum eſt Pauli. Sic Chriſtus: *Sine me nihil poteſtis facere.* Sic Paulus: *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* Ecce hic gemina abyſſus: Nihil, Omnia. Nihil, quid minus? Omnia, quid majus? Nihil, quid inaniùs? Omnia, quid plenius? Nihil, quid profundius? Omnia, quid excelſius? Ecce gratiæ neceſſitatem, ſine qua potes penitus nihil: ecce gratiæ poteſtatem, cum quâ potes divinitus omnia. Ex hac utraque abyſſo, emergunt duæ virtutes; quæ ſunt perfectionis cardines; ſumma hinc Humilitas, inde Magnanimitas. Illa te ad infima demittet, quia nihil potes, hæc ad ſumma te attollet, quia omnia potes. Illa te monet ut timeas, hæc te movet ut audeas. Poſt velle & poſſe; ſequitur facere. *Philip.* 2. 13. *Ioan.* 15. *Philip.* 4. 13.

II. Si gratiæ auxilio potes omnia, quid ſinis eam feriari, cum per eam poſſis dominari in omnia? Si vis, potes corpus inſolens domare: coërcere perturbationes, cupiditates frangere, indicere male aſſuetis æterna exilia, reſecare affectus, & neceſſitudines vitioſas. Quid dico? potes cum laureatis illis Chriſti Pancratiaſtis, prenſare fortiter, & exhaurire hilariter crudelitatis impiæ totam barbariem, & lente mori, ut ſæpius moriaris. Potes cum illis Anachoretis, & ſilveſtrium rupium incolis, in anguſto cavo, clam cunctis mortalibus, inediâ corpus macerando, & carnem te vexantem vexando, in terris cæleſtem, in corpore Angelicam, inter homines divinam vitam vivere. Potes ut Apoſtolici illi Heroës, te contemptu fortunarum reddere fortunatum, nihil habendo, nihil non habere, ſubjicere tibi omnia, te nulli. O prodigium gratiæ! hanc ſemiquaſſatam arun-

Digitized by Google

Januar. dinem, hanc plumam, hanc bullam, hoc dicam somnium, hoc nihilum, in columnam ferream & murum æreum firmantis, quibusvis hostium machinis fortiorem!

III. Quid nunc in mundo quæris, cumm te quærat, qui est supra mundum? Quid expetis in cælo, vel in terra, cum illum per gratiam possideas, qui in principio creavit cælum & terram? Quid hæres in contractis limitibus naturæ, jam evectus ad culmen gratiæ? Quid quæris præter Deum, qui invenisti gratiam apud Deum? Quomodo qui ascendisti ad consortium naturæ divinæ, atque adeo in supremo rerum fastigio, inter omnia sublunaria emines præ omnibus, demittis te ad vilia, & humilia, ad muscas in aëre, ad scarabæos in fimeto, ad vermiculos in terra, ad talpas sub terra? Quis te undique stupor invaderet, & totum raperet, si vermiculum despicabilem, è putidi canis olido cadavere assumi videres, & efferri ad naturam supremi Angeli, ut qui antea repebat in tabe vermiculus, jam esset in cælo Angelorum primus? Major est tua metamorphosis & altior dignitas, dum è peccato assurgis ad gratiam. Tunc enim superas naturam omnem, non tantum creatam, sed quæ potest creari. Tota, cum toto suo bonorum apparatu natura, subdit se gratiæ: illique fasces submittit, omnis ejus pulchritudo, potentia, opulentia, sapientia, scientia. Attendite eruditi, & vos potissimum juris periti.

Gratia fit plurii, quam tota scientia juris.

10. DIES IANVARII.

Si non esses operator, Deus non esset cooperator.

Augusti. l. de lib. arbit.

Necesse est cum gratia cooperari. *Luc.* 19. 20. *Matt.* 25. 10.

I. ADmodum nihil juvabit te habere juvantem, quâ omnia possis, gratiam, si tantum donum, quantum inter naturæ dona nullum nec est, nec esse potest præstabilius, ut piger ille in Euangelio, vel reponas in sudario, vel fodis in terram? Culpa non vacabis si gratia Dei in te fuerit vacua. Hîc ergo totus tuus impendatur, & intendatur labor, ut gratiam admissam conserves, conservatam augeas. Hæc una est honesta avaritia, velle semper crescere gratiâ. Hanc innocentem avaritiam docebit te homo noxie avarus? Puderet te non facere pro auro, quod alij faciunt pro luto? Quid ni te pudeat, non facere, qua salutem obtineas, pro gratia, quod avarus, qua salute excidat, pro pecunia? Quid potest minus exigi, quam, ut

sis

sis optimus, imiteris hominem pessimum? Quis magis displicet omnibus, quam qui vult habere omnia, Avarus? Non major à te requiritur labor, ut placeas Deo, & Sanctis Dei omnibus. Itaque non plus à te poscitur pro magna Gratiâ, & cæli Gloriâ, quam quod ultro inimicus Dei molitur pro vitio, & tartaro. Avari opum, cuivis sunt odio, sibi, suis, omnibus: quia nulli prosunt, imo nulli non officiunt: aut usurpando, aut impediendo, aut negando bona temporalia, sibi auferendo cælestia. Contra, avari rerum spiritualium, innocentes sunt, amori omnibus, accepti singulis, quia se ditant sine alterius damno. Januar.

II. Observa hìc discrimen inter Avaritiam pecuniæ, & gratiæ. In bonis æternis avaritia est laudabilis, in caducis detestabilis. Gratia est, ut servetur; pecunia, ut erogetur: hæc enim non est bona nisi dispensetur bene. Gratia non prodest, nisi servetur: sic tamen ut ejus fructus communicatione non minuantur, sed potius augeantur. Quid igitur omittis facere cum fructu, & merito, quod alij cum damno & flagitio? In cælestibus bonis nihil æstima parvum: hic enim omnia sunt maxima, quia æternitatis semina. Sicut oculum videntem parvas stellas, ratio corrigit, & docet singulas multo majores totius terræ globo: sic opinionem tuam, dũ ju dicas in Gratiæ seu usura, seu jactura, aliquid esse parvum corrige, & existima minutissimæ occasionem accumulandæ Gratiæ, pluris æstimandam, quam universi imperium. Nec otiosum sinas nobilissimum lucri spiritualis instrumentum, voluntatis desiderium: cupias feciſſe, quod nequis facere. Votis locupletissimus fies.

III. Hinc cum vides, audis, legis opus virtutis heroicum, optes illud feciſſe, & coram Deo Heros es. Qui approbat peccatum, perinde est ac si peccasset. Nam testimonio Salviani: *Cum ab homine mala res, sola necessitate non agitur, ipsa rei turpis cupiditas pro actione damnatur.* Si ergo nocuit, qui nocere tantum voluit, ita bene feciſſe censebitur, qui benefacere disposuit. Facilius enim est Deus ut remuneretur, quam puniat. Avarus nihil relinquit quod non desideret, cum tamen desideria illi non serviant, nisi ad majus tormentum: quid ageret si simul, ac concupisceret res, possideret? Hæc facilitas, & felicitas fœnoris est in avaritiâ religiosâ, & spirituali. Vota non erunt ei supplicium, sed ad gaudium, ob emergens inde meritum. Quam facile est lucrum, solius voti quæstu! Considera uberem censum desiderij, & quam sis locuples, etiam in extremâ penuriâ, solâ voluntate: nec vacare sinas usuram tam quæstuosam rei tantæ. Sic labore nullo, tempore vix ullo, ditior evades meritis, quam Crœsus divitijs. Hoc discrimine, quod, qui avari sunt sine crimine, fruuntur dum laborant, quiete, *De Gub. l. 6*

Digitized by Google

Januar. quiete, quia acquisitis acquiescunt: male avaris nunquam est satietas, quia nunquam satis. Vere enim cecinit ille:

Non est in mundo dives, qui dixit, abundo.

11. DIES IANVARII.

Ingens intervallum inter te, & cæteros fiat.

Seneca Epist. 53.

Vt cum gratia cooperaris, necessarius est aliquis secessus.

I. SI tibi certum est cum Deo, & Dei Gratia operante cooperari, curæ tibi sit ne vivens cum vulgo, opera tua sint vulgaria. Potes cum Dei Gratia omnia, quid supereſt quam ut ejus ope, antecellas omnibus? Hoc est „quod intendo tibi suadere, ut contendas non esse quasi unus de multis, sed inter multos singularis. Sis in mundo, sed non de mundo; in terra, sed supra terram; in corpore, sed quasi extra corpus; cum hominibus, sed quasi sine hominibus. Paucis ut complectar omnia, ut *ingens intervallum inter te, & cæteros fiat.* Sic vive, ut cum definendum erit vivere, te vixisse, nec ob fœditatem pudeat, nec ob perversitatem pœniteat. Sic vive, ut posteritas sciat, te vixisse. Sic vive, ut alijs sis vivendi, non tantum quod intueantur exemplar, sed quod imitentur, exemplum. Sic vive, ut mori te posse judices, non extingui. Sic vive, ut sis potius vitâ melior, quam famâ clarior. Ut in hâc vitâ mortali, magnâ animi excelsitate efferas te supra id omne, quod est mortale; & sic libera voce diças cum Poëta: *Non est mortale, quod opto.* Ad hoc te ducam fastigium, & quod mirere per temporis, & laboris compendium, si lubeat audire, & non pigeat sequi, quod suggeram Consilium.

II. Cum ubique plurima sint homini, ab homine mala, ut declines mala, & sectando bona, evadas bonus, necesse est ad tempus recedas ab hominibus. Rari inter homines, homines sunt, aut hoc agunt, quod agendum, id est, quod Natura, Ratio, Religio suadet. Ideo nunquam eris minus homo, quam in turba hominum. Imo non tantum cupio recedas ab hominibus, sed à rebus. Fuisti hactenus inter catenatas occupationes otiosè negotiosus, & dum omnia egisti, nihil egisti. Inter tua, non fuisti tuus. Palabundus animus hinc, inde late extra se vagatus est. Atque ita inter multa, fuisti multus: fige tandem pedem in uno, ut sis unus. Et qui te negotijs non accomodasti, sed tradidisti, te tibi redde, & ad te redi. Non est quod expectes immixtus turbis; nisi in corde turbas, in mente umbras.

Est

Est enim turba plebis, turbo pacis. Sic enim modò vivitur, ut in plurimis hominibus, vix quidquam reperias hominis, præter figuram corporis, Januar.

III. Illud existima extra omnem dubitationis aleam, fieri non posse, ut quis menti ornandæ, & instituendæ serviat, nisi se ultro ab hominum societate, commercioque abducat. Tunc demum vacabit tibi, vacare bonæ menti; nam ipsius Ethnici Philosophi calculo, *Omnia impedimenta dimitte, & vaca bona menti; nemo ad illam pervenit occupatus.* Huic accedit Isidori suffragium, quasi Sybillæ folium: *Qui à medio communium rerum strepitu non recedit, & otium non agit, Dei cognitionem assequi minimè potest.* Rectè: Nunquam eris minus à Deo desertus, nec magis coram Deo disertus, quàm in deserto. Desere igitur omnia, ut reperias unum, in quo sunt omnia. A populo semotus ad teipsum accedes propius: Cum antiquitate versaberis: meditando, scribendo, legendo; horas utiliter distingues, & dies duces, & in otio Sacro occupaberis. Nihil enim simili otio negotiosius. Sic æstuantia multorum vota despicies, erigesque velut è nube caput, atque serena contemplaberis. Denique quam es intemperanter cupidus quietis, tam sis certus, nunquam fruiturum te quiete, nisi ad amussim observes illud Allois Abbatis monitum: *Non habebit homo requiem, nisi dixerit in corde suo: Ego, & Deus, soli sumus in mundo.* Ergo ut quiescas,

Vive Deo soli; quod amas caro, quærere noli.

Senec. Ep. 53.

Isid. Peluf. l. 1. Ep. 402.

12. DIES IANVARII.

Tota vita mortalium, plena est peccatis mortalibus.
D. Innocent. de contemp. mundi.

I. HÆc tessera canit classicum, ad illum, quem suasi, secessum. Quis enim vel dolet se peccasse, vel proponit non peccare, non fugiat ubi omnia sunt plena peccatis, vel peccandi periculis? Quis securus sit illo loco, ubi Virtuti nullus est locus? Ubi exemplis malis, & consilijs pravis est imperium? Ubi inveterata in malis consuetudo, lex est? Quasi quidquid placet, deceat: quidquid delectat, expediat? Quid in populari fremitu, & forensi strepitu reperias, nisi contentiones, adulteria, fraudes, injurias, furta, rapinas, homicidia? Vbi sine gubernaculo est navigatio, sine baculo senectus, sine fræno juventus, sine duce cæcitas, sine solatio calamitas. Habitant ibi cupidinarij, & lurcones, ganeones, & gnathones, quibus placet *fornix & uncta popina.* Vt ait Flaccus: habitant ibi *Blan-*

Ad Secessum Stimuli.

Januar. In trinum.

diloquentuli, harpagones, mendaces, latebricolarum hominum corruptores, ut loquar cum Plauto. Ibi habitant circumscriptores, mimi, fures, circulatores, sycophantæ, quibus omnibus unum est propositum, vel fallere, vel lucrari. Hoc te genus hominum excipiet in ipso urbis limine, hæ rerum imagines circumvolabunt, hæc exempla circumstrepent: unde labor tibi erit quin talis fias, quales cunctos inveneris.

II. Sic maxima pars mortalium, belluarum ritu in solum, & soli lutum declivi naturæ impetu prona, corpori obsequens, animi negligens, spiritum trahit inglorium, & anxium; ac licet subinde natura melior admoneat officij, ne aures præstet, strepitus ac popularium errorum fragor, ne audiat, impedit. Nesciunt quid agant, seque id nescire non nesciunt, neque dissimulant. Cum nullis conveniunt, ut qui secum dissident: quos primo mane digressos ad invisum limen, vespera vix tandem revehit. Nesciunt inconsulti homines quid agant; ideo quidquid agunt, mox ut cœperint, vergit in fastidium operis, in tædium temporis; non agenda enim agunt. Hinc ille discursus sine termino, hinc medio calle discordiæ, & ante exitum damnata principia, & expleti nihil. Quærunt quomodo diem fallant, & quasi parum sol ad occasum properet, ingenio cursum juvant. Omnium vox est: Pellamus hanc diem, agamus aliquid, ut interim dies hæc transeat. Dum ita ipsis salutis dies transeunt, ipsi pereunt. Sic illi inter vina & epulas, inter rosas & unguenta, inter cantus & spectacula, Baccho madidi, Venere sordidi, somno marcidi, delitijs languidi, corporis lenocinijs muliebriter effœminati, tædio & voluptatibus defluentes, cum rerum natura perpetuò litigantes, secum vixantes, sic vivunt, ut nihil sit in omni ipsorum vita, miserius ipsâ vitâ.

III. O quàm tumultuosa est vita illius, qui quotidie cum difficultatibus rerum inquieto animo, & inter turbas turbulento colluctatur! Intra pectoris tui fines conclusus mundus insonat inconditis clamoribus, & insanis vociferationibus. Curarum multiplicium fremitu, & negotiorum varietate, fluctuat animus, & reciproco æstu jactatur: qui tum demum è procellis civilium negotiorum, portum subit, dum curis ereptus, & solutus omni solicitudine, gaudet solitudine. Si, quod proprium est Christiano, investiges Christum, frustra illum quæris in foro. Quid enim est forum nisi area laborum, palæstra discriminum, scena fallaciarum, labyrinthus errorum, circulatorum ludus, causidicorum circus, spelæum ferarum: ubi quies est anxia, gaudium trepidum, conatus irritus, grata phrenesis, dulce virus, inconsulta securitas; personata lætitia, larvata Justitia, confusus ordo, tumultuosa confusio, inops copia, dives inopia,

hono

honor inglorius. Audi ſuper omnem ambroſiam ſuavem D. Ambroſij ſermonem. *Non in foro, non in plateis reperitur Chriſtus. Non eſt Chriſtus circumforaneus: Chriſtus enim eſt pax, in foro lites: Chriſtus Iuſtitia, in foro iniquitas. Chriſtus Operator eſt, in foro inane otium: Chriſtus charitas eſt, in foro obtrectatio: Chriſtus fides eſt: in foro fraus, & perfidia. Chriſtus in Eccleſia eſt; in foro idola.* Januar. I. De Virg

Illic ergo Chriſtum quære ubi te quærit, in ſolitudine. Si tibi ſapiat Jeſus, omnia tibi deſipient præter Jeſum. Quia

Dulcior eſt Ieſus, quàm quivis corporis eſus.

13. DIES IANVARII.

Diſce homo non diligere mundum, ut diligas Deum: Averte, ut convertaris. *Gregor. diſp. de temp.* 507.

I. VT in mundo ad tempus deſeras mundum, ſuadebit tibi ipſa mundi calamitas, & eorum quæ ſunt mundi, vanitas. Accipe illam ex calamo illius, qui mundum expertus, tandem omnia in mundo exoſus, hiſce coloribus ejus lineamenta adumbravit. *Heu infelicem mundum! heu miſerum mundum! heu fraudulentum mundum! Verum quotuſquiſque eorum qui de mundo queruntur, explicare poteſt, quis ſit ille de quo queritur. Mundus in quo naſcimur, vivimus, morimur, plurimum differt ab eo mundo, de quo querimur. Vt igitur rem ipſam explicemus: Mundus hic malus, nihil eſt aliud quam mundanorum vita mala, ubi loco terra eſt Avaritia, ignis cupiditas, aqua inconſtantia, aëris levitas & ſtultitia, petrarum ſuperbia, florum oblectamenta arborum celſarum, cogitationes, maris profundi cor. Quid multis? Mundi hujus ſol eſt proſperitas, luna continua mutabilitas. Hic ergo, hic eſt mundus, hoſtis noſter capitalis, amicus fraudulentus, qui aſſiduo nos labore defatigat, qui noſtro nos theſauro ſpoliat, qui ſe bonis formidabilem, improbis amabilem præbet: bonorum maxime prodigus alienorum, propriorum parciſſimus: vitiorum omnium machinator, virtutum cunctarum carnifex: qui ſuos blanditiis ſuſtentat, alienos delitijs allicit: qui mortuorum famam furatur, & vivorum vitam depradatur. Denique mundus is eſt, qui rationem habet cum cunctis, à quo rationem petere nemo audet.* Hæc de Mundo & mundi vanitate, mundi delitijs irretitus Imperator M. Aurelius Antoninus. Quid aliud de mundo ſcribere potuiſſet Anachoreta D. Antonius? Miſeriæ mundi. *Antoninus Imp. c.* 42.

II. Eidem huic tabulæ manum appoſuit, eique quaſi ſummam manum impoſuit Franciſcus Petrarcha, qui hunc in modum ejus faciem delineat. Quid eſt Mundus? *Vas rimoſum, ſpecus inexplebile, tetra domus, breve* l. 8. Ep. 12.

Januar. *diverſorium, fœdus carcer, latens præcipitium, procelloſum pelagus, vadoſa litora, anceps portus, officina ſcelerum, ſentina libidinum, caminus irarum, puteus odiorum, putre ædificium, fundamentum fragile, muri hiantes, tecta labentia, ſtatio inſtabilis: rota volubilis, manens curſus, ſcabra levitas, ſcrupuloſa ſuavitas, blanda crudelitas, fallax amicitia, concors diſcordia, fœdifraga inducia bellum, inexorabile: pax inſida, ſimulata virtus, excuſata nequitia, laudata fraus, honoratum dedecus, irriſa ſimplicitas, contempta fides, nuga ſeriæ, ingenioſa dementia, loquax torpor, velata ignorantia, querelarum ſuſpiria, contentionum ſtrepitus, vulgi fragor, oblivioſa peregrinatio, patriæ odium, amor exilij, lemurum civitas atq; larvarum, dæmonis regnum, Luciferi principatus.* Quid aliud de mundo ſentire potuiſſet maximus ille mundi oſor D. Franciſcus Minorum Fratrum magnus Patriarcha, quam hic Franciſcus Patriarcha,

III. Adhuc poſt tot diſplicentia placet Mundus? Adhuc inter tot flenda in mundo, arriget tibi mundus? Sine ſublimi vertice mundum deſpicere, ut deſinas ſuſpicere? Aſcende tacitis cogitationibus illam editam D. Cypriani ſpeculam, in qua velut in ſpeculo mundi faciem truculentam contemplaberis. *Cypr. Epiſt. ad Donat.* *Paulliſper te crede ſubduci in montis ardui verticem celſiorem, ſpeculare inde rerum infra te jacentium facies: & oculis in diverſa porrectis, ipſe à terrenis contactibus liber, fluctuantis mundi turbines intuere &c. Cerne tu intinera latronibus clauſa, Maria obſeſſa prædonibus, cuento horrore caſtrorum bella undique diviſa; madet orbis mutuo ſanguine, & homicidium cum admittant ſinguli, crimen eſt, virtus vocatur cum publice geritur: impunitatem ſceleris acquirit non Innocentiæ ratio, ſed ſæuitiæ magnitudo. Iam ſi ad urbes ipſas oculos tuos convertas, celebritatem offendes omni ſolitudine triſtiorem. Paratur gladiatorius ludus, ubi homo occiditur in hominis voluptatem, ut quis poſſit occidere, peritia eſt, uſus eſt, ars eſt: ſcelus non tantum geritur, ſed docetur. &c. O ſi poſſis in illa ſublimi ſpecula conſtitutus, oculos tuos inferere ſecretis, recludere cubiculorum obductas fores, & ad conſcientiam luminum penetralia occulta reſerare, Aſpicias ab impudicis geri, quod nec poſſit aſpicere frons pudica. Videas quod crimen ſit, & videre. Fiunt, quæ nec illis poſſunt placere, qui faciunt.* I nunc, & perſiſte in mundo, ubi nihil eſt niſi vel quod horreas flagitium, vel quod fugias periculum, vel quod timeas exitium. Dictorum Epiphonema, ſit hoc vatis poëma:

Omnis in hoc mundo, fragilis ſtat ſicut arundo.

Digitized by Google

14. DIES IANVARII.

O Beata solitudo! ô sola Beatitudo! *S. Romualdus.*

I. SI tibi hunc Sacrum quem suadeo secessum, non persuaserint Mundi miseriæ, ad eum vel invitum invitabunt solitudinis delitiæ. Quid potest deesse delitiarum homini, cum illic adest cujus delitiæ sunt esse cum filijs hominum? Verè ergo beata Solitudo, ubi sola est Beatitudo. Ejus absconditos thesauros oculis expono. Tu illos aspice, inspice, & inspectos suspice. Solitudo est tempestatum omnium portus, quem qui fugit, quid supereſt quam ut portu careat, volvatur rerum pelago, vivat in scopulis, moriatur in fluctibus! O vita melior supra omnes vitas! vita laborum vacua, meritorum plena, ubi expectatur salus, portatur suave jugum Domini, tacetur, & sedetur, & sedendo consurgitur. Vita reformatrix animæ, reparatrix morum, palæstra luctantium, arena currentium, campus pugnantium, arcus triumphantium, legentium Bibliotheca, indigentium apotheca, meditantium cella, orantium penetrale. Illic quæ voluntas! cogitare, vel spretas mundi delitias, vel contemptos honores, vel bene sparsas divitias, vel despectas voluptates, vel neglectas minas, vel calcatam calamitatem. Ibi solus cum solo Deo, læte præsentibus utitur, & futura æquanimiter expectat: non pendet in crastinum, nihil in posterum diem differt, quod hodie fieri possit, aut debeat: id omnibus modis agens, ne datum tempus, cui neque stimulos addere vult, neque frœnum potest, inutiliter effluat. Solitudinis commendatio

II. Itaque sive consilium est servire Deo, quæ una est libertas & sola felicitas, sive ingenium excolere bonis artibus, sive animum imbuere rarís virtutibus, sive vitam expolire probis moribus, sive aliquid meditando, & scribendo nostram memoriam relinquere posteritati, atque ita dierum fugam sistere, & hoc brevissimum vitæ tempus extendere, paucorum dierum inducias à nobis impetremus, & à futilibus curis, quæ nos obsident, atque circumsonant, animum seducamus. Quapropter relinque urbem mercatoribus, advocatis, proxenetis, fœneratoribus, publicanis, tabellionibus, unguentarijs, lanionibus, cocis, pistoribus, fartoribus, fullonibus, fabris, textoribus, mimis, citharœdis, circulatoribus, lenonibus, parasitis, circumscriptoribus, ac scurris, edacibus odorem fori vigilinare captantibus, qui illi inhiant. Illi semper pendeant, ac volvantur,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Januar. tu ad petram preſſis veſtigijs inſiſte; illi ſemper hæreant, tu progredere. Illi ſemper dubij conſultent, tu tandem ſalutare conſilium exequere: illi denique fugientem mundum amplexentur, tenentque ſi poſſint, tu Deum, & quære dum inveniri poteſt, & invoca dum propè eſt, quin & dum corpus tuum peregrinatur ab urbe, peregrinetur & animus à corpore.

Philo. Quis rerum. Climac. gra. 27. Petr. Cellens l. 4. Ep. 2. Hieron. Epiſt. 41. Baſil. de laud. Erē. Ierem. Thren 3. L. 2. Ep. 7. Epiſt. ad Donat.

III. Vis ad hæc quæ dixi auctoritatis pondus adjici? *Solitudo eſt poſſeſſio Dei. Solitarius eſt forma terreſtris Angeli. Solitudo eſt ambulatorium Dei. Solitarius quaſi quidam novus Paradiſi colonus. Solitudo eſt curia cæleſtium Senatorum.* Placet ſuſpicere, quam altè aſcendat, & quo aſſurgat? Audi Prophetam: *Sedebit ſolitarius, & tacebit: quia levavit ſuper ſe.* Vides ſolitarium levari ſuper ſe, hoc eſt inter homines majorem fieri homine, nullis ſcilicet vitæ hujus calamitatibus tangi, nullis vexari moleſtijs, nullis infortuniorum turbinibus agitari, eo planè modo, quo montis Olympi vertex adeò ſe altè extollit, ut nullo ventorum, ac tempeſtatum impetu quatiatur. Dic ergo cum Hieronymo: *Habeat ſibi Roma ſuos tumultus, arena ſæviat, circus inſaniat, theatra luxurient, nobis adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Domino ſpem noſtram.* Obſignet hoc ſolitudinis elogium D. Cypriani teſtimonium. *Vna igitur placida, & fida tranquillitas, una ſolida & firma ſecuritas, ſi quis ab his inquietantis ſæculi turbinibus extractus, ſalutaris portus ſtatione fundetur, ad cælum oculos tollat à terris, & ad Domini munus admiſſus, ac Deo ſuo mente jam proximus, quidquid apud cæteros in rebus humanis ſublime, ac magnum videtur, intra ſuam jacere conſcientiam glorietur. Nihil appetere, jam nihil deſiderare de ſæculo poteſt, qui ſæculo major eſt.* Tu igitur qui es hæres cæli, ut ſis terra major, & in terra te cælo inferas, ab eorum te commercio ſegrega, qui nil niſi terrena ſapiunt, memor illius metri,

A re terrena procedunt mille venena.

15. DIES IANVARII.

O ſancta Anima ſola eſto, ut ſoli omnium te ſerves, quem ex omnibus elegiſti. *Ber. ſerm. 40. in Cant.*

Solitudinis delitiæ

I. VT ſola Anima ſoli Deo vacet, atque ita fugiendo hominum contubernium, cum illo ſolo habeat commercium, ſcire refert ad quem ſe locum conferet. Gemina eſt ſolitudo, altera exterior corporis, altera interior Animi. Vtraque conjuncta, mirificè tibi conducet. Ut priorem

rem eligas, conſulit D. Hieronymus. *Eligatur tibi opportunus, & aliquantulum à familiæ ſtrepitu remotus locus, in quem tu, velut in portum, quaſi ex multa tempeſtate curarum, te recipias; & excitatos foris cogitationum fluctus, ſecreti tranquillitate componas.* Hic locus ſit in urbe domi tuæ, vel apud Aſcetas in abdito receſſu, vel extra urbem, ubi eſt ſecretio à populi conſuetudine, & inanium rerum agitatione, ubi animus à tumultu communium curarum ſevocetur: ubi non amica, non amicus, non vadimonium, non uſura, non depoſitum, non lucellum, non roſtra, non balneum, non taberna, non porticus in urbe devinciunt. Potes tali frui ſolitudine, etiam in populoſa civitate. Qualem ſibi fabricata eſt Judith. De qua ita ſacri annales. *In ſuperioribus domus ſuæ fecit ſibi ſecretum cubiculum, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur.* Ecce hic, nullo quæſtu, nullo labore non tam quæſitum, quàm inventum ſolitudinis locum. Judith non extra urbis pomœria, intra eremi antra, ſolitudinem quærit, ſed domi ſuæ reperit: non deſerta hominum frequentiâ petit ſaltus & teſqua, ut ſit ſola; ſed in ſuo domicilio, garrulas inter ancillarum ineptias, in ipſa accedentium & recedentium turba, ab omni ſejuncta ſtrepitu, ſola rerum arbitris vacat.

Januar. 2. l. Ep. 20.

Iudith. 8.

II. Non eſt igitur ut ſis ſolus, excuſationi locus, quia ubique eſt ſolitudini locus. Altera eſt ſolitudo non loci, ſed animi, non montium, ſed mentium, non eremi, ſed cordis. Non te ab hominibus ſejungas, ſed cum Deo conjungas: non receſſus ab urbibus, ſed acceſſus ad cælum, attentâ meditatione faciet te ſolitarium. *In populoſâ urbe, amor artifex ſolitudinem reperit.* Nullum vitæ genus eſt adeò degotijs addictum, adeò curis implicitum, adeò ſolicitudinibus implicatum, in quo ſolitudo animi, mentiſque ſeceſſus nequeat reperiri. Quare ſi quæ neceſſitas te cogat hominum cœtus frequentare, ſolitudinem in populo, atque in medio tempeſtatis portum tibi conflare diſcas, artificio non omnibus noto, imperando ſenſibus, ut quod ſentiunt, non ſentiant. Quare in turba, itinere, convivijs etiam, ſibi faciat cogitatio ſecretum. Aliàs nullus locus ſemotus à ſtrepitu proderit, ſi non ſit animus liber ab affectuum fremitu, adſtipulante mihi Seneca. *Quid prodeſt totius regionis ſilentium, ſi affectus fremant?* Nulla nec in ſolitudine ipſa, eſt ſolitudo, ſi Amor, & odium inter ſe rixentur, ſi Avaritia, & Invidia altercentur, ſi Spes, & timor gladientur.

Petr. Dam. l. b. 8. Epiſt. 14.

Epiſt. 61.

III. Sed tamen, ut bene ſit utrique homini, utraque procuranda eſt ſolitudo; loci, & Animi, exterior corporis, interior ſpiritus. Nam in illâ ſolitudine res geritur intus magna; ut nimirum ſis magnus coram Deo, & hominibus: ideo ſegrega te à conſortio hominum. Signum eſt animi humiliter

Digitized by Google

Januar. humiliter abjecti, & humi repentis, quàm minimum secum agere, secretum odisse, eminere foras, cœtus hominum nullo honesto fine celebrare, & imperitæ multitudinis consuetudine delectari. Capta igitur pium secessum, & à turba, atque inanium rerum agitatione solitudinem: & secretus à populis, conquire hujus sublimis Philosophiæ, qua incipias esse tuus, qui instruat Magistrum. Audi monitum aureum Synesij Antistitis. *Quod si hominem nactus fueris, qui strenue, ac utiliter philosophetur, ad eum investigandum & Graciam & Barbarorum oras peragrare minimè reprehendendum fuerit.* Non tantum exigitur à te pro tranquillitate tuæ conscientiæ, quantum is exigebat pro acquisitione vanæ scientiæ. Non opus est ut juxta divina placita utiliter philosopheris, ad remota loca peregrineris. Quot sunt in urbe asceteria, tot sunt hujus cælestis Philosophiæ gymnasia. Non pudeat te, quæ ad salutem conducant discere, quæ ab ea deducant, dedisscere. Recte enim Poëta:

Discat qui nescit, nam sic sapientia crescit.

16. DIES IANVARII.

Non vaco ad istas ineptias: ingens negotium in manibus est. *Seneca Epist.* 49.

Quæ sit illa solitudo.

I. ABditus nunc tu in abdito solitudinis arcano, quid, ne hoc otium sit tibi sine fructu inane, illic ages, quid animo agitabis? Illud nunc ago, ut quid illic sit agendum, suggeram. Ingressus Deo auspice, Dei Gratiâ comite, optabilis tui secessus locum, cælum suspice, & animum à solo in altum erige, & ut tibi persuadeas, hoc quod aggrederis opus, esse omnium tuorum operum Princeps, ideo illud Senecæ tibi occine: *Non vaco ad istas ineptias: ingens negotium in manibus est.* Hactenus inutiliter, pueriliter ineptivi, venatus fumos, sectatus umbras, aucupatus apinas, & affanias. Nunc ago quod ago, negotium quod meditor, non est multis commune, sed paucis (quia pauci electi) singulare. Id igitur altè menti imprime, hoc quod meditaris opus, esse ut loquar cum Origene *Opus operum.* Sicut augustum aræ Sacrificium vocatur à D. Dionysio, *Mysterium Mysteriorum*, quia est dignitate primum, ita & hoc opus est opus operum, quia utilitate summum. Indignum censeas, eam mentem, quæ in religiosa illa solitudine, socia est beatarum mentium, affligere ad ima, & ad vul-

Hom. 5. ad Num.

garis

garis vitæ sordes, ac plebeiæ conditionis humilitatem deprimere, & illum divinum mentis impetum in sublime tendentis, humi affigere. Januar.

II. Hic igitur aperto veluti sipario, scenam in hoc secessu agendorum patefaciam, ut paucis quæ proponam, quàm multa in illo divino otio sint agenda, percipias. Vasta tibi imposita est provincia, cui non urbes, non regna, non exercitus, sed tui pectoris regenda est Respublica. Nullum ulli periculosius incumbit negotium, cum quotidie possis perire, laborare ne pereas. Quod ne fiat, pellenda tibi sunt flagitia, declinanda flagitiorum pericula, tuis è finibus fugandæ libidines, castiganda mollities, comprimenda licentia, erigendus ad meliora animus. An putamus ullam esse inquietiorem Remp. quàm humani status animi est? An credimus leviores nobis esse hic hostes quam apud Numantiam Scipioni? Ille unam urbem, & unum populum oppugnabat, nos tot habemus qui nos infestant exercitus, quot sunt perduelles animi affectus. Quot in hoc prælij genere veteranos, & emeritos cadentes audivimus? Quot prostratos vidimus? Quoties ipsi cecidimus? Quot cadendi periculis exponimur? Omnia circum plena terroribus, Hannibal quotidie est ante portas, nostri molles, & enervati affectus, hostes multi, & indomiti, ingens discrimen, nullus inertiæ est locus, si salutem, si victoriam optamus.

III. Hæc tecum posthac agenda, quid jam cum alijs, & erga alios, si quidèm tibi ipsi non solus vivas? Tunè sine copioso virtutum apparatu, & animi tui impensissimo conatu, vitia in exilium pelles, quod nec Leges unquam potuere, nec Reges? Tunè (quod tamen tuum est, si alijs vel præesse debes, vel prodesse velis) luxum divitibus, furta servis, lamenta paupertibus, invidiam plebi, nobilitati superbiam, fraudem curiæ, injustitiam foro, discordiam multitudini, avaritiam ferè omnibus extorquebis? Facilius erit omne sulphur ex Æthnæ visceribus, omne cœnum è cunctis paludibus egerere, quàm mala hæc, quàm hanc scelerum colluviem ex urbium sentina exhaurire. Quid ergo? Pestes hujusmodi si non potes fugare, potes fugere. Vt fugias, ad solitariæ vitæ portum confugias necesse est. Quàm jucundum, hocce in secessu stare velut in specula, res, curasque hominum, vel pedibus intuentem, videre omnia, teque imprimis cum universitate transire, nec senectutem tacite subrepentem, priùs molestam pati, quàm proximam suspicari. Sed eam multo ante prospicere, & præparare illi integrum corpus, & æquum animum, nosse vitæ umbram hanc non vitam, diversorium non domicilium, viam esse non patriam, non locum quietis, sed palæstram; non amare quæ fugiunt, optare quæ permanent, semper te meminisse mortalem, sed cui promissa est

Digitized by Google

Januar. immortalitas. Adhuc ne times in illa solitudine, defes otium, cui incumbit tantum negotium? Negabis laborem negotijs maximis, qui illum impendis minimis? Nil sine labore.

17. DIES IANVARII.

Vbique possemus invenire cælum, si cor nostrum esset in corde Dei. *S. Antonius.*

Quid in solitudine agendum & cogitãdum.

I. QVàm sit in solitudine suavis Dominus: exemplo suo convincit magnus ille Orientalium, & Orientium Monachorum Princeps Antonius. Cujus hodie memoria cum ab universa recolatur Ecclesia, ab eo, propter eum, prompta est hodierna tessera. Bina fuit ipsi solitudo, corporis, & animi; corporis, in deserto eremi; animi, in corde Dei. In alterâ fuit Eremicola, in alterâ cælicola. Imò aditum nobis patefecit ad cælum in terris, extra cælum, velut aureâ clavi, illâ suâ sententiâ, quæ nobis est tessera. *Vbique possemus invenire cælum si cor nostrum esset in corde Dei.* Vecors est, imò sane excors, qui quærit aliud, in quo quiescat cor ejus, centrum, quàm cor Dei. Hoc cælum, multis celatum, reperit Antonius illic, ubi pauci quærunt, vix ulli inveniunt, in solitudine Ægyptiacâ. Is cum inanis gloriæ fugiendæ causa, ab inhospita eremo fugeret, & ad ripam fluminis sederet, consilij incertus: Vox ad eum de cælo delata est. Sed quæ illa? an forsitan hæc? Fuge solitudinem, urbes cole: locus hic est tœdij, illic gaudij? Alexandriam pete, patriam repete. Audi quam ipse audivit vocem. *Si quiescere cupis Antoni, vade ad interius desertum.*

II. Vix audivit vocem, illicò gessit morem. Et adyta intima penetrans, jam urbes videbantur illi carceres, Eremus Paradisus. Jam declinis ætas vergebat ad annum nonagesimum, cum jussus est quærere alium se ætate superiorem, Paulum Thebæum: quem ubi reperit, cum eo ad fontis exigui ripam, & palmæ veteris umbram considens, tanto lætus hospite, cœpit cum illo de cælestibus arcanis, multis sermocinari. Bone Jesu! quale hominum par, Paulus, & Antonius, quæ suspiria, qui dialogi! qui sermones! Quidquid Principes imperant, quidquid Consules deliberant, quidquid Prætores edicunt, quidquid statuunt Legiferi, quidquid fabulantur populi, quidquid Philosophi disputant, quidquid Rhetores declamant, quidquid Sophistæ cavillantur, sacro illi, ac suspiciendo colloquio admotum

admotum, merissimas nugas, & verborum quisquilias dixeris. Horum ego Januar.
fèniculorum Eremitarum congressibus, ac colloquijs, si datum esset, interfuisse maluerim, quàm Regum omnium consilijs, quæcumque vino, vel avaritiâ, vel feritate ebrij, cum purpuratis suis agitant. Felicior tunc solitudo Thebaidis, quàm quævis cujusvis aula Cæsaris, quæ duos tales accolas uno tempore meruit.

III. Quis igitur etiam cum ambitu non affectet in solitudinem se abdere, in quo reperiet tot abdita bona, quibus evadat bonus, quin & beatus? Finge si potes quid iucundius, quàm solum sedentem sine arbitris, facere omnia suo arbitrio, nec sine merito? Mittere retro memoriam, perque omnia sæcula, & per omnes terras vagari, & versari passim. & colloqui cum omnibus qui fuerunt vel conspicui gloriâ, vel eximij sapientiâ, vel illustres sanctimonia heroës; nonnumquam & te ipsum, & supra se elevatum animum inferre rebus cælestibus, meditari quid illic agitur, & meditando animum inflammare, teque vicissim cohortari. Inter hæc, & lectioni dare operam, & scriptioni, & alternum laborem alterno solatio lenire, legere quod scripserunt primi, scribere quod legant ultimi. Cogitare quotidie quid est, quod reliqui, quid est quod secutus sum? quale est quod patior, quale quod expecto? quantum est quod sevi, quantum est quod metam? quàm brevis temporis jacturâ, imò verò non jacturâ, sed lucro, & usurâ, felicitatem negotier æternam, & dimissis hominum fastidijs, quæ reperiuntur etiam in summis fastigijs, urbiumque periculis, ubi verè est Infernus ille viventium, cujus meminit David, ad supernam patriam properantem, & anhelantem ante ultimum halitum, jam nunc esse felicem. Ecce hic Beatitudinem in solitudine, Paradisum in deserto, cælum in terra. Quare, nisi exosus tuam felicitatem, ambis esse miser, aggredere quod suadeo opus, ingredere quam proposui solitudinem, & si terreat te in aditu itineris, via illa arcta, & angusta, sis memor illius metri:

Est iter angustum, quod tendit ad æthera sursum.

18. DIES IANVARII.

Meditatio, punctum est, unde dependet æternitas.

S. Bern. l. 2. de Consid.

I. HActenus multa de hominum turba, & multitudine, nec pauca de solitudine, & in laudem solitudinis. Nunc autem ille qui solus est,

Digitized by Google

Januar. Princeps in solitudine opus est frequēs meditatio. 4. *Acad.*

ne solus sit, & in otio otiosus, quid aget, quod egisse pretium fuerit operæ? Prima ejus occupatio, sit frequens & solers Meditatio. Quid homini tam est proprium, imo continuum, quàm consideratio, quàm mentis cogitatio? Audi Tullium: *Docto homini, & erudito, cogitare est vivere.* Quid igitur probrosius homini, quàm tam nobilem mentem divinitus ei concessam obbrutescere & contaminari corporis colluvione, occupare quisquilijs, nec se attollere ad æterna? Divine suo more de consideratione Divinus Dionysius, qui ait, esse motum, qui in orbem, & circulum fertur, quique est ejus ad se, ab ijs quæ extra sunt, introitus, cùm vim mentis inflectit, & à multis quæ circumsistunt, convertit, & colligit primum ad se, deinde facultates animi omnes conjungit, atque ita demum ad pulchrum, & bonum deducit. Et hoc est hominis probe sapientis, mentis aciem abducere à consuetudine sensuum, contemplari res cogitatione dignissimas, dies, ac noctes in arcerrima rerum utilium contemplatione collocare.

II. Quam ob rem ut tu mortalis post vitam hanc mortalem, sis feliciter æternus, cùm Meditatio sit punctum unde dependet Æternitas, ut mediteris non minori successu, quàm conatu, observa illud Dei ore Isaiæ monitum: *Vade populе meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te,* Is. 26. 20. *abscondere modicum.* O quàm multa sic absconditо Deus absconditus tibi revelabit. Volebat olim Deus, teste Oseâ, Animam sibi dilectam, ex humili solo efferre in altum, super omnia humana, inter mortales extollere super id omne, quod est mortale; volebat illuminare ejus intellectum, inflammare voluntatem, corroborare spiritum, desponsare eam sibi in fide, complecti charitate, exornare varijs virtutibus, locupletare copia gratiarum, denique loqui *ad cor ejus.* Jam verò quem sibi Deus locum selegit, ubi tot, ac tantis animam illam beet favoribus? An curiam? ibi curæ; an forum? ibi jurgia; an aulam? ibi dissidia: an campum? ibi prælia: an mare? ibi naufragia: an Scolam? ibi discordia. Ubi ergo? quem eligit locum ad tot, tanta, ac tam inusitata bona conferenda? Audi Oseam: *Ducam eam* Ose. 2. 14. *in solitudinem, & ibi loquar ad cor eius.* Nemo rem magnam, opus arduum, stratagema præclarum, facinus heroicum unquam aggressus fuit nisi præmissâ diuturnâ illius rei, quam moliebatur, meditatione, in solitudine.

III. In hoc secessu niti debes, ut non tantum sit solitudo, pro corpore, sed multo maximè pro Animo. Fiat solitudo in intellectu, sileat Phantasia, non vagetur mens volubilibus cogitationibus: cum autem intellectus tam sit volatilis, ligandus est; cui alligabitur potius, quàm illi, cui quicumque adhærent ligati, sunt beati: quia fruuntur omni bono, in Ps. 72. 20. quo uno, est omnis beatitudo. Deo adhæreat Davidis exemplo. *Mihi adhæ-*

rere

vere Deo, bonum eſt. Quòd ſi homo duobus brachijs intellectus, & voluntatis, amplexetur Deum, eiqueadhæreat, tum demum loquitur ei ad cor. Cùm Deus loquitur ad cor, ô quomodo tunc ardet cor, ut gaudet, ut exultat, ut geſtit, ut dilatatur! Tunc clamat: *Cor meum, & caro mea, exultaverunt in Deum vivum.* Dum Deus loquitur ad cor, dat ſtatim nobis cor novum, & ſimus repentè viri ſecundùm cor Dei. Dum loquitur ad cor, uno momento diligimus Deum, ex toto corde. Dum loquitur ad cor, confeſtim qui fuerant avari, fiunt liberales; qui iracundi, mites, qui impudici, caſti; qui debiles, fortes qui impij, pij, Cur Petrus, cur Andreas, cur Apoſtoli alij ſtatim relictis omnibus ſecuti ſunt Chriſtum? Quia loquebatur illis ad cor. Cur Zachæus deſcendit confeſtim ex arbore, & excepit Chriſtum gaudens, deditque dimidium bonorum pauperibus? Quia loquebatur ei ad cor. Loquebatur Chriſtus pauca verba ad cor Sauli. Quæ repente metamorphoſis? Miraris tot virgines fuiſſe ad clauſtra, tot juvenes ad aſceteria, tot eremicolas ad ſolitudines, Martyres ad Carceres? Deus loquebatur illis ad cor. Dum Deus loquitur ad cor, ſordet tunc omnis eloquentia Tullij, Theologia Platonis, Philoſophia Ariſtotelis, ô quis non ambiat ſe abdere in ſacroſanctam illam ſolitudinem, ut tot recipiat è cælo favores à Deo gratias, tot beneficia, quot ſolent conferri dum Deus loquitur ad cor. Hic geminæ animæ facultates, intellectus, & voluntas, innovabuntur, iſte illuſtrabitur, hic inflammabitur, quo quid fingi poteſt optabilius vel iucundius! Nam Januar. *Pſal.* 83. 3.

Si dulce eſt oculis, videre lumen,
Quam dulce eſt animo, videre Numen?

19. DIES IANVARII.

Vera ſcientia conſiſtit in duobus punctis, quod Deus ſit omnia, & homo nihil. *Laur. Iuſt.*

I. QVi in principio creavit cælum & terram, poſt principium ex nihilo creavit te in terra, ut eſſes aliquando hæres cæli. Hæc ſit igitur prima tua, cui te impendere debes, Scientia, ſcire te eſſe Nihil, Deum omnia. Ecce binas abyſſos, Nihil, Omnia. Tu Nihil, Deus Omnia. Vt intelligas Deum eſſe omnia, prius deſcende ad abyſſum tui Nihili. Prima ergo in hac tua ſolitudine Meditatio, ſit tui ex nihilo creatio. Creatus es homo, Creatio Hominis.

Januar. homo, scis unde homo? ex humo. Nihil humo humilius. Humus ex nihilo est. Quantū potes descende, quia nihil est profundius quo descendas. Infra nihilum, nihil est quò ruas. Vixeris annos mille, quid est istud temporis ad æternitatem à retro? quia fuisti Nihil. Noli quærere te apud te; tu te nunquam invenies nisi te perdideris, & ad nihil redegeris. Creatus es. quid habes, quid potes, quid es, quod non accepisti? Tolle quod tuum, & quid habebis nisi Nihil? Quia tui ipsius, nihil est tuum: neque tu, tuus es. Tollat Deus à te quod suum est, quid tibi supererit? Inane Nihil. Vides à teipso quid es. Hinc conclude cum D. Bernardo: *Quidquid es, quidquid potes, debes creanti, redimenti, vocanti.*

In verb. Apostol.

II. Homo nunquam est ens magis reale, quàm cùm se agnoscit ens rationis. Quem enim non se fingit? Nec unquam est magis ens rationis, quàm cùm se negat ens reale. Fuit nihil, verè non est; potest esse nihil. Nunc igitur cùm sis Nihil, superbus adhuc eris, si te putes pulverem, & cinerem, cùm sis nihil nisi inanitas, & peccatum, quod minus est quàm nihil! Nihil boni habes: cur extolleris contra summum Bonum? Multa mala habes, cur non confunderis coram hominibus? Omnia mala habere potes, cur non contremiscis ubique, & semper? Omnia mala facere potes, cur non formidas te? Ipsa essentia tui, non est tua, sed illius, cujus tu es, Dei. Vin' aliquid mirabilius? Id quod habebas antequam esses, tuum non erat. Fateor, antequam esses, Nihil eras: tamen esse poteras: quod autem potueris esse, hoc ipsum tantillum non habebas à te, sed ab eo, à quo est omne esse à Deo. Qui si non esset, tu non posses esse. O Deus! loquar ad te, qui processi à te, cum tuo Augustino: *Totum quidquid sum, de misericordia tua est. Sed promerui te, invocando te. Vt essem, quid feci? Vt essem qui te invocarem, quid egi? Si enim egi aliquid ut essem, jam eram antequam essem: porro si omnino nihil eram antequam essem, nihil promerui ut essem. Fecisti ut essem, & non tu fecisti ut bonus essem? Dedisti mihi ut sim, & potuit mihi alius dare ut bonus sim?*

In Psal 58.

III. Quid nunc te magnum putas, cùm ipsum quod nihil eras, antequam creareris, non eras ex te? Ideo plus quàm te debes Deo: nam debes etiam cum non eras, posse esse, sed jam creatus es: & homo es. Dic modo, quod membrum tui, factum est arbitrio tuo, aut cui articulo digiti, aut pedis lutum posuisti, aut quam Deo ministrasti materiam ad minimum in corpore membrum fingendum? Latebant in Idæis divinis, & ejus potentiæ thesauris creaturæ infinitæ, quæ in suo nihilo relictæ, productæ non sunt, nec unquam producentur: qua prece impetrasti, vel quo pretio hoc tibi comparasti, creari à Deo, ut inter innumera quæ poterant esse,

esse, tu præ cæteris esses? Quo tuo studio, merito, labore id assecutus es, ut non esses oculis luscus, manibus mancus, pedibus claudus, corporis parte aliqua mutilus? Vt non esles Thersite deformior, Oreste furiosior, Dauno insanior? Non dedisti Deo, ut te crearet, consilium; aut ut te talem crearet, qualis es, Deus te consuluit? Cùm igitur inter omnia, sis Nihil, quid supereſt quàm ut velis ab omnibus æstimari Nihil? Cùm ex te nihil possis, quid restat quam ut te nihili facias? Cùm quovis momento possis reverti ad nihil, quid est quod te non æstimes minus quam nihil? Vis sapere? Hoc consilium sequere: ut sis aliquid Deo, esto tibi nihil, & imprime hanc menti Elegiam: Januar.

Pulvis, & umbra sumus: pulvis, nihil est, nisi fumus:
Sed Nihil est fumus; nos Nihil ergo sumus.

20. DIES IANVARII.

Erubesce volutari in cœno, qui es è cælo. *D. Bern: Serm. 24. in Cant.*

I. INtellexisti à teipso quid es; Audi nunc Anime, quid à Deo acceperis. Ipsa te Dei mens concepit: Idæa formavit, Verbum expressit, Benevolentia decrevit, Potentia in lucem dedit. Creatus es homo, Deus te voluit intellectu præditum cùm crearet, ut intelligeres quid acceptum debeas Creatori. Quando matris in utero, materiæ infundebaris Anime, quis tibi tunc primus labor fuit? Opinor mundi opificem æmulari? Tu indigestæ massam materiæ in corporis fabricam, interiore, exterioreque structura mirabilem digessisti, parvumque adeo tibi molitus es mundum. Habet sua elementa, suum cælum, & astra sua. In eo regnas opifex, idem, & Monarcha. Magno quoque mundo dominaris; tibi factus est; & hunc tibi tuum facis, dum similem formas. Quæ terra est tam dissita, quæ regio tam vasta, quæ maria tam profunda, quæ rerum tanta varietas, & magnitudo, quàm non & ambis subitò, & cogitatione complecteris? Solem, lunam, stellas, è sinu memoriæ, temporis momento producis, & quod est mirum, intra te ipsum qua es imaginandi, intelligendi, concipiendique virtute, pro arbitrio creas omnia, conservas, destruis. Deum ipsum mundi conditorem, apprehendis, tenes, & possides, bonâ ipsius gratiâ cum lubet: & habes hoc stupendæ, imò invidendæ felicitatis, quod tibi invito Deum eripere nihil potest. Dei in hominem, beneficia.

II. Intel-

Januar. II. Intelligis quid à quo acceperis. Jam pondera, quomodo, quanto amore dedit omnia is, qui est omnia, tibi qui es Nihil. Cogita amorem Patris, amici, sponsi, imò omnium qui unquam fuerunt patrum, amicorum, sponsorum impensissimum; junge Angelorum, Archangelorum, Seraphinorum omnium denique Angelorum ferventissimum: aude omnes Deiparæ Virginis actus amoris, quos elicuit, & illum imprimis, quo flagravit, & conflagravit ecstaticum in Christi partu: plus dico, aggere quotquot Christi voluntas creata, elicuit in hac vita amoris actus; scintillæ sunt ad immensum illud amoris incendium, quo Deus te creavit, & creatum diligit. Et necdum amore, non dico ardes, sed nec cales, imò tepes? plus dico, friges? Fingamus creatos nos nostra sponte, & nostro marte, & arte, & audivisse nos de alio Deo in altero mundo, ea quæ nos de nostro Deo credimus: quis non cuperet habere talem Deum, & immenso stupore attonitus, non miraretur & amaret tantam illius Bonitatem, & erga illius mundi homines benevolentiam, imo beneficentiam? Non igitur propterea quod nos creaverit minuta est Bonitas ejus, nec debet diminui admiratio, & erga illum amor.

Deus termâ amor incarnat.999

III. Nunc igitur vide, quàm sis totus Dei, qui totus es à Deo. Si suam colonus censet arborem, quam plantavit: si suam pictor quam expressit imaginem: quidni Deus hominem suum sibi vindicet, quem è nihilo creavit ad imaginem, & similitudinem suam? Num (ut scite Philosophi) infinite distant facere aliquid ex aliquo, & facere ex nihilo: ita jus, & dominium, quod habet Deus in suas creaturas, ut qui eas ex nihilo creavit, jura omnia alia infinitis partibus excedit. Hic ergo expende, quam ex hoc capite causam nullam habeas, aut jus possideas, vel in re minima, ut in nictu oculi, motu digiti, aut sola anhelitus captatione, voluntati tuæ obsequendi: quoniam & æquitas ipsa, & leges omnes: tantum esse pronuntiant debitum, quantum fuit acceptum, quia verò à Deo accepisti quidquid es, aut potes: illud omne quod es, & potes in ejus solius expendendum est obsequium, ejusque nutu, & arbitrio vivendum. Adhæc tua in Deum obligatio infinita est: infinitum autem terminos nullos habet, nihil excipit, locum nullum præterit: ut ne ullam in partem tuus sis, sed totus Dei. Cujus jus injuste violabit, qui quidquam (re nulla excepta, sive opus externum fuerit corporis, sive internum animi) etiam minimam cogitationem non secundum Dei, sed suam voluntatem suscipere præsumet. Cùm igitur non tantum ego totus sim Dei, sed Deus totus sit meus, quid supereſt, quàm ut illi soli consecrem id totum quod sum, quod habeo, quod possum, quod scio? Deinde cùm origo mei sit

sursum

sursum è cælo, absit ut me deorsum volutem in cœno, memor hodiernæ tesseræ, & Poëtici moniti: Januar

Despice corde solum, suspice mente Polum.

21. DIES IANVARII.

Quis alius est noster finis, quàm pervenire ad regnum, cujus nullus est finis. *S. August. de Civit. l. 22. c. 30.*

I. CReavit te Deus in terra, sed non propter terram. Hæc igitur debet esse tibi prima Memoriæ recordatio, Mentis cogitatio, oris interrogatio: Cur creatus sum? Relege hujus diei tesseram, & intelliges finem tuum esse aliquid quod caret fine. Igitur terra tibi est pro exiguo tempore hospitium, non pro omni tempore domicilium. Es hîc accola, non incola; es peregrinus, non civis; es advena, non domesticus. Hæc ergo vita, est via: hac imus in Patriam. A Deo egressio, redimus in Deum. Eò omnes, unde: ibi finis, unde principium. Eò moventur omnes, non omnes promoventur. Errant multi, vagantur plurimi. Vita est via ad Deum unica, sed habet infinita diverticula: hîc anfractus, ibi foveas, alibi præcipitia, ubique pericula. Ne igitur in principio viæ devies in via, sta hîc viator, & adamantino charactere hoc menti imprime pronuntiatum. Creatus est homo, ut Deum laudet, eique serviens salvus fiat. Ecce finem tuum post viæ, hoc est vitæ finem, frui Deo sine fine. Quis finis creationis

II. Accepisti à Deo vitam, ut Deo reddas. Non dat Deus, sed fœneratur pro lucis usurâ; laudem exigit, quâ non indiget. Quòd abs te, homule laudari velit, gratia est, imò & lucrum: laudem mereris, dum laudas. Tanti refert Deo servire. Non alio est homo nobilior brutis animantibus, quàm quòd sit servus sui Domini. Scis quanta sit libertas hujus servitutis? Qui servit Deo, major est mundo, æqualis cælo; nam imperat sibi, dominatur cæteris. Creavit Deus omnia, hominis gratiâ, immortalis est animus, ijs non eget; corpus paucis continetur: existunt reliqua ut abstineas virtutis amore, & intra Rationis gyrum retineas palantem appetitum: scalæ denique sunt erectæ ad Deum, quas calcare debes, ut ascendas. Hactenus quæ egisti omnia, vix aliud fuerunt quàm somnia. Nemo delirat magis, quàm qui vigilans somniat. Expergiscere tandem, cur hic stertis, ut alibi vigiles? Nullus abusus inter homines major, quàm quod

Januar

quæ seria sunt, oscitantor, nugæ gerantur seriè. Meministin' quo fine creatus es? Si tibi vivendum statuas, ut edas, ut vituleris, animal es. Si te vis hominem? dirige omnia ad id, quod est finis hominis.

III Vide quo tendas: nam qui tendit, qua non debet, pervenit quo non vult. Caput est in omni negotio, nosse quid agendum sit. Nunc igitur cum ex mente Augustini, *Propter finem cætera volumus, ipsum autem non nisi propter ipsum*; quid jam superest, quam cùm totus sis à Deo, & propter Deum, totum totis naturæ, & gratiæ viribus te consecres Deo? nolendo essentiâ tuâ, ullâve illius parte uti aliter, quàm ad finem hunc, quem ipse tibi proposuit consequendum: statuendo non admittere, neque cogitationẽ, neque verbum, neque opus, neque gestũ, neque motũ, neque sensũ, neque intentionem, quæ non sint totidem passus, quibus ad hunc finem te promoveas. Ita ut, sicuti in cælo Deus animam, & corpus, cum omnibus facultatibus, & sensibus implet; estque omnia in omnibus, sic etiam in terris eadem ratione occupet, ut omnia Deo sint plena, sitque Deus tibi omnia in omnibus, ut sic vivas tanquam candidatus æternitatis. Hoc nunc ago, & jam nunc sine cunctatione agere incipio, & me totum tibi, qui mihi es totum, & omne, consecro verbis servi tui Augustini: *Totus spiritus, totum cor, totum corpus, tota vita mea, vivat tibi vita mea dulcis: quoniam totum me liberasti, ut totum me possideres: totum me refecisti, ut totum me rehaberes.* Hoc pacto erimus unum cum Deo, & si Deo unimur, munimur. Si alteri rei amando uniris, infinitas tibi ipse hic calamitates fabricaris, & tandem in fine peribis. Omnis extra æternum amorem amor, non est nisi amaror. Fidem facit Poëta:

De Civit. l. 8. cap. 8.

In Soliloq.

Quot campo flores, tot sunt in amore dolores.

22. DIES IANVARII.

Deo seipsum debet homo, eique reddendus est, ut beatus sit, à quo accepit ut sit. *August. Epist. 45.*

Media ad finem.

I. HActenus mihi cura fuit Finem tuum, ut eum cognosceres, digito ostendere, posthac labor meus erit, ad eundem, ut eo pertingas, manuducere. Pondera, quia non parvi sunt ponderis, verba Augustini: *A principio ad finem pervenire non potest, nisi per aliquod medium: Ergo ut totum aliquid sit, principio, & medio, & fine constat.* Convici, te à Deo ut principio

Lib. 1. mus. cap. 12.

Digitized by Google

pio egreſſum, ad Deum ut finem regredi: ſupereſt ut jam detegam, quibus ad eum pervenies vijs, ac medijs Non aliud eſt medium, quo beatus eſſe poſſis, quàm reddendo te ei, à quo accepiſti eſſe. Hoc ut obtineas, neceſſe eſt vivere Deo, tibi, proximo, tempori, & æternitati. Eſt ars artium, poſſe rectè vivere, non flectendo ad ſiniſtram per defectum, nec ad dextram per exceſſum, ſed ut medius incedas, per media ad Deum, ſuggeſta à Deo. Vivere, Naturæ eſt, rectè vivere, eſt artis, ſed illius quàm gratia inchoat, Virtus continuat, Perſeverantia conſummat, ſalus compenſat. Hæc ars, tria complectitur inſtrumenta rectè vivendi; Rectè judicare, ſyncerè velle, perfectè exequi. Januar.

II. Noveris ergo cur vivas: dein qua methodo velis vivere, non ut libet, ſed ut licet, & expedit: tandem agas ut vita tua ſit, non mendacium ſine honore, ſed artificium ſine errore, cujus Magiſtra ſit Veritas, diſciplina ſanctitas, fructus Felicitas. Primum, quibus præſidijs rectè ſenties de rebus omnibus, ſit, ut judicando non hallucineris: Si Fides doceat, Ratio diſcat, Prudentia conſulat, Scientia dirigat. Quomodo ſyncerè voles ſtimulante Amore, ſolicitante Deſiderio, urgente propoſito. Quæ ut perfectè agas, & conſtanter peragas, obſervanda ſunt præcepta? Intentione præeunte, Attentione comitante, Devotione animante, Conſtantia abſolvente. Denuò ad illud redeo, unde abij: ut ſcias: multa leges, plura audies, plurima conſiderabis. Paucis deeſt ſciendi curioſitas, pluribus intelligendi ſtudioſitas. Sed & ut faciliùs ſcienda ſcias, erudiet Inſpiratio ſuggerens, Experientia obſervans, Exemplum prælucens. Ut velis, excitabit te Dei gloria: cui ſectandæ es conditus: imperabit tibi Dei placitum, cui explendo es obligatus: invitabit te Dei Beneficentia, cui vitam univerſam debes: ſuadebit Facilitas, quam parit Gratiæ ſubſidium, æqualium exemplum: alliciet utilitas, quam tota pollicetur æternitas: impetrabit à te felicitas, ad quam votis omnibus, dum ſpiras, aſpiras.

III. Ut agas rectè: non audies Naturæ genium, pravus eſt: non conſules mundi indolem, maligna eſt: non credes diaboli ſuggeſtioni, mendax eſt. Deinde in omnibus quæ agis, finem reſpice, Dei voluntatem ſuſpice, Chriſti exemplum inſpice. Non differes dum opportunum eſt, non negliges dum inchoatum eſt, non ſiſtes quoad expeditum eſt. Ars vitæ unica numero, multiplex officio, neceſſaria ſingulis, apta omnibus, hæc pauca docet, tu illa diſce, & obſerva. Si vita ſtadium eſt, ſic currere ut comprehendas. Si ſtudium eſt, ſic diſcere ut ſapias: ſi militia eſt, ſic certare ut vincas: ſi mercatus eſt, ſic negotiari ut quæſtum facias: ſi theatrum eſt, ſic perſonam agere ut plauſum referas: ſi Peregrinatio eſt, ſic

ambulare ut meram attingas: si Exilium est, sic illud sustinere ut patriam obtineas: si mare est, sic velificari ut portum subeas: si sementis est, sic serere in terris, ut possis metere in cælis: si Diversorium est, sic versari, ut hospitem te cogites: si Vinea est, sic laborare ut mercedem reportes, Ecce, quot artes, ars vitæ exigit. Ars una omnes. Hæc ars rectè vivendi eousque paret, quousque vita porrigitur: cujus omne negocium, est Virtutis officium. Vitâ porro est, quidquid Intellectu concipis, aut Memoria retines, aut Voluntate appetis, aut Concupiscentia desideras, aut sensu percipis, aut ore loqueris, aut manu peragis. Artis illius initium, est primum Rationis diliculum, quo si non auspicaris, vitæ primitijs frustraris. Progressus, est, universus ætatis cursus, qui si aliò dirigitur, vitæ usura prodigitur. Terminus est, supremus vitæ extitus, qui si arte ista non concluditur, spes vitæ eluditur, votum salutis fallitur. Ecce medium perveniendi per compendium ad finem, cui es creatus, rectè vivendi Scientia.

23. DIES IANVARII.

Hinc maximè commendatur, quale Bonum sit Deus, quando nulli ab eo recedenti, bene est.

Aug. de Gene. ad litt. l. 11. c. 5.

Deo vivendum, à quo accepimus vitam.

1. VT rectè vivas, Deo vitæ Domino primas tribue. Ei utique potissimùm vives. Nusquam vives veriùs, nunquam feliciùs. Vt autem vivas Deo, morere peccato. Eidem ut placeas, pœnitentiâ placa. Offensum illum ne vel momento sustine. Momentum quodvis, discrimen est æternitatis. Ideo non parvum est crimen, tantum vel subire discrimen. Nulla est spes veniæ, si tempus pœnitentiæ differatur ultra terminos Misericordiæ. Quod evenit alijs, tibi ne eveniat, pave; ut non eveniat, cave. Hoc tibi sit certum, Tibi recedenti à summo Bono, non potest esse bene, non potest non summè esse malè. Omnis in Deum culpa, error est in salutis via; tanto periculosior, quanto longior. Cogita vias tuas, & converte pedes tuos. Quò pergis diutiùs, recedis longiùs; redibis difficiliùs. Nolle redire, est velle perire. Si verò es in errore, recedis à Deo, & quò accedis? quò? Vbi bonum omne desinit, malum omne confluit

fluit. Vbi Deus hoſtis, diabolus amicus eſt, peccatum voluptas eſt, æ- Januar.
ternitas jocus eſt, Tartarus fabula eſt: Damnatio verò, terminus eſt.

11. Offenſa omnis venenum eſt perempturum, ni evomas, & audes retinere? Icis quàm ſit noxium venenum? Finge te videre in unam quaſi ſtruem accumulata oſſa hominum omnium hactenus mortuorum, & omnium qui poſtea uſque ad ſummum mundi diem morientur; Deus bone quanta mortalitas; & tamen hæc omnis è peccato emanavit. Quis de inceps audebit venenum hoc bibere, quod omnium, qui in toto ſunt mundo, hominum corpora, & animas interemit? Et tamen, tantum malum, quod te tam crudeliter impetit; impatienter appetis, imò ut delitias expetis. Sed hactenus non occidit; ſatis eſt ad metum, poſſe occidere. Si pepercit tibi, plurimos ſuſtulit. Noli abuti indulgentia præterita, propè eſt vindicta ſecutura: qui diu parcit, tandem punit. Et ut pepercerit, non ſit hoc tibi calcar ut pecces, ſed frænum ne pecces. Fecit propitius ne perires, permittet laceſſitus ut pereas. Ah! quot tui ſimiles, imò diſſimiles, quia meliores, quo tu laboras vulnere, perierunt! Et poteſtnè delectare hominem, quod offendit Deum? & illud quidem, quod eum, ſi mori poſſet, mori cogeret? Quod Deum hominem mori coëgit, & mori ignominioſiſſimè, atque acerbiſſimè? Quod vulneribus ejus debuit perſanari, ſanguine ejus elui, meritis ejus compenſari? Quod eidem Deo omni cruciatu intolerabilius, omni jactura eſt gravius. Quod ſolum cogitatum, ſanguine coëgit fudare?

11. Ad te jam convertor. Quod nocet tibi amplius, quàm nocere vel affligendo diabolus, vel puniendo Deus poſſit? quod dum pœnis vindicatur æternis, nondum dignis vindicatur? quod punctulo delectat unico, pœnas luit nunquam finiendas? Quæſo te, quiſquis es peccator, & Fidelis, crediſnè hoc, & audis, & non times? non doles? non tremis? Audi tandem monentem Fidem, Spem animantem, Timorem minantem, Pudorem increpantem, Amorem allicientem. Tantine tibi eſt tantilla rei peſſimæ voluptas peſſima, ut eam pœnis compares æternis? Tantilli tibi eſt Dei inimicum eſſe, cujus inimicitia eſt felicitatis jactura, Damnationis ſententia? Quem nec fallere potes, quia Sapientia eſt, nec evadere, quia Immenſitas eſt, nec vincere, quia Omnipotentia eſt? Et velleſnè inpoſterum morte Animæ, mercari delectationem corporis? & Malo ſummo Bonum viliſſimum? Vbi nunc tua eſt prudentia, intellectus, ratio, illud in ſe admittere, quod inter omnia quæ ſunt, quævè eſſe poſſunt, aut fingi, maximè repugnat Rationi? Quod illi qui committit, & ſi in ictu oculi, in puncto temporis, in eo perſiſteret,

Januar. magis est pernicioſum ipſâ pernicie, & ipſo cum toto cruciatuum apparatu, Tartaro, admittitur tamen, & ſine metu, imò cum plauſu, & admiſſum fovetur cum ſecuritate, imò cum voluptate, ubi contremiſcere deberent, atque exhorreſcere homines omnes, ſi quando eis veniret in mentem, fieri poſſe ut vel unicus homo inter omnes, qui ſunt, fuerunt, vel erunt, in extremum hoc exitium, ultimumque infortunium corrueret. O quot mala, ex una arbore mali! quàm non vanè Poëta!

Omnis origo mali, proceſſit ab arbore mali.

24. DIES IANVARII.

Nihil eſt in nos crudelius, nobis *Salvia. l. de Gub.* 8.

Peccati gravitas.

I. QUàm ſit hæc teſſera vera, liquebit, ſi quanta ſit crudelitas peccati in nos, dum committitur à nobis, intelligamus. Rudia quædam propoſui peccati, ut illud horreamus, lineamenta, necdum ſubmoveo manum à tabula, ut tu removeas tot damna ab Anima. Horreret ipſe Horror, ſi perciperet omnia, quæ peccatum complectitur horribilia. Peccati malitiam, enormitatem, fæditatem nemo aſſequitur, niſi cui Fidei Divinæ radius affulſerit, & quem gratia ſingularis extulerit in Deum. Nulla peccati juſta menſura eſt, niſi Deus: Hujus ex dignitate, illius penſatur indignitas. Tam turpe eſt peccatum, quàm pulcher eſt Deus. Ut Deus continet omne bonum, ſic peccatum continet omne malum eminenter. Offenſa eſt, injuria eſt, contemptus eſt ſummi Boni, imò voluntas perdendi Deum, ſi perdi poſſet, eumque perimendi quidam conatus. Nunquam ſatis intelligitur peccatum, niſi ſatis intelligatur Deus. Ejus tamen gravitas ponderabitur à nobis, ex punitionis, qua caſtigatum aliquando fuit ſeveritate, ex remedij quo ſanatum magnitudine: ex damnorum, quæ hominum, Angelorumque generi illata ſunt æſtimatione: ex pœnarum quas meretur æternitate, ex ipſa illius horribili deformitate.

II. Quidquid mali concipis, vel potes concipere in hoc, & altero ſeculo, vel peccatum eſt, vel pœna, vel effectus peccati. Terretne dæmones? peccatum ex Angelis cacodæmones fecit. Terretne mors? Peccatum genus humanum infecit, imò interfecit: inde Mors, inde Judicium: inde Inferi: mala vitæ futura terribiliſſima: unico verbo, nullum eſt malum quod vel ab homine timeri, vel ab Angelo conſpici, vel à Deo inferri poteſt, quod non invexit peccatum. Nulla Dei ira, nullus Dei furor, nullum Dei odium

odium exiſteret, ſi peccatum nullum eſſet. Age nunc; putáſne injuſtum Deum, qui metas excedat æquitatis? putáſne inſipientem, qui quod peccato debetur, ignoret? Si infinitè Juſtum, & Sapientem credis, agnoſce peccati gravitatem, & omnibus odijs deteſtandam turpitudinem, quod tot tantiſue pœnis, & ſupplicijs tam ſapienter, tam juſtè caſtigatur. Adhæc, peccatum maximè, & ſupra quàm dici aut credi poteſt, nocet peccanti, tam in corpore, quàm in anima. Recito hic damnorum omnium catalogum. Januar.

111. Nihil eſt in homine præclarum, aut nobile, quod non aut inficit, aut evertit. Corpus ſæpè morbis fœdat, & enervat. Animæ vires debilitat. Facultates vitiat, actiones depravat: Mentis lumen vel perdit, vel infuſcat. Rationem appetitui, hoc eſt, dominam honeſtiſſimam nequiſſimæ ſubjicit ancillæ. Inquinat voluntatem, & à bono alienam, ac averſam reddit. Perturbationibus ferociſſimis, quaſi effrænibus belluis, habenas laxat! ſenſibus intemperantiſſimis animæ ſatellitibus omnem licentiam indulget, & inſaniendi libertatem. Hæc in peccante, quid in alijs? Nocet (mirum dictu) cælo, terræ, inferis ipſis peccatum. Cælites gaudio, quod ex hominum ſalute perciperent, privat. Sanctorum patrocinia caſſa, cuſtodiam Angelorum inutilem reddit, Eccleſiam contriſtat, quæ vota, preces, laboreſque ſuos irritos fieri, perdique filiorum animas, vehementer dolet. Fideles vel inficit pernicie, vel offendit exemplo. Infideles ad fidei, Religioniſque contemptum provocat. Animas purgatorij pœnis detentas, optatis fraudat auxilijs. Damnatorum quoque pœna, numero reproborum fit auctior. Omnis denique miſeria, omne malum à peccato eſt. Imò tanta eſt enormitas peccati, ut non potuerit tolli, niſi ſublato è vivis Deo. Nec horreret Filius Dei iteratum crucis ſupplicium, ſi ad deſtruendum peccatum, id vel æquitas, vel amor poſtularet. Potuiſſet una ſanguinis pretioſiſſimi gutta totam peccatorum abyſſum mergere, ſi voluiſſet. Maluit morte crudeliſſima, totiuſque ſanguinis per acerbiſſimas pœnas, effuſione, paciſci redemptionem; quo nobis exploratius, teſtatiuſque fieret odium, quo peccatum proſequitur. Quid nunc tibi videtur? Fatere nunc ſi non ſit in confeſſo illa hodiernæ teſſeræ veritas. *Nihil eſt in nos crudelius nobis.* Quare ſi times pœnam, fuge culpam. Nam

Culpa eſt pœna comes, fera mater, & effera proles.

25. DIES IANVARII.

Domine quid me vis facere? *Actor.* 9.

Damna peccati.

I. PRoponitur tibi hodie Saulus, persecutor Ecclesiæ, tibi peccatori, qui persecutor es tuæ Animæ. Perversus Saulus, jam conversus Paulus, dixit, & dicendo se totum Deo addixit, cùm illa proferret: *Domine quid me vis facere?* Ut exemplo Pauli dicas, Domine quid me vis facere?

Genes. 4. priùs te ipse interroga ut Deus Cainum: *Quid fecisti?* Attende animum. Peccasti mortaliter, quid hoc est? Id est, tulisti sententiam, qua Deo diabolum prætulisti, Testatus es, te nec pili cælum facere, nec flocci Deum: nec Dei gratiam te velle, nec amicitiam æstimare, quæ tamen est inæstimabilis. Quid fecisti? Peccasti mortaliter: hoc est, injuriâ affecisti Deum; sed quantâ? Si coalescerent in unam, omnes quæ cunctis creaturis, Angelis, hominibus, Regibus, Monarchis fieri queunt injuriæ, nulla esset præ illa qua Deus offenditur. Quid fecisti? Peccasti mortaliter, id est, protrusisti summum Bonum, Deum ipsum, & quidquid est Dei, affectu, & quantum in te fuit, distruxisti. Quot Deo prætulisti creaturas, tot tibi fecisti ultimos fines. Deum existere noluisses, ut non puniret: Noluisses æternum, ut æternis te flammis non addiceret. Lætisti, quâ omnia videt, præsentiam: peccasti Deo vidente, Deo prohibente, Deo minante. Effrons! quis servus audeat coram hero suo, quod tu coram Deo? Nihil pensi habuisti, quod à Deo videris: in ejus despectum peccasti.

II. Sapientiam ejus, quæ infinita est, insipientem, cæcam, ignorantem, nullam voluisses, ut judicium effugeres. Inquinasti complectentis te Immensitatem. Non sic pisces mari, volucres aëre continentur, ut tu Deo. Locum hunc fœdasti sordibus peccatorum. Si cloacæ, si sentinæ, si fætores omnes, si ulcerum omnium graveolentia, omnis putredo, & sanies conferrentur; nihil ad peccati mephitim, & contagium. Hanc Divinitati pestem: hanc junxisti impuritatem Sanctitati: junxisti diabolum Deo. Impendisti corporis, animique vires, ut perderes eum, qui tot te commodis, delitijs, & honoribus mactavit, in cælo & in terra, omnipotentiam suam prodegit, & thesauros. Mandante Deo, tibi terra stabat, fluebat aqua, diffundebatur aër, ardebat ignis, tibi sol lucebat, & astra; vertebatur cælum, flores ridebant, aura sonabat, tibi bruta animalia vivebant; stude-

bant

bant homines ; serviebant Angeli. Hæc dona in venena, hæc beneficia vertisti in veneficia. A Deo accepisti ut aliquid sis, oppositisti hoc ipsum Deo. Accepisti vires, & auxilium, hæc ipsa vertisti in Auctorem, ingratitudine prorsus intolerabili. Providentiam per iocum, & ludibrium nominasti. Gubernantem suavissimè, prospicientem vitæ, sanitati, honori tuo, amolientem pericula, aduigilantem per se, per Angelos, per Magistratus, conservantem, quibus tibi corpus, & anima sustentabatur, perdere conatus es. Ianuarius

III. Quid adhuc fecisti? Quòd ab æterno de te cogitarit, quòd te crearit & conservarit: quòd omnia tibi subdiderit, quòd gratijs & prævenerit, & auxerit: paratus ita tecum in omnem æternitatem agere: quòd æternæ vitæ potentem fecerit, quid aliud quàm amor, & misericordia fuit? Ingratus! Oblitus es illius, qui ante mundum conditum tui meminerat. Respuisti amantem Deum, odisti Amorem ipsum. Exstinxisti Charitatis, ut ignem accenderes Inferni. Bona æterna malis æternis commutasti. Neglexisti cæli amœnitates, ut in peccatis sorderes: & in omnem æternitatem odio haberes eum, qui ab omni retro æternitatè infinitè te amavit. Hæc fecisti: tamen concessit Deus resipiscendi spatium: vitam integram: Quoties vocavit? Quoties ostia cordis pulsavit? Quot inspirationibus mentem excitavit? Quàm patiens tecum cùm peccares, quàm misericors postquam peccaras, fuit? Quoties dæmonem, cuius te potestati peccando tradideras, cohibuit ne vim inferret, ne vitam tolleret? Per se, per Angelos, per homines monuit, invitavit? & renuisti, & contempsisti. Voluisti mori, tuo inimicus Servatori: noluisti cum Deo regnare: maluisti cum dæmonibus ardere. Hæc fecisti. Nónne iam tempus est, & plus quàm tempus ut cum Saulo, postratus in terram, tremens ob tot tua flagitia, stupens ob tot Dei beneficia, lachrymantibus oculis, pronis genibus, contrito corde, singulti-enti voce clames: *Domine quid me vis facere?* Quidquid possum, quidquid volo, quidquid scio facere, minus est ijs quæ ego feci contra te, quæ tu fecisti propter me. O verè

Nunc locus est Flendi, tempus peccata luendi.

26. DIES IANVARII.

Pœniteat, qui maluit perire cum diabolo, quàm regnare cum Christo. *Chysol. S. 167.*

Conversio I. ad Deum.

MAla peccati, quibus factus es malus, perspicuè ut cerneres, proposui; ut caperes, exposui. Quid iam ut tot mala euadas, vel si incurreris, ut pro illis luas, præsidij? Paucis te docet huius diei tessera. *Peccãdo maluisti perire cum diabolo, quàm regnare cum Christo*; quid iam facies, ut satis facias? Pœniteat. Ut ergo te tot malis eximas quot tibi peccando intulisti, nullo opus est labore, nulla molestia, sumptu nullo. Non est necesse itinera suscipere, maria traijcere, pericula subire; excusare ista posses omnia, quia ut voluntas esset, deest facultas. Agnosce tantummodo quod nosti verissimum: detestare, quod scis pessimum. prode quod credis fore secretissimum, vel uni soli, qui antè vitam fundat, quàm illud vel nutu vulget: & ecce tantum malum evasisti. Quousque tandem differre statuis, qui nec de puncto ad pœnitentiam tibi indulgendo certus es? Dum hominem invenias, cuius auribus fidas, cuius censuram non metuas, à quo redargui non horreas? Sed prius quàm peccata aperias, ob peccata doleas. Ingressus igitur cubiculum, claude ostium, ut solo Deo teste, quantum te pecasse pœniteat, solus in abscondito intelligat.

II. Dic ipse tibi: Pudet me dum memoria repeto miserantis Dei longanimem tolerantiam. Certavimus invicem. Ille me continuis beneficijs, à prima vitæ ad hanc usque diem, clementer obruit: ego iniurias, & maledicta rependi. Vocabat, renuebam. Trahebat obstabam, Ad partes suas alliciebat: ad partes diaboli capitalis eius hostis currebam. Ferebat acceptas me à iniurias patientissimè: ego eas iterando, eius in me Iustitiam magis indies irritabam. Multiplicabat dona; multiplicabam delicta. Non lassabatur protegere, & conservare; non lassabar vitæ usura turpiter abuti. Quomodo sustinuerunt Angeli perduellem Creatori? Quomodo perrexerunt sol, & astra benignis me aspectibus observare? Elementa fconfovere? Quomodo non irruerunt in me volucres cæli, pisces maris, bestiæ terræ? Quomodo dignati sunt homines me societate suâ, qui factus erã iumentis vilior? Quis sum, qui ausus fui omnipotentem Deum offendere? Si cunctis conferar hominibus? cunctis Angelis? toti mundo? At si cum Deo, quis sum? Si corpus attendo, lutum, fęx, fimus obnoxius fami, siti, morbis, doloribus,

doloribus,morti: Si animam,sum ignorantia,error,imprudentia,infirmi- Januar.
tas, malitia. Et ausus sum Dei mandata vilipendere, ac si in ijs dandis minus aut sapiens,aut prudens, aut bonus fuisset! Ausus sum Deum contemnere,ac si nec mandandi potestatem,nec puniendi facultatem haberet!

III. Indignus sum aëre, quem respiro, indignus cælo, quod aspicio. Si pro uno delicto infernum,pro tot,quot infernos promerui? Quot scelera tot onera,tot vincula,tot debita sunt: quibus dissoluendis nec si memet ipsum vendam, satis sum? utinam omnia corda, omnium lachrymas haberem! omnium, cordibus, omnium lachrymis peccata deflerem; cùm neque sic sufficerem,offero tibi Deus dolorem Dei Christi tui. Aspice in Filio,quo propitieris in seruo. Quamuis iuncta peccato bona forent omnia, nec ulla sequeretur peccantem pœna; quamuis peccati perpetratione vitarentur omnia, quæ excogitari possunt tormenta, Deo auspice non amplius peccarem: fidenter dico,non peccarem. Hoc si tibi fixum est facere, quod facis,fac citò. Noli nimis cunctari. Malum,tempore fit maius,mora periculosius,curatu difficilius: & aperire Medico renuis? Vulnus est, & lethale quidem, & differs medicinam? Pondus est in abyssum usque deprimens,nec vis deponere? Atque hoc est primum elementum,quod tradit ars rectè viuendi: mali,quod vetat rectè viuere,expiatio,& offensi Dei reconciliatio. Pungunt ista quæ dixi mala ad pœnitentiam peccatorum,ad cautelam iustum stimulant. Exaggero sua grauitate malum, ut persuadeam sua dignitate bonum. Potes abolere, quod incurristi malum,potest recuperare,quod amisisti bonum,uno suspirio,uno verbo. Audi Poetam:

Vis culpam delere? semel profer miserere:
Per miserere mei,tollitur ira Dei.

27. DIES IANVARII.

Non te Deus contemnit si redeas, etsi tu contempseris cùm abibas. *Chrysost Hom. de Ierem.*

I. QUi peccando à Deo recessisti,necesse est te pœnitẽdo ad Deum redire, nisi velis ęternũ perire. Plus te peccasse doleas, quàm timeas. Spreuisti Deum cùm abires, non spernet te redeuntem. Execrare voluntatem,quæ in peccatum consensit; appetitum,qui allexit; sensum,qui portas apervit,carnem,quæ titillando pellexit. Qui plus est bonus, plus odit peccatum,utpote summum malum. Qui verò plus peccatum odit,plus peccatũm Conuertimur pœnitendo.

Januar. tum destruere ambit. Nullus plus odit, vel odisse potest peccatum, quàm Deus: ergo nullus plus optat destruere peccatum, quàm Deus. Magis igitur desiderat Deus peccata dimittere, quam peccator ipse iam pœnitens postulat dimitti. Si delictum odit, & destruere cupit peccator, qui est malus, quanto magis Deus, qui est optimus? Omnes quæ sua sunt, quærunt: inter omnes solus Deus, quæ tua sunt, quærit; suamque gratiam etiam post peccata, promptior est dare, quàm tu accipere. Quid dubitas ad Deum converti? qui vult, invitat, vocat, urget te ad se reverti? & minatur nisi revertaris? Qui invitat, ut venias, repellet dum venies? Apud Deum quem pœnitet peccasse, penè est innocens, quia est homo recens. *Tuos non aspernabitur reditus qui, ut redeas, suos demonstrat affectus.*

Chrysost. supra.

II. Age, quantum tibi plaudendo gratulareris, imò ut tibi congratularentur convocares amicos, si tuo vel ingenio, vel labore, vel industria, vel virtute traductus fuisset à Synagoga ad Ecclesiam, à Judæis ad Christianos, perfidia ad fidem Christi, magnus ille mundi Magister Paulus? Nónne tanti viri conversio, mira tibi foret exultatio? Nunquid tibi esset ingens & lætandi, & te iactandi, ac gloriandi materia, posse dicere, Mihi debentur illa tam gloriosa summi illius Herois, quæ inter gentiles patravit facinora. Observa hîc ordinem charitatis. Charitas incipit à se ipso. Fac ipse tibi quod gauderes per te, factum alteri. Mavult Deus, tu te unum convertas, quàm per te, convertantur omnes. Sicut malle debes, perire homines omnes, qui sunt, fuerunt, erunt, quàm te solum; sic magis satagere debes, ut tu unus convertaris, quàm reliqui omnes. Quid ergo tibi invides illud bonum, tantùm gloriam, tam invidendam felicitatem? si in tuo foret arbitrio, quotquot sunt in urbibus Consules, in Templis Præsules, in Provincijs, Præsides, in Palatijs Reges; imò quotquot sunt in orbe homines perfundere immenso quodam gaudio, ita ut omnes omnibus incederent lætitijs, idq; nullo negotio, facili labore, unius manus motu, aut pedis incessu, an hoc negligeres? Nolles tibi tot devincire?

III. Plus potes, quàm dixi, plus forsan quàm ut possis credere. Scis quot sint in cælo Angeli? Illorum numerus est prope innumerabilis. Sunt plures, quàm sint in cælo stellæ, in littore arenæ, in agris gramina, in arboribus folia, in pecudibus pili, in hominibus capilli. Est turba quam denumerare nemo potest. Hos omnes tot numero cæli Proceres, potes dum placuerit, immenso gaudio perfundere, attestante ista veritate: *Gaudium erit coram Angelis super uno peccatore pœnitentiã agente.* Imò hoc gaudium redundabit in Apostolos, Patriarchas, Prophetas, Confessores, Virgines, Martyres, cœlites omnes: extendet se ad ipsam Dei matrem, Dei Filium, in totam cælestem curiam:

Luc. 15, 10.

Digitized by Google

curiam: Hinc dicit Christus: *Gaudium erit in cælo.* Et malis momento uno, iacere in cœno, amplecti lutum, quàm tanto gaudio implere cælum? Indurate peccator, credisnè sacris litteris? Credis Deo, qui toties, & tam multa dixit contra cordis tui duritiem? Vide quid à te requiritur. Nihil prorsus quod non possis, non ieiunia, non eleemosynæ, si non possis, non prolixiores quàm possis preces fundere, non quidquid extra te est: sed hoc unum, quod à te totum est, ut te præteritorum pœniteat, & seriò resipiscas. Dic ergo prodigus cum prodigo: *Surgam & ibo ad Patrem. Qua spe* (ait Chrysologus) *qua fiducia, qua conscientia? Qua spe? illa qua Pater est. Ego perdidi, quod erat filij, ille quod Patris est, non amisit. Apud Patrem non intercedit extraneus: intus est in Patris pectore, ipse qui intervenit, & exorat affectus. Vrgentur Patris viscera iterum filium genitura per veniam.* O quàm facilis est post delictum venia delicti. Vt sis post innumera scelera sine periculo tutus, sufficit vel unicus in Christum obtutus, ita monente Poëta:

Si male fecisti, mox respice vulnera Christi.

Januar. *Luc. 15.* *Sermon. 2. Filio Prod.*

28. DIES IANVARII.

Pœnitere, non impeditur temporis angustiâ, Dei misericordia. *Chrysost. in Psal. 50.*

I. ADhuc dubitas pœnitendo ad Deum reverti, à quo peccando fuisti aversus, & inde perversus? Quid te retardat? An quia peccata tua sunt numero plurima, enormitate maxima? Tempus verè quo possis pœnitendo peccata delere, brevè, contractum, angustum? Spem præbeat, animũ erigat tua huius diei tessera. Nihil velocius tempore, volocior tamen est misericordia illius, in cuius potestate sunt tempora. Obstupesce hîc eius velocitatem. Pauca, post grauissima flagitia protulerat verba David: *Peccavi Domino, Dominus quoque transtulit peccatum tuum*, respondit Nathan. *Velox confessio* (ait Chrysostomus) *velox medicina. Facto peccato, verbo pœnituit. Annuit Deus, correctio facta est. Vulnus apparuit, & sanitas rediit.* O peccator! Constas corpore quod est cognatum brutis; constas anima, quæ est cognata Deo. Cur in morbis tuis partem tui humiliorem, præfers parti nobiliori? Solicitudo præcipua, sit rei præcipuæ. Prima cura sit primæ partis, hoc est Animæ, propter quam est corpus. Animi morbi sunt multitudine plures, magnitudine graviores, periculo maiores. Eius medicina non tantùm prompta, sed certa; quia satis est ut saneris, velle sanari. Corporis curatio, est fallax: sæpè enim post omnia pharmaca, non tantum non abigitur morbus, sed & moritur corpus.

Stimuli ad conversionem. *2. Reg. 12.* *in Psal. 50.*

Januar. II. Vide nunc quàm sint morbi corporis curatu difficiles, quàm ægrotanti intolerabiles. Sinis tibi aperiri viscera ut calculus eximatur: sinis carnem vivam inuri, ad vulnus leve persanandum, imò artus & membra integra modico carcinomati impediendo, desecari. Quot sumendæ potiones amarulentæ, & hæc omnia magno quæstu, & pecuniæ iacturâ. Nec ea sunt in promptu: quæruntur illa trans maria, in remotissimis, & sub alio sole calentibus regionibus: Animæ verò pharmaca non sunt quærenda apud pharmocopæum foris, habes domi: non sunt à te remota, sunt planè vicina: non sunt extra te, nec circa te, sed in te. Quid adhuc te retardat à pœnitentia? Te mone, te adhortare, te incita: ut peccata tua omnia dimittantur, nihil desideratur præter tuum desiderium. Omnia creata propensionibus suis naturalibus, vestigium Bonitatis Divinæ amant, quærendo bene esse. Pudeat te, & pœniteat veram ipsam Bonitatem, propensiùs te non amare, cùm fortior sit qua polles gratia, quam qua constas Natura. O quale illud erit, cujus vel umbram tot conatibus amant creaturæ: ad quod aspirat, & suspirat conspiranti consensu totus omnium amor. Tu omnes dispersiones inclinationum; omnes errores cupiditatum in te congregare labora, ut in Deum contendas, & emendes oblivionem hominum, & in amando errores.

III. Quam potes comminisci rationem, qua excuses tuam socordiam, ut non convertaris ad Deum, & quidem sine mora, statim, hâc horâ, & quidem toto omnium virium conatu? An quod non sentias tuum malum, cùm ad oculum non pateat? Sed moneris per fidem, cui potiùs adhibenda est fides, cùm sit certior ijs quæ oculis vides. An quod natura nostra sit infirma, & non tantùm prona, sed præceps ad malum? Sed vel ideo debes converti ad Deum, ut flagites ejus Gratiam, qua velis, & robur quo possis tot hostibus resistere, imò vincere, ne aliàs succumbas & occumbas. An quod plura sint quæ pelliciunt lenocinia ad peccandum? Falleris, plura sunt, & efficaciora ad Virtùtem invitamenta. Si mundus hortatur, Deus vetat: si Natura inclinat, Gratia compescit: si dæmones suggerunt, Angeli inspirant. An quod malis hîc bene sit? O vesania! amare momentaneam prosperitatem, & non timere calamitatum æternitatem! An quod speres in sera ac decrepita senectute, spatium pœnitentiæ, quia Deus multos expectavit diu, ut parceret semel? O insensate! non est promissa vita, sed oblata venia. O ingrate! abuteris gratia Dei, & misericordia? Cave: iustus est Deus, & quia iustus, non iniustè aget, si non indulserit veniam, quando ad illũ venies, & quando conuerti volueris, cùm nolis, modo dũ te inuitat. Erit forsan, quando ob seram pœnitentiam, seriò pœnitens, tibi occines illud,

lud, post cladem Cannensem Hannibalis, *Cùm potui nolui, cùm volui non potui.* Idcirco Januar.

Esse bonus propera, nunquam nimium properabis,
Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

29. DIES IANVARII.

In via Dei timore incipitur, ut ad fortitùdinem veniatur. *Gregor. in Med.*

I. POEnitẽdo quod feceris pœnitẽda, nunc stas in via arcta quę ducit ad vitã. Qui te in via, ne aberres, præcedat dux, sit Timor: hic te manuducet ad Amorem. Timere debes, quia fecisti multa timenda. Debes timere quia peccâsti, quia potes peccare, & quia (quod vix dubium) peccabis. Certum est te peccasse, incertum an peccatum sit remissum. Quis non paveat, & caveat, qui in lubrico sua ipsa infirmitate vacillans, nutans, titubans, à multis præterea, & validis toto impetu concuteretur aduersarijs ad casũ, & ex casu ad præcipitium? Subijce tibi rem oculis, expende omnia, & explora animum miserandi illius hominis qui sic staret. Inquire quid de se sentiat, quid de suo statu, de sua securitate, de suo periculo; an sibi vigilet, sibi attendat, sibi à se ipso caveat, à loco, ab hostibus, & alijs quæ illum circumdant, periculis? Audi tua pericula ex S. Eusebio Emisseno. *Tanti laquei obiecti sunt ante pedes animæ nostræ, tam innumeri hostes observant, & custodiunt iter nostrum: tanta fouea, & tanta prærupta, tantæ rerum difficultates interiacent inter nos, & finem nostrum: via ipsa, quæ per se arcta & ardua est, tantis spiritualium latronum insidijs obsidetur: tantos scopulos, tantosq; fluctus nos transire necesse est, & putamus nos de præteritis debere esse securos?* **Conversio inchoanda à timore Dei.** Ad. Monac. Hom.

II. Summa est felicitas timere Deum, hoc est, nihil timere præter illum, cuius timor, securitas est. Multa nos torquent priusquam debent, quædam plusquam debeant, alia quæ non debent, alia cùm non debent: & hoc ob varios timores, sed quos gignit natura, non Gratia. Terrent nos plura quæ noxia non sunt, nisi quia metuimus, aliàs minime metuenda. Timor anticipat miserias, ut statim sit misericors, qui futurus aliquando est. Auferendi sunt omnes illi timores, sed ita ut is solus relinquatur, qui, quoniam legitimus est, ac verus, solus verè efficit ut possint cætera omnia non timeri. Neque enim solum periculorum asylum, sed timorum, est Timor Dei. Nam qui timet Deum, nec timenda, nec timorem patitur: supra pericula

Januar. cula eſt, & extra metus. At qui Deum non timet, ipſa non timenda timet, nec fugit timor, ſed fingit. Pœna non timentium Deum, eſt multa, imò omnia timere. Nulla mala aufert timor mundi, imò ipſe eſt malus. Hæc autem eſt gloria Timoris Dei, omnia aufert mala, confert bona, & ipſe optimus. Culpas impedit, pœnas tollit, pericula propulſat, timores delet, virtutes inſerit, bonorum omnium choragus eſt. Ille ergo ſolus timeatur, qui ſolus offenſus poteſt inferre timenda illis, qui non timent.

III. Timéſne illum cujus oculus omnia videt? Cujus manus omnia poteſt? Cujus præſentiam nemo poteſt euadere? Cujus Potentiæ nemo reſiſtere? Cujus Sapientiam nemo fallere? Cujus offenſa, malorum ſumma eſt? Cujus iudicium, æquitas eſt? Cujus vindicta, damnatio eſt? Time, ſi polleas gratia, ne amittas; time poſtquam amiſeris, ne pereas. Time à dextris, quia proſperitas, animum nimis attollit; time à ſiniſtris, quia adverſitas nimis deijcit. Time præterita, propter tot quæ patraſti ſcelera; time præſentia, propter tanta quibus exponeris, pericula; time futura, propter tot atrocia, quæ te manent ſupplicia. Mutus ille barbari Regis filius, cùm Parenti ſtructas videret inſidias, iamque vertici crudelem imminere ferri aciem, indignatus ſe naturæ obligari vinculis, atque retineri, vim omnem, & contentionem exprompſit, & mox elata voce exclamauit: CAVE. Quo prodigio parricidæ audaciam coërcuit, & Patrem ſervavit. Occine tibi centies per horam, ſexcenties per diem, CAVE. Stes licet in ipſo Sanctitatis faſtigio, cave; proximus es præcipitio. Sis præditus tantâ gratiâ, quantâ qui ſummâ Joannes Baptiſta, cave; homo es, ceciderunt multi virtute ſummi, potes cadere. Cùm dormis, cùm vigilas, cùm oras, cùm legis, cum prandes, cùm cænas, cùm ambulas, cùm quieſcis, omni loco, omni tempore, pave & cave, quia ubique tenebræ, foueæ, inſidiæ, certamina, pericula. Vanus eſt omnis metus, niſi illum metuas, quem metuunt omnes, & omnia: Si quidem

Sæpè facit metui non metuenda metus.

30. DIES IANVARII.

Diſplicet in pulchro Corpore non ſolùm morbus, ſed nævus. *S. Bernard. Epiſt.* 249.

I. TImor Dei caſtus reddit hominem non ſolum cautum, ut ſit ſine morbo, ſed caſtum ſine nævo. Docet enim minima delicta, quæ ob facilita-

facilitatem obtinendæ veniæ, vocantur venialia, maximi facienda. Hæc minima ut maxime timeas, illa quæ sequuntur expendas. Non potest nec lingua hominis exprimere nec mens Angeli concipere mala, quæ gignit in animo minimus animi nævus. Hoc enim tantillum malum, puta verbum otiosum ex negligentia prolatum, majus est malum omnibus malis Naturæ. Sic ut si alterutrum daretur eligēdum, expediret potius in corpore pati omnes omnium hominum morbos, membrorum mutilationes, vultuum deformitates, monstrorum turpitudines, in Anima vero, & corpore, satius esset pati tota æternitate omnia, & hominum, & dæmonum tormenta quam semel proferre unicum verbum otiosum; & sic leviſſima culpa Deum offendere. Hinc illud certum est, longe præstare, ut patefactis inferorum repagulis Lucifer ipse, & cum eo dæmones omnes corpus insideant, & conspirantibus omnibus viribus illud atrociſſime, in singulis membris, artubus, ossibus, articulis, arterijs, venis crucient, & in te solum omnem quam possunt, rabiem furorem, ferociam, effundant, quam ut momento unico persistas in peccato, quod fingi potest minimo. Ianuar.

II. Adhucne vile tibi est peccatum veniale? Plura sequuntur. Expende quam sit factu difficile, minimum peccati nævum, ex Animo tollere. Ut ille tollatur, non sufficiunt omnium Sanctorum, qui sunt, fuerunt, esse possunt, merita per se sola sumpta. Hoc ut penetres, propone hic tibi tam multa, & copiosa Sanctorum merita, adde omnium Angelorum, imo quod his omnibus majus est, ipsa quoque merita B. Virginis, omnesque tam raros, & heroicos virtutum, quos exercuerunt actus: similiter & tot Martyrum sanguinem, hæc omnia in unum congesta cumulum, non possunt eluere vel tenuiſſimam peccati minimi labem, qua afflata est Anima nisi accedat valor sanguinis, quem Christus pro nobis effudit, ejusque merita. O quantum est illud malum cum potius debeam eligere illud vitare semel, quam infinities mori, quam cælum & terram redigi in nihilum, quam damnari totum genus humanum. Si B. Virgini lachrymanti ad pedem crucis, & deflenti ejus cruciatus & mortem, daretur optio, an vellet Filium suum eximi istis cruciatibus, & videre statim immensa cum glotia considentem à Dextera Patris, simulque salvari infinitos homines, aut assentiri in unum peccatum veniale, potius illud fugeret, malletque videre Filium suum sine sua culpa millies crucifigi, & mortē quam passus est, pati, quam tali, licet minima labe inquinari. *Lanticius t. 1. de Recol. Ovid. Medit. 12 p. 497.*

III. Non juste dicitur leve, quo nullum in Natura est gravius: nec prudenter asseres paruum, quod solum supra se habeat aliud magnum. Non igitur est paruum peccatum veniale quod supra se solum habeat a-

Ianuar. liud majus, id est peccatum mortale; imo proinde magnum censendum est, quia supra se non habet, nisi unum malum, quod sit majus. Ingens malum est, quod uno tantum malo est minus: ingens malum, quod cæteris cunctis malis est majus, opprobijs, injurijs, morbis, tormentis, morte, & ipso tartaro. Ingens malum est, quo majus, aut æquale, Deus ipse tibi immittere nequit, licet omnes damnatorum, & hominum, & dæmonum pœnas accumularet. Non est paruum malum, quod disponit ad malum malorum maximum, & pessimum, peccatum mortale. Annè parva violètia esset, quæ saxum molare è cælo toto impetu cadens in aëre suspenderet ne ad centrum suum devolueretur? Vnum peccatum veniale detinet Dei Misericordiam, quæ maiori desiderio fertur ad nobis benefaciendum, quam saxum molare impetu devoluatur deorsum, & illam quasi suspendit ne Anima iam soluta corpore contingat centrum suum Deum, sed ad purgatorium summa vi præcipitat, ut labem eluat. In altero seculo minima culpa punietur graviùs quam hic maxima quæ fingi potest pœna. Cave igitur, enim vero

Ante Dei vultum, nihil vnquam restat inultum.

31. DIES IANVAR.

Sicut capillus de capite, sic nec momentum peribit de tempore. *S. Bern. serm. ad Scholares.*

I. ECce hic huius anni mensis primus ordine, tibi fors vltimus tempore, euanuit, & cum eo dies salutis 31. præterierunt. Sequuntur alij, ut hi, præterituri. Itaque sta paulisper in huius mensis quam premis metâ, & de tempore labili, si tempus suppetit, hæc pauca animo recole. In hoc 31. dierum tempore, quot fuerunt momenta, quorum quodlibet summi est momenti. Non peribit vel vnicum momentum de hoc tempore, sicut nec capillus de capite. Quia pro quolibet expectandum est, si bene, præmium, si male exegeris, supplicium. Deus ergo sicut numerat omnes capillos capitis, sic & momenta temporis. Nero extremam cum insaniret insaniam, tam fuit in amanda Popæa amens, ut singulos capitis eius capillos numeraret, imo singulis nomina imponeret, quibus eos compellaret, & de iis canticum componeret. Pectinem quoque aureum, quo capillos explicaret, comparavit, & si fortè capillus de capite caderet, mox eum Nero

auro

auro incluſum Iunoni conſecrabat. Hæc fuit vecordis hominis ridenda di- Ianuar.
cam inſania, an deflenda proteruia?

II. Illud in confeſſo eſt, maiorem Deo eſſe curam de ſingulis ſingulorum hominum, vti capillis, ita & temporis quo viuunt momentis. Quæ tibi de illis eſt cura? Quodlibet momentum te ducit ad interminatum Æternitatis ſpatium. Momentum vltimum quo corpus interit, omnibus oblectamentis hominem ſpoliat: quid ergo faciet illo momento perpetuitas Animæ morientis? Æquat mors, lætum aut triſte ſit, quidquid eſt in viuis inæquale, nec magnus ille Stylites Simeon de 80. nec Romualdus de centum annorum aſperitate duriſſima, plus aliquid ſenſere morientes, quam ſi Sardanapali ſemper, aut Heliogabali viziſſent; verum illius tantum æternos fructus retulerunt. Opta, ſis Chriſtiane, vtrum mauis: æquè fugit voluptas fluxa peccantium, ac labor ſanctus pœnitentium: manent æterna, ut illos, quæ peccando ſupplicia, ſic hos, quæ dolendo ſibi compararunt præmia. Age nunc, ſtatue num præſtet pœnitentiæ momento leviſſimo, æternæ gloriæ pondus occupare; an puncto voluptatulæ fugientis, æternis incendiis auctorari?

III. Nec te vitæ huius prolixitas terreat. Fingamus tibi centum vitæ annos à Deo indultos, & interim oppignoratum tibi cæleſti promiſſo annum centeſimum, ſed hac lege, ut in eius æui ſuſtentationem nihil ſis habiturus, niſi quod horæ vnius ſpatio ex apertis potentiſſimi Principis ex promptum theſauris ſepoſiturus ſis. Fingamus, ſi mauis, vnam divinitus tibi horam concedi, poſtquam item divinitus noveris, mundum, & te cum illo, periturum: horam illam te quæſo, quam auarè, & ardenter, quâ rapiditate inſumpſeris? Et torpemus cæci, & inertes, & ſalutis noſtræ ſempiternæ non ſolum negligentes, ſed hoſtes capitaliſſimi, torpemus in noſtra meliori cauſa, nihil in tota meſſuri æternitate, niſi cuius brevi nunc vitæ hora ſementem fecerimus? Euigilemus tandem, & aliquid ſobrij conſilij ineamus. Si nobis centenario labore millies tantum lætitiæ ac delitiarum deferatur, magna profectò, & quæſtuoſiſſima gratia præſtetur. Vnius horæ patientiâ cum æternitas omnis ſuis exundans gaudiis defertur, qua mente nos eſſe neceſſe eſt, quam diligenter, & auidè hora illa vti, vitæ ſcilicet huius brevitate. Plane, ſiquidem ait D. Auguſtinus: *Pro æternâ requie, labor æternus ſubeundus eſſet, & æternam felicitatem accepturus æternas paßiones ſuſtinere deberet.* Quanto magis delectationes horrere noxias, ac momentaneas, æterno nihilominus cruciatui nobis futuras. Si quod eſt damnum, quod deberet nobis extorquere ex oculis lachrymas, è pectore ſuſpiria, ex ore

lamenta, deberet esse damnum temporis. Dic ergo cum Poëta.

Damna fleo rerum, sed plus fleo damna dierum:
Quisque potest rebus succurrere, nemo diebus.

1. DIES FEBRVAR.

Februar. **Dignior sequetur effectus, quem ferventior præcedit affectus. *August. Epist.* 121.**

Nouus mẽsis nouo inchoandus feruore.

I. ECce hic secundi mensis diem primum, qui ut animo tuo sit secundus, debet tibi esse cura prima. Ut huius mensis tempore vtaris cum fœnore, multum conducet, si præcedat illius bene vtẽdi feruens desiderium. Nam secundum mensuram affectus, erit & effectus. Ut hic ex voto sequatur, in hoc elabora, ut tota tua huius mensis opera, sit opus bonum. Imo totum tuum negotium, sit mala pati, & bona facere. Velis, nolis, semper, & vbique necesse est pati. vide ut cum vsurâ patiaris. Hoc tibi certo persuadeas, plus patiendum esse quam viuendum, nec modum, nec partem vitæ esse expertem laboris. Vnum malum quod pateris, gradus est ad aliud quod patieris & vnus labor, est hæres alterius. Si hunc fugis, sequentem non effugies. Labor aliquis tibi est certus qui subeundus est, aut cum lucro, patientiâ, aut cum damno, pœnitentiâ. Solum igitur commutare possumus laborem, non declinare. Vide igitur cui velis huius mensis, quem hodie auspicaris laborem consecrare, temporiane æternitati, & in ea pœnæ, an gloriæ, Deo an mundo, tibi an hosti tuo?

II. In hoc plurimi, ne dicam plerique pernicioſissime errando hallucinantur, quod censeant, ut salute potiantur, non esse necessarium, tantum ad perfectionem conatum. O imbellis! Quid curas de beatitudine tua tam misere? de salute tua tam perniciosè? De gloria Dei tam abiectè, & limitate, quæ est immensa? Amabo te, si salus tua penderet, non solum ab obseruatione mandatorum, sed etiam à Christi consiliis, & simul in tua perfectione staret, & penderet salus omnium, qui fuerunt, sunt, & erunt hominum, Angelorum ac B. Virginis, & liberatio Christi à cruce, ut tantum assequereris bonum, quantum vix vllum potest esse maius, nónne quidquid in te est industriæ quidquid posses subire laboris, quidquid valeres omnibus, & Naturæ, & Gratiæ, corporis, & Animi viribus, id totum conatu toto impenderes, ut perfectionem assequereris, non nescius tui vnius

nius laborem, fore omnium salutem? Nunc igitur attende, & maturè ex- Februar.
pende, maius, quam dixi, propono bonum, hoc est Gloria Dei, & beneplacitum Divinum, quod multo est maius, quam salus omnium hominum per se considerata, & quam ipsa vita Humanitatis Christi.

III. Cum igitur tanti sint pretij singula tua opera, ut possis quolibet placere Deo, & augere gloriam Dei, serio illa hoc mense propone sic aggredi, ut velis facere perfectius, quam vnquam antehac, ad vtilitatem triumphantis in cælo, militantis in terra, & patientis sub terra Ecclesiæ; ad Dei honorem, tuam salutem, aliorum vtilitatem, omnium exemplum. Sic perage quodlibet opus, ac si Deus ex creatione mundi, & redemptione hominum, & præparatione gloriæ pro hominibus, non exspectasset alium fructum, quam hoc quod agis opus. Perinde ac si tota tua salus, & simul omnium hominum & gloria Divinitatis penderet de minimo tuo opere. Imo sic te in quovis opere impende, ac si aliud nullum posthac esses repetiturus, sed statim absoluto hoc opere, moriturus; ac ità illud opus foret totius vitæ, inter omnia opera postremum. Ne igitur parcas labori levi, cum iactura meriti tanti. Ne frustres finem tuum, sed conare imitari cum gratia Dei pulcherrimos conatus naturæ semper curantis fructus suos meliores quoad possit producere tibi, ut tu perfectiori modo possis servire Deo. Memineris semper obsequia tua omnibus modis diminuta esse, nec posse fieri æqualia Gloriæ, quæ tibi promissa est, nec pœnis inferni quas meritus es, nec laboribus Christi, quos pro te pertulit, nec beneficiis Dei, quibus te oneravit, nec eius bonitati immensæ, cui tu servis.

2. DIES FEBRVAR.

Quidquid Maria egit, disciplina est. *S. Ambros. l. 2. de Virginib.*

I. TRes hodie in Templo Salomonis veluti in celeberrimo theatro, personam sibi à Deo impositam summa cum dignitate sustinebunt, Infans, Virgo, Senex. Infans simul, & antiquus dierum, Virgo simul, & Mater; Senex simul, & Vates, Infans, Filius Dei; Virgo, Mater Dei, Senex, servus Dei, Iesus, Maria, Simeon: quot nomina tot Numina. Quidquid egerunt singuli, disciplina est. Primus sit ordine, qui primus dignitate, Iesus. Ingressus est Infans templum ut observaret legem, qui ipse tule- Invocanda Deipara.

Februar. rat legem. Sed quidquid ipse fecit, nobis lex est: quia omnis eius actio, nostra est instructio, Christi imitatio Christianorum est perfectio. Hunc Infantem sequi est dignitas, assequi felicitas. Non est quòd timeas falli, dum crucem pro delitiis, opprobria pro honoribus, nuditatem pro opibus suadet; qui suadet, est Veritas, nec errauit qui sic agendum iudicauit, quia qui iudicat, est Sapientia. Nec est quod diffidas, est idem summa Bonitas, summa Potentia: his tamen rebus te redemit, & speras te aliis redimendum? Tua salus isdem operibus incipitur, & perficitur. Hic te voluit Christus redimere, sic tu velis redimi. Non decet aliâ viâ incedere membra, quam eâ, quâ præcessit caput. Ad illius ergo mores vitam tuam compone, cuius vita est omnibus viuendi norma.

II. Sequitur nunc Maria, quæ quidquid egit, agendi fuit disciplina. Ingreditur Templum, non tam in Templo purganda, quam ipsum Templum purgatura. Vtpote quæ non tantum sine macula erat tota pulchra, sed ipsa pulchritudo: nec tantum erat Gratia plena, sed ipsa gratiarum plenitudo. Soles adire Templum orationis fundendæ, hoc est eleemosynæ pro Animo petendæ gratia, siue ut stipem gratiæ impetres: adest iam in Templo, hoc est in domo orationis illa ipsa cui à Filio indultum est ius dispensandi gratias, quæ velut Materfamilias in domo Dei habet claues Misericordiæ. Clama, exaudiet; pete, dabit; quære, inuenies, pulsa, aperiet; spera, in ipsa est omnis spes vitæ; spes hæc non confundet. Crede verum esse illud sancti Præsulis pronuntiatum. *Citius cælum cum terra perierit, quam Maria aliquem sero se inuocantem, sua ope destituat.* Es rerum omnium inops? pete opem. Pudeat aliquem mendicum ardentius postulasse vilem pro corpore eleemosynam, quam te pro Animâ Gratiam. Tu hic coram Virgine omnium mendicorum opta induere affectus, ut obtineas vel minimam stipem Gratiæ: sequetur, nullus dubita, ex tanto affectu, quem optas effectus. Ab illa enim aliquid petiisse, obtinuisse est.

Bloſius ſpec. Spir. c. 12.

III. Succedit in scenam tertius, non annis, quam meritis senior, Simeon. Is excusso grauis ætatis tepore, non gradu, sed cursu, per Templum, velut stadium, ad Infantem quasi ad metam, ad Infantis conspectũ, velut ad curriculi bravium, properare. Quem ut intuitus est, mox stupore defixus amore attonitus, sacro horrore perfusus, hærere, fluctuari, velificari, desiderio; nunc vlnas, ut accipiat protendere, iam ne accipiat, retrahere; eum ferè mentis inopem lætitiæ copia fecit. Non satis erat, quem tot annis spe videndi devoraverat, oculis tantum libare, nisi brachiis constringeret. Suscepit ergo in vlnas nec dum vnius vlnæ Infantem, sed quem nec cæli, nec cæli cælorum capere possunt. Cum sacrum illud pondus, quod

omnia

omnia in mensura, & numero, & pondere disposuit, gestaret, quasi ab eo gestaretur, nullum sentire onus (erat enim is, cuius onus leve) caligantes senio oculos in puerum iterum, iterumque demittebat. Optabat iam totus esse oculus, ut illum toto obtutu videret, quem semper videre, salus est videntis. Tandem petit dimitti in pace, & ut eâ fruatur, cupit occumbere morte. O mortem verè vitalem; mori præsente eo, qui est Vita nostræ vitæ. Quid ni exclamem, & acclamem sic morienti? Februar. *Sap.* 11.

Felicem sortem, sic posse occumbere mortem!

3. DIES FEBRVAR.

Non habemus quod in morte timeamus, si nihil quod timendum sit, vita nostra commisit.

S. Ambros. de bon morte 1.8.

I. PAtet hic ingressus in laxissimum campum, dum hic agimus de Animæ ex hac vita egressu. Quatuor novissima, ut par est expende, erunt tibi ad Bonum calcar, à Malo frænum. Ordior à parte novissimorum prima, quæ est finis vitæ. Nihil esse in morte timendum, si nulla ante mortem commisimus timenda, docet prædicta tessera. Scio, insanum hoc esse iudicium vulgi; quis vnquam pictorum ausus est mortem pulchritudinis, ut in ea nihil sit timendum, coloribus exprimere? Quis aliter eam delineavit, quam sine fronte, sine naso, sine pilis, sine genis, sine labris, sine oculis, ossium aridorum compagem, & naturæ monstrum informe? Quis pulchrum credat, quod horrent omnes? Quis amabile, quod horribilium omnium existimatur horribilissimum? Vide quid mors moliatur in homine. Fædat genas, extinguit lumina, speciem euertit, totum hominem dehonestat. Hic error est Phantasiæ, non sensus Prudentiæ. Horreat mortem, qui turpem vitam agit. Quod phantasma pictorum est, hoc mortem esse existimas? Error est popularis. Terrentur mortales ut pueri Empusis, & lamiis. Mors non est mala, vbi vita fuerit bona.

II. Vulgus, bonorum maximum, vitam putat, mortem malorum primum. Fallitur, atque ut in cæteris bonis aberrauit, ita in maximis maximè errat. Vita potiùs maximum malorum est, si non benè vivis, & mors bonorum maximum, si non male moriaris; nec male morieris, si non male vixeris. Vita non bona, spatium malis, & sceleribus laxat, mors non mala, finit

Februar. finit mala,& miserias. Non est ergò mors mala, nisi illis qui fecerunt malam pessimâ vitâ. Quapropter vis mortem ad viuum pingere? Pinge vitam;qualis vita,talis mors. Non est mors hominis ut pecudis: non est Animæ interitus, sed transitus. Turpem mortem sola peccatorum fæditas facit. Vis non timere mortem? Time peccatum, quod est stipendium mortis. Nullus titulus est mortis odio,plurimi desiderio:siue respicias quid ipsa sit,siue quid ipsi accedat, sive mala quibus asserit, siue bona quæ inserit,& quia ipsa malum non est,& quia bonum est: quin licet malum esset, non compensaret bona quæ confert;licet bonum non esset, non exæquaret mala quæ aufert. Quare non est Sapientis,mortem metuere, quam nequit effugere. Sed Sapientis est nihil admittere in vita, cuius illum pœniteat in fine vitæ,& ita corpori vitam dare,ut Animæ non auferatur. Peccatum est mors Animæ: si mors hæc morti corporis iungitur, damnatio sequatur necesse est.

III. Illam homini Deus, illam animantibus omnibus,illam rebus omnibus conditis imposuit necessitatem: ut sicut cæperunt aliquando, sic olim intereant. Si quàm Deus vitam ceu depositum tradidit,eandem quando lubet,repoſcit:quid adeo naturæ mirum,aut insolens? Omnium versatur vrna. Ex omnibus qui ad hanc ætatem ab orbe condito vixerunt, aut viuunt,aut victuri sunt,olim, eximitne quenquam ab hac adamantina lege.& ferrea necessitate,vel eximet aliquando diadema regium,Imperatorium paludamentum,fasces consulares, victoriarum claritas, opum magnitudo,amicorum potentia, deuotio clientum, Sapientia, robur animi, corporisque,aut etiam vitæ sanctitas? Nec alia debet, aut potest reddi ratio,quam quod fuerint mortales. Quid mirum mortales mori? Mortalium, ut mortalia sunt opera, sic & vita. Mors intolerabilis est illi qui priùs suis non est mortuus cupiditatibus,& totum exspectat simul absorbere interitum: dum videlicet moriente corpore mortali commoritur Anima immortalis. Necesse est ergò mors sit grauissima illi, cui multa moriuntur morte sua. Vnius rei iacturam gemimus,aut honoris, aut voluptatis, aut amici,quantus dolor erit,vno omnia perdenti ictu, vno totam vitam amittenti momento? Viuebat in illo turba vitiorum luxuria, superbia, Auaritia,Invidia,Acedia,hæc illo vno moriente moriuntur omnia. Noli ergò infamare mortem quasi malam,& accusare quasi timendam. Quippe

Præstat morte mori,quam vitam ducere mortis.

4. DIES FEBRVAR.

Quid est diu vivere, nisi diu torqueri? *Augustin. de Verb. Dom.*

Februar.

I. NIhil in vita miseriùs ipsâ vitâ. Ut verè nil aliud sit vivere, quam torqueri. Quid enim habet, ut ita optetur vita optabile? Nisi malorum consensionem, miseriarum pertinaciam? quarum tanta est multitudo, ut multi illas non timeant, quia multæ. Lyces Princeps censuit, vitam esse supplicium Animo, simile illi quo vivi cadaveribus constricti, os ori, pectus pectori, manus manibus atrocissimè cruciabantur. Anima illa, Divinæ particula auræ constringitur putri, fluidoque corpori. Quod si quis posset, quaqua patet vniversus orbis, oculos circumferre, & lynceis effoderet oculis mausolæa, vermium caveas saginantium se saginatis? si lustraret omnes angulos orbis, & sordes aspiceret, quibus celebrantur fundamenta, quibus dedicabatur nostra miseria, doloribus matris, fletibus infantis? Quid si penetraret cubilia, & pectora? lachrymantes videret & optantes: videret fastidientes, hunc deflere sponsam, illum liberos, hunc famelicum, illum nauseantem: hunc anxium pro necessariis; illum solicitum pro superfluis. Quid si nullam reperiret sine ludo fortunę domum, nullam sine lachrymis, nec vllum in domo incolam sine suspiriis? Quid si tot, quot dolor exurit, quot morbus infestat, quot curæ divexant, quot cupiditas rotat?

Mortem optandam reddunt miseriæ humanæ.

II. Certè tot calamitatum veluti spectris attonitus, & territus, tœderet illum vitæ, qua sic miseriis morimur; qua sic in nobis miseriæ viuunt. Quot simus hic circumsepti vndique calamitatibus, audite ex Ethnico Satrapa. Ita M. Aurelius Antonius: *Si singuli linguâ palam exprimerent, quæcumque clam in corde sentiunt: Cælum credo suspirius rumperent, humumque lachrymis inundarent.* Quam vastus debet esse dolor, quo per suspiria in apertum erumpente, velut fragrosum tonitru nubes scinderet, aërem finderet, cælum rumperet. Nec id supra fidem. Quia dolor animi minimus, maior est dolore corporis maximo. Omnibus quippe, quæ corpus infestant, malis subsidium quo illud, vel tollerent, vel minuerent, inuenerunt homines. At si ærumnosum cor loquatur, nemo audit, si intus lachrymetur, nemo videt, si queratur, nemo credit. Quid igitur tali faciendum, nisi ut vitam, qua

Epist. ad Cæsulum.

Februar. moritur, odio habeat; mortem, qua viuit, amet? Vnde magni viri virtus Heroica non intolerandis corporis doloribus, sed in dissimulandis animi affectionibus consistit.

III. Illa enim quæ sunt in penetralibus abdita pectoris, humores perturbant, sine vllo gestuum externorum indicio; febrem accendunt sine pulsus variatione, homines prosternunt, in genua deiiciunt, vndis ore tenus mergi, mori tandem vitâ non amissa cogunt. Denique vitam prorogant, ut mala plura irrogent, tumulumque negant, ne in eo quiescamus. Si quis furentibus circumseptus feris, hinc irruentem in se spectaret impetu tygridem, inde apertis vnguibus leonem, inde tortuosum colubrum, aut plebem vndique ferarum, vrsos, tauros, lupos, dipsadas; ad hæc impeti telis vndique, circumquaque pericula hauriens, quæ major ipsi videretur felicitas, quam beneficio mortis, eripi tot periculis, absolvi periculorum metu? Annè minor erit favor, eripi malis maioribus? Circumdant nos, imo inundant in nos, cupiditates ferocissimæ, dilacerant nos votis, fortuna iaculis nos fauciat fortiter; vbique malorum ambitu concluſi sumus, vndique miseriæ invadunt; quædam invasuras se minantur: quædam quia invaserunt, cruciant; imò iam omnes cruciant, dum minantur aliquæ: quin & timor ipse minarum facit, pœnas. Sola mors vorat tot mala. Omnium malorum remedium est, quo desinunt omnia. Quis igitur mortem non prehensct, & optet mori, ut in hac vita desinat pati?

5. DIES FEBRVAR.

Vitæ huius principium, mortis est exordium. *Ambr. l 2. de vocat Gent. c. 8.*

Incipimus mori, dum incipimus nasci. I. VIta nostra non tantùm est calamitate ferox, sed celeritate velox. Licet non sit obscura labentis temporis pernicitas, iuuat tamen illam & intelligere clariùs, & sentire penitiùs. Siue autem currum incitatissimum, quo abripiuntur omnia potiùs, quam feruntur, tempus videlicet, mensuram motus, cum philosopho, opinemur; seu, cum Speusippo, solaris circuitus; seu cum Alberto magno supremi orbis, seu cum Proclo, conversionum cælestium; vbique tamen fateri cogimur, & explosarum tormento glandium, & cadentis fulminis impetum lentum esse, præ velocitate qua vita hæc nostra cum tempore avolat; quando iam non dubio calculo probant

bant Astrologi fixas in cælo stellas citatissima vertigine, vltra decies centena millia leucarum vna hora quadragies obire. Hoc ergo passu hic vitæ habitus, quam spiramus, fugit: hoc passu iam inde ex quo sumus concepti, mors contra nos rapitur: nec scimus quo nos vitæ nostræ, qualive conscientiæ articulo deprehensura sit: scimus tamen tam brevi itinere, tam prodigiosa pernicitate proruentem non posse longiùs abesse. Cur non igitur illam momento quolibet parati expectamus? Februar.

III. Adhæc habet tempus, ut motum metiatur successione partium constantem, quarum nullam priùs potest contingere, quam interierit præcedens, quare nihil iunctim ac simul totum donare nobis tempus valet, sed mancum, & mutilum, semivivum, & semimortuum, nam pueritiæ candorem inventutis vigore, & hunc senectutis iudicio, ac prudentia interimit, & cum angusta sint huius vitæ dona, tã parcè præterea, & angustè distribuuntur à tempore, ut ne vitam quidem nisi particulatim largiatur, & hanc totidem mortis, quot vitæ distinctam, & comminutam punctis; quorum vnicum tantùm, cum ex omni eo quod effluxit, venturumque est, præsens teneamus, hoc ipsum ex æquo cum morte dividimus, omnemque pariter, quæ cum illo nobis momento advenit, voluptatem. Itaque ut eques ingentis pretij ornatus, ac phaleratus gemmis, & navis gaza peregrina dives, in transcursu cerni, & delectare nequeunt intuentes, sic ista cum prætervolent omnia, & fusis ad mortem habenis properent, quid possunt cuiquam afferre delectationis, nisi leviſſimum, atque breviſſimum?

III. O nos fatuos! ô inertes! ita præterit vita, ut ne vivere quidem discamus. Non enim vitæ, vel diuturnitate, vel brevitate metienda felicitas, sed præclarè illa vtendi scientia. O Filij terræ! ô discipuli vanitatis! nunc demum intelligitis avolare tempus alis non vibratis: fugere vitam pedibus non sublatis: digladiari fortunam brachiis non commotis; commeatum petere mundum ne verbo quidem prolato: homines nos decipere immobilibus labiis; consumi carnem nemine advertente, emori cor nullis adiutum remediis, denique gloriam nostram, ac si nunquam fuisset trãsire, mortemque nobis ne pulsatis quidem foribus insultare. In primis brevitas vitæ nos à vitæ huius amore prolixè avocat, vocatque nos ad illius vitæ amorem, quæ adeo diuturna est, ut semper sit. Quid vitæ inhæreamus, quæ vix vita est? Quis vitam illam amet, quæ quo magis amatur, maiora damna affert? Brevis hæc vita clamat, amandam illam, quæ erit æterna. Loquatur hic Eucherius. *Pro vita quam diligitis, legatione apud vos fungimur, ut hanc quam omnes exiguam amatis, insinuamus ut ametis æternam &c. Itaque si istud,* *De contemptu mundi*

Februar. *si istud, & quod tam arctum est placet, placeat magis, si potest esse perpetuum: & quod apud nos pretium habet cum finem habeat, sit nobis supra pretium, si potest esse sine fine.* Non ergo inhæreamus perituris, ne pereamus. Quidquid in hac vita æstimatur magni ponderis, est leve, quod putatur longi temporis, est breve. Scitè enim Poëta.

Est hæc vita levis, transit ut aura brevis.

6. DIES FEBRVAR.

Homo est flos tempestivè nascens, tempestivè marcescens. *Sanctus Gregorius. Nazianus Oration.* 10.

Homo flori similis.

I. DOrothea quæ in Ecclesiæ viridario fuit virginitate Lilium, charitate Rosa, animi demissione viola, voluntatis suæ cum Divina, conformatione, Heliotropium, virtutum denique varietate non tantum tota florida, sed tota flos, dum in ipso pubescentis ætatis flore hodie carnificis gladio demetitur, hominem esse florem tempestivè nascentem, tempestivè marcescentem, demonstrat. Imo est solstitialis herba, aut deciduus brevis ævi flosculus, mane ridens, guttulis intermicantibus affluens, inhians soli, & totum sinum suum aperiens, qui sole oriente pubescit, occidente tabescit, nec diei priùs finem sentit quam vitæ. Rem hanc sacro emblemate illustrat Iob, dum ita loquitur de homine. *Qui quasi flos egreditur, & conteritur.* Quasi idem illi sit nasci, & mori, incipere, & desinere. Vix oritur, & ecce moritur. Paulo ante in vtero, paulo post in tumulo, heri in thalamo, hodie in feretro. Heri canebat epithalamium, hodie legunt eius epitaphium. Vix supra terram oculis se obiecit, mox infra terram oculis se subduxit, dum apparuit, simul evanuit.

Iob. 14. 2.

II. Verè homo flos, & quidé quo nihil fragiliùs *flos feni*, quem tametsi nulla pruina coquat, nec sirius exsiccet, nec ventus quatiat, nec rodat vermis, nec carpat vnguis, nec contundat aratrum, per se tamen occidit. Flos cuius vigor & species vnius dieculæ spatio, ac ne toto quidem, circumscribitur: cui possis oraculum illud inscribere. *Mane floreat, & transeat.* Talis flosculus erat Adolescens ille Euangelicus Filius vnicus matris suæ. Incurrit enim verò etiamnum funesta illa cupressus, & vespillo nec-

Isa. 40. 6.

Ps. 89. 6.

Digitized by Google

mœstus, & lectulus rosis coronatus, & tubarum sonus, & matris lachrymæ, & matronarum næniæ, & libitinarius omnis apparatus. Illa gemma quæ in florem, atque fructum expandebat se ad orientis solis dulce lumen; exiguo frigore decussa est; columen familiæ eversum est, & qui paulò ante sanus & viuus in omnium oculis ferebatur, iam mortuus funus effertur. Caduca vitæ possessio est, non opus est ut labatur violentia, per blandimenta concutitur. Stultè nimio studio retinere volumus, quod vndecumque dilabitur: stulte fugis id, quod qualibet digrediaris via, veniet, aut quo venies. Februar.

III. Furibunda, & cæca mors indies grassatur, & in quosuis sine discrimine debacchatur. Non movetur dolentium lachrymis, supplicantium precibus, non exhorret potentiam superbi dominatus. Nihil facit Dynastarum purpuram, diademata Regum, gemmeas Pontificum tiaras, & satellitum armiferas cohortes. Cumque laurus horrificum cæli fulmen arcere dicatur, telum igneum mortis, & capita laureata Principum, & tiarata Pontificum, & galeata militum, & pileata Advocatorum sævum exitium ferens, pervadit. An non sæpè viri Principes in ipso rerum illustrissimarum exordio, in cursu gloriæ, primo velut in gradu ad felicitatem, metam inveniunt vitæ, & grandium cogitationum? An non sæpè in ipsa victoriarum pompa, in gaudio populorum, & applausu, fluentibus ad nutum rebus, & obsecundante fortuna, quasi mimus ageretur splendidissimo in theatro, derepente scabella concrepant, aulæa tolluntur, beatuli illi, & triumphantes è scheua diffugiunt, & dum omnes festa lætitia, & modulatè concinunt, viuat, viuat: natura, & prouidentia inclamat, moriatur? Quid ergo hebetiùs illis hominibus qui in fugacissimæ vitæ articulo, quæ vix vnius diei limitibus includitur, cælo proposito, & iis bonis, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, ore inhiante vmbras stupent, seque totos in luto volutant? Donec emergentes è luto, repentè mergantur in orco. Aurem illis vellicat Poëta dum ita cantat.

Est tibi vita brevis, modo vivis, cras morieris.

Digitized by Google

7. DIES FEBRVAR.

Februar. • Mori malè times,& malè vivere non times. *Augustin. de temp. serm.* 239.

Mors est Echo vitæ.

I. CVm auari studiosè quærant, quo diteſcant; mæſti quo exhilarentur, infirmi quo ſanentur, ambitioſi quo exaltentur: cur qui mortem adeò timent, non quærunt remedium, quo illam non timeant? Malè timetur, quod noſtri eſt arbitrij non timere. Illud metue, vnde mors redditur metuenda; hoc eſt vitam malam. Rogatus à Socrate Plato, quomodo in vita ſe geſſiſſet, & quomodo in morte ſe eſſet geſturus. Audi reſponſum magis Catholici, quàm Ethnici. *Scito*, inquit Socrates, *in Iuventute operam me dediſſe, ut benè viuerem, in ſenectute, ut benè morerer*: quare cum & honeſta vita fuerit, & mortem lætus exſpectem: nec vita mihi dolori eſt, nec mors timori erit. O vitam in hac perpetua morte verè vitalem, ſic eam inſtituere ut nec vita ſit dolori, nec mors timori. Vis ad hunc felicitatis apicem gliſcere? Attende. Duæ ſunt res, quæ difficilem hominibus mortem efficiunt; vel amor ſcilicet eius, quod relinquimus, vel metus eius, quod exſpectamus. At cum hæc vita nihil habeat amabile, ſi bona præceſſerit vita, nihil mors quod metuas, habet formidabile.

II. Ne mortem, ante tempus mortis timeas, ita viuere oportet, ac ſi poſt horam vnam eſſet emigrandum. Decet priùs deſinere, quàm deſinas; finem facere, quàm finem accipias; mori quàm moriaris, ſepeliri quàm ſepeliaris. Hoc eſt, priùs oportet deſinere malè viuere, quàm deſinas viuere. Hoc ſi à te impetres, ita facile è vita migrabis, ac ſi è domo vna migres in aliam. Non eſt Chriſtiani velle ut tempore ad peccandum abundet, ad reſipiſcendum careat. Vtinam temporis illius, quod cogitationibus de peccatis committendis, tribuis, ſaltem tertiam partem meditationi de obeunda morte tribueres; & quàm ſolicitudinem in explendis pravis cogitationibus collocas, eam in deflendis ſceleribus collocares! Totus mundus immiſſis habenis in flagitia cum ſpe ad frugem redeundi in ſenectute, & reſipiſcendi in morte, præcipitat. Omnium ſenſus eſt: Arctari creſcens pueritia non debet, ſenectus debilis vexari, virilis ætas à curis domeſticis curſuque honoris abduci; iuuentuti aliquid dandum

dandum est. Deo quid? Animæ quid? Æternitati quid? Nulla videtur huic matura ætas. Nullus temporis, & rerum cardo, donec suus neget prægnantem fœtus, partumque toties differenti, vires negentur pariendi. *In die illa occidet Sol in meridie.* Idem fors tibi eueniet. In ætatis vere, in fortunæ flore, in media dignitatum luce, in festo lætitiarum, aulæ, pomparumque splendore ac strepitu, ad locum, punctumque supplicij venies. Februar. *Amos 8.*

III. Hoccine rationi est consentaneum, cum tot committamus vno solo die peccata, ut vel vnico peccato deplorando tota vita non sufficiat: ut deplorandis vniuersis totius vitæ nostræ peccatis non amplius quàm vnicæ horæ spatium requiramus? Fateor, ea est Dei clementia, ut sufficiat vna hora, ut vitæ perditè actæ te pœniteat. Sed auctor sum, ut si velis vnam horam pœnitendo impendere, ea ne postrema sit. Suspirium enim voluntariè emissum, cælos penetrat: necessitate expressum, ne tecta quidem transit. O quæ cæcitas? Horam pœnitentiæ, veniæ, gratiæ, gloriæ destinatam cælitùs, ac donatam diuinitùs, otio, fabulis, apinis, donari! O quàm illos lacerabit æterna pœnitudo neglectæ opportunitatis, qua breui compendio cælum sibi asserere poterant. Si, quod absit, tam execranda fors, te interceperit, ut inimicum Dei mors te repentè opprimat, quo fletu, quâ rabie, quibus vlulatibus incusaturus es illam socordiam, quo possessionem summi boni, excuti tibi de manibus non modo patiens tuleris, sed eam sponte respueris. Quam amara recordatione reuocaturus es articulos illos temporis, quibus flammas illas seruiles, & atroces vitare, regnum illud perpetuum, ac securum nullo negotio valuisti adipisci. Expende illud D. Gregorij. *Omnipotentis Dei Misericordia illius obliuiscetur, qui Omnipotentis Dei Iustitiæ fuerit oblitus: quia miserecordem Deum inuenire non poterit, qui eum iustum non timet.* Ne timeas post mortem iudicium, time ante mortem Iudicem, qui nec pretio, nec prece est exorabilis. Iuxta illud. *In moral.*

Iudicis est recti nec munere, nec prece flecti.

8. DIES FEBRVAR.

Februar. **Nunquam erit homini peius in morte, quam vbi erit mors ipsa sine morte.** *Augustinus de Civit. capite* 11.

Timenda mors illi qui commisit timenda.

I. IN homine grauiter infirmo, ut plurimum pœnitentia est infirma. Tametsi enim illius exercendæ adhuc suppetat facultas; quæ tamen non difficultas? Obruent ægrotantem ægritudo corporis, & animi, dolor, infirmitas, insomnia, inquies, vigiliæ. Coquet febrilis ardor viscera, obtundet grauedo caput. Quis modus discutiendæ ut par esset conscientiæ? Morbus ingraueſcet, mittendus erit sanguis, pharmaca sorbenda, adhibenda remedia, fastidio erunt medici, & cum vacillare cæperint, terrori. Vbi conclamatum fuerit, quàm gravis erit mortis nuntius. Sed quid? Quando circumdabunt me dolores mortis, torrentes iniquitatis, ac pericula inferni? Ponetur ante oculos anteactæ vitæ turpitudo, apparebit sublato fuco peccatorum gravitas, in proximo erit damnationis periculum, & exorabilis sæueritas Iudicis. Terrebit sententia futura peremptoria decreto nunquam reuocabili. Recurrent in mentem Divini neglectus obsequij, tempus otio, nugisque perditum; occasiones exercendæ virtutis prætermissæ: neglectæ preces, dilata pœnitentia, ratò & perfunctoriè vsurpata Sacramenta: languor perpetuus: supina socordia: nulla sui abnegatio, exigua Christi imitatio.

II. Ad hæc, dæmonum insidiæ, fortè & aperta vis. Erunt sanè diriores eorum impetus, quia vltimi. Inducent cerebro tunc tenebras, ut conturber; nunc lucem malignam, ut præfidam; subinde graviatem exaggerabunt peccatorum, ut desperem: mox extenuabunt, ut paruipendam. Omnibus machinis me adorientur, & omnibus modis ac viis aggredientur, iis præsertim quibus aliquando sciunt me succubuisse. Ex ea me maximè parte inuadent, qua debilior inueniar. Quid! Quando crucifixus affereretur, cuius plagas irritauero: quando cereus accenderetur, index bonorum operum quæ neglexêro Quando nomen Dei inuocabitur, quod despexero? Quid tunc solatij, si nunc Gratiam respuo! supra gladius dependebit Diuinæ Iustitiæ, infra erit sepulchrum patens: intra rodet vermis conscientiæ, extra plorabunt amici, vel agnati, qui nec dolorem le-

nire,

Digitized by Google

nire, nec mortem poterunt vel momento retardare. Vxor dotem filia- Februar.
rum, Filius ius primogenituræ, gener pecuniam dotalem, medicus solatium, seruus libertatem, famuli mercedem creditores debita petent.

III. Vergente morte, instante puncto; vires me destituent, membra rigebunt, sensus deficient, cor palpitabit, premetur anhelitus, squalebit vultus, offundentur oculi, corporis se compages contrahet, & vltimam calamitatem testata, vno flatu reddet spiritum, & eo ipso mors animam seiunget à corpore: vita discedet, homo desinet, & omnis cum eo splendor euanescet. Sed inter hæc omnia maximè formidabilia nihil est formidabilius in morte, quàm timor mortis, illic vbi mors erit sine morte. O mortalis, dum hæc tibi morituro euentura consideras, necdum peccare formidas? Cum igitur omnis vitæ nostræ error oriatur ex obliuione finis, in quem illa præcipitat, reuocemus illam iugiter in mentem, in oculos, in continuam eius meditationem. Huius obliuio multorum est perditio: ut benè D. Gregorius. *Vitam carnis quasi permanentem diligunt, qui quanta sit vitæ sequentis æternitas non attendunt: cumque soliditatem perennitatis non considerant, exilium patriam, tenebras lumen, cursum stationem putant; quia qui maiora nesciunt, iudicare de minimis nequaquam possunt.* Spernas vitam præsentem, ut non metuas mortem imminentem. Desipis si illam censeas dignam amore, sapis si iudices plenam dolore. Suffragatur mihi Poëta Greg l. 8. mor. c. 8.

Fallitur insipiens vitæ præsentis amore.
Sed sapiens nouit, quantum sit plena dolore.

9. DIES FEBRVAR.

Mors universis gaudiis finem imponit, ita ut cum esse desierint; nec fuisse putentur. *Laurentius Iustinia: Tract. lig. vit.*

I. VIdimus hominem morientem, modò spectemus mortuum; ut hoc spectaculo discamus viuere Deo, dediscamus viuere mundo. Statim à morte iacebit corpus exanime, sine motu, sine sensu, sine voce, sine forma, tetrum cadauer, amicis ipsis horribile, molestum, ac graue, inuoluetur veteri linteo, efferetur cum lachrymis, abiicietur in foſſam, vertetur in putre- Mors hominis, est mors omnium quæ afficiunt hominem:

Februar. putredinem,& absumpta sanie,in ossa desinet arida. Sic marcessit corporis forma,sic carnis decor; Et quid postea?Ero,ac si non fuissem.Hæc confirmat citata tessera. Arborum quidem in pomariis ex varietate fructuum cognoscitur diuersitas, nimirum ex glandibus ilex, palma ex dactilis, ex frondibus platanus,vites ex racemis:sed postquam arefacta radice, cæso trunco,collectis fructibus,delapsis foliis in ignem coniiciuntur, & in cinerem dilabuntur,quis ex cineribus,arborum distinguet inter se discrimina? Ita quamdiu hic viuitur,omnes arborum instar viremus:cognoscuntur vero alij ex radicibus suorum Maiorum, alij ex foliis verborum, hi ex ramis gratiæ,illi ex fructibus diuitiarum; horum ex cortice deformitas, illorum ex floribus pulchritudo; horum tanquam nanorum humilitas, illorum ut gigantum proceritas, aliorum ut senum ariditas, aliorum ut Iuuenum viriditas,horum tanquam diuitum fœcunditas,illorum tanquam pauperum sterilitas deprehenditur. Tandem in vno omnes sumus similes,quod omnes, nullo excepto,ad tumulum tendamus.

II. Iam quæro,quando mors omnes illos in exitu vitæ commiscuerit, ecquod erit inter pulchros, deformesque in tumulo angusto discrimen? Nullum penitùs:aut si quod esse videbitur, in monumentorum quod vani homines excogitauerunt, diuersitate consistet. Nec immeritò tales dixeris vanos. Nihil enim vaniùs, quàm quod non contenti homines, se vanos in vita esse, vanitatis suæ memoriam conantur sumptuosis tumulis propagare. Sit licet cedrus alta & pulchra,nihilo propterea candidior est eius carbo,& licet ilex humilis,deformisque, sit nihilo propterea nigrior est eius cinis. Sic idem prorsùs est colore,odore, specie sepulchralis puluis Crœsi, & Codri,Senatoris,& furoris,Monarchæ & agricolæ. Et hic finis est nostræ comœdiæ. Quàm ut rectè peragas, & cum cælituum plausu,illud expende. Si orbem Deus implesset hominibus mortis penitus ignaris,ac de tot millibus vnum tantum vidissent validissima iactatum febri,æstuantem, prostratum,delirantem, pallidum,animam agentem inter dolores & singultus; mox verò frigidum, visu,olfactuque turpem,& suo in tabo,pure,ac sanie,prognatisque de se vermibus natantem:quantus illos timor, nemine excepto,eorumdem percelleret malorum?

III. Nunc autem si à Deo monerentur,nihil metuere, vnum tantum fore deinceps iis obnoxium;alium neminem nisi vnum moriturum,nisi vnum illum nomine designaret,iam sors miseri vnius formidanda,si perterrefacit,ac potiùs syderat vniuersos,quid vniuersorum eadem illa sors,tam certa,quàm certus est Deus,te, me, vnumquemque non afficit, non arrigit, non pungit acriter,sollicitatque ad illam tempestiuis anteuertendam præsidiis?

si diis? Quid si hunc ipsum morti addictum Deus palam cunctis aperiret, isque nihilo diligentiorem, quàm nos inertes, pigrique facimus gereret animi sui curam, quot, & quantis pateret omnium hominum exprobationibus, indignantium, & stimulantium immanem vecordiam? Non vides infelix intentum tuo iugulo mortis telum? non sepulchrum, & vermes in tui cadaueris deforme epulum accinctos? non ignes perpetuos, tribunal, testes, rationes maximè dubias, summeque perplexas? Et rides? ædificas? rem quæris? ambis? alia omnia moliris? Nostrum est hæc & similia tractare, quos fecit Deus vitæ huius securos, tu quem morti addixit, quid hic circumspicis? Quæ te à vitæ alterius, & æternæ solicitudine, cæca insania auertit? Hæc verò quisque sibi occentet, inclamet, & inculcet, is enim ille est vnusquisque nostrum, quem certæ morti Divina Iustitia destinauit. Et nescis, quando, vbi, quomodo morieris. Esto ergo solicitus, prouidus, & semper suspensus ad nocturni furis, ad ignotæ horæ, ad magnæ diei appulsum præcipitem. Imprime menti illud poëma: Februar.

Cerne quid es, quid eris, sic mox pius efficieris
Vile cadaver eris: Hoc ergo frequens mediteris.

10. DIES FEBRVAR.

Magna est iam pœna peccati, metum futuri perdidisse iudicij. *Euseb. Gallic. Hom. de bono latr.*

A morte sequitur Iudicium.

L SIcuti post punctum sequitur linea, sic post punctum vltimum temporis, sequitur interminata linea Æternitatis. Hæc ut sit tibi fausta, vel infausta pendet à sententiâ, à Iudice proferenda. Æternitas incipit, vbi mortalitas desinit. Post illud punctum vltimum, omnia sunt æterna. O punctum horribile, ac vastum in quo præterita omnia, iucunda pariter & amara merguntur; futura consurgunt, numquam moritura, seu cruciamenta, seu præmia. Itaque terribilium omnium est terribilissimum, non tam mors, quàm quod mortem sequitur, Iudicium: habet enim conspectum offensi Patris, eiusdemque tum testis, tum Seruatoris, tum Iudicis, & quidem irati. Habet ex vultus eiusdem conspectu proruentem iratum, & vindictæ torrentem igneum, quem intra ripas Misericordiæ tot annis congesta scelera aluerunt. Habet eodem in Iudice furorem, zelum, vltionem, ferarum raptis catulis rabiem, parturientis clamores, & regnantem demum. *Dan. 7. Isa. 59. Ose. 13.*

Digitized by Google

1 ebruar. armatam, sæuientemque Iustitiam, quam crucicon fixam hactenùs, & mutam misericors Bonitas retinebat. Quàm metuendus Iudex toto provocatæ Iustitiæ pondere fontibus incumbens, à quibus est toties Barabbæ postpositus.

II. Horrorem irati Iudicis augebit scelerum gravitas, fœditas, multitudo, cuique velit, nolit spectanda, in illo huius, & alterius vitæ confinio, quàm angusto, tam timendo. Patrata mala, prætermissa bona, etiam plerumque praua, & improba pro licitis, & laudabilibus per errorem admissa. O inusitatam Iudicij formam, in quo omnes accusant, defendit nemo, ne ipse quidem reus. Deus immortalis! Quis Ozæ pietatem, Davidis censum, festinatum Saulis sacrificium, carere putasset probabili saltem excusatione? magnis tamen luuntur pœnis, & grandi culpæ imputantur. Quàm multos sua fallit opinio, qui sibi nimium confisi, dum se principi suo nuptiali in veste, gemmata, & aurea putabant occurrere, centone se turpi mutilorum, ac vilium operum semitectos heu! sero aduertent. Iam scelerum numero monstrosam singulorum speciem si addas, ipsorum dæmonum deformitate tetriorem, quos paritura est iudicando angores, cruciatus, desperationem? Nec enim conferta & velut in cumulum se illi obiicient, sed distinctè, minutè, sigillatim spectanda se dabunt maiora simul, & minima, totamque singula in eius oculos turpitudinem suam intorquebunt.

III. Ad multitudinem distinctam, fœditatemque admissorum in omni vita criminum, & errorum, ingrati animi labes adiungitur, & sæuo stupore, ac tristitia miseram animam consternabit. Huic enim in illo ad æternitatem transitu peranguste, incurrent à dextris Dei collata beneficia, à sinistris rei commissa scelera, & inexplicabili rubore proditiones illi suas ferinas, & ingratas atrociter exprobabunt. Ponderailla Eusebij Emisseni verba. *Quo quæso vultu respicit Redemptio nostra perditionem nostram? tanto grauiora erunt humana delicta, quanto maiora se ostenderunt Divina beneficia.* Et illud: *Qua fiducia stabit desertor ante regem suum? Vulneratus ante medicum suũ? Perditus ante pretium suum? Vnde misericordiam petiturus est, primùm de contemptu misericordiæ iudicandus?* Homo tot inter Dei gratias & suas in Deum iniurias, tot inter Dei munera, & sua in Deum crimina; tot inter Dei impensos fauores, & conscientiæ accusantis dolores, quàm se in partem vertet? vbi latebit? Quomodo apparebit? Latere non poterit, apparere non audebit; aliud impossibile, hoc intolerabile. Hæc si cogitas, cur non formidas? Hæc si præuides, cur tibi non præuides? Si horum præsagus adhuc in salutis negotio tam es ignauus, vbi fides? vbi ratio? vbi iudicium? vbi prudentia?

Hom. 4. ad Monar. Hom. 2. de Symb.

Digitized by Google

tia? Beatam plane illorum prudentiam, imitare, qui tanti pudoris metus, horroris præuios cruciatus, sancta huius temporis vsura anteuertunt, nec quidquam iam agunt, vel omittunt, quod tunc minùs actum vel omissum velint. Audi vatem. Februar.

Iudicis est in lite brevis vox, ite, venite.

11. DIES FEBRVAR.

Comes morienti aut vita erit, aut pœna. *Augustinus de Epic. & Stoic.*

I. ECce hîc duos comites Mortis, Pœna, vel Gloria; prout vltimo momento effuderis vltimum spiritum, eris vel fælix vel infelix per totum æternitatis spatium. Hinc sequitur, vltimum siue summum vitæ momentum, inter omnia esse summi momenti. O momentum ancipitis stateræ, in qua libratur hinc mors, inde vita, hinc æternitas pœnæ, inde æternitas Gloriæ, hinc summum, & omne Bonum, inde summum & omne malum. Post extremum halitum sequitur vnum perpetuum semper, & Numquam: vel enim semper tibi erit benè, nunquam malè, vel semper malè, nunquam benè. O momentum, post quod in momento, in ictu oculi, tuus Iudex est venturus cuncta strictè discussurus. O momentum, post quod si vel momento supereſſes, quid non faceres, quid non optares fecisse? Ecce momentum hoc, quod Patrem Cælestem, Patrem Misericordiarum iam inde ab æterno quasi solicitum habuit, ut tibi felix, faustum, fortunatumque esset. Ecce momentum hoc, cui Filij Dei prolixa vsque ad prodigalitatem propè benignitas, omnisque sudor, lachrymæ, sanguis, vita, mors, ex integro desudauit. Ecce momentum hoc ad cuius securitatem vniuersus amor Spiritus sancti, & eiusdem cum innumerabilibus fauoribus, gemitus inenarrabiles suspirarunt. Mortis comes pœna vel Gloria.

II. Denique hoc est momentum, quo Angelorum omnis cura, Diuorum preces, cæli labor: Momentum quo parentum sudor, Amicorum benevolentia, Magistrorum industria: Momentum quo concionatorum zelus, Confessariorum patientia, superiorum vigilantiæ, proximorum charitas: Momentum quo tandem vniuersæ fortunæ, naturæ, corporis, animi tui bona; quo virtutum tuarum qualescumque exercitationes; quo ieiunia, lachrymæ, suspiria, quo tot annorum euolutum curriculum, totiusque

Februar. Naturæ,& rerum creatarum studium,& solicitudo continuata spectarunt. Quis hæc trutinans suis momentis non æstimet præ omnibus æstimabilibus hoc momentum? O si ex tot millibus horis quas nos stultè conterimus, haberent vnam, imò illius horæ momentum vnicum, reprobi flammas omnes suis lachrymis extinguerent, & felicitatem breui illo compendio mercarentur. Attendamus ergo in minima iactura temporis, æternitatis damnum: quæ tuo sissimas nundinas perpetuæ gloriæ, in vsu cuiusuis momenti,& cum celeritate temporis, celeritate vtendi certemus.

III. Quid nunc agesur hoc extremum momentum Animo tuo sit fortunatum? Vnum age quod vnum à te Deus exigit; ut quod velis, nolis, necessariò tibi est subeundum, tu id velis libenter, tu necessitati consentias, tu id volens, ac libens agas, quod nolens, & invitus agas necesse est. Cogita rei in quo constitutus es statum. Actum est, morieris; non est deliberandi locus, non est emergendi via, velis, nolis, moriendum est. Iam non sunt in arbitrio tuo vita,& mors. Iacta sors est, excedendum. Quod vnum tibi de tua restat libertate, hoc est quod dixi, ut id liberè facias, quod est necessarium. Acquiesce Divinæ voluntati, sine te ab illa volentem duci & non invitum trahi. Quid frustra eluctaris, non euinces: non mortem effugies. Neque est malum illud, quod timere & fugere debes; nam non est malum mori, sed malè mori. Hoc est autem quod potes fugere, volēdo mori. Mortem accepta, plus agis, quàm si mortem tolleres, nam malis tollis mortem, tollis tremendum iudicium, tollis æternum supplicium. Si autem nolens, & invitùs moreris, tollis omnes virtutes, ad bonam mortem necessarias. Quam ille exercebit Fidem, vel Spem qui apertum sibi cælum videns, si libenter velit mori, malit sibi cælum claudi, quàm id velle? Quàm ille charitatem in Deum moriens exercebit, qui Divinæ voluntati, quantum potest resistit, nolendo mori? Quænam potest illius esse Prudentia, qui vno voluntatis actu, cum possit summum malum conuertere in summum bonum, malit illum actum, voluntatis recusare, quàm vel tale malum effugere, vel tale bonum acquirere? Cane moriens cygneâ voce cum Poëta.

Non mihi sit durum quod novi me moriturum,
Nec mortem flebo, nam tecum Christe manebo.

Digitized by Google

12. DIES FEBRVAR.

Infernus est locus vbi nulla spes boni, nulla desperatio mali. *Hugo à Sancto Victor. libr. 4. de Anim. cap. 13.*

Februar.

I. SI morienti comes fuerit pœna, erit æterna; quàm priusquam expendamus, locum pœnæ perlustremus. Infernus est regio Mortis, Regia dæmonis cuius porta est, desperatio, aula carcer, tapetes tenebræ, mēsæ vincula, cibus fames, potus sitis, horologium vlulatus, lecti ignes, ordo chaos confusionis. Est tenebricosum ergastulum æternis vndique seris, claustris repagulis, catenisque obseratum; cui supernæ iræ Dei imminet sigillum. Ad hoc subterraneum spelæum cogitando descenderat D. Bernardus, qui vbi ea quæ geruntur, spectauit, quæ dicuntur, audivit, in hæc verba exclamauit; *O Regio dura, & grauis, regio extimescenda, regio fugienda, terra oblivionis, terra afflictionis, terra miseriarum, in qua nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat! locus letifer in quo ignis ardens, vbi frigus rigens, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, mallei percutientes, tenebræ palpabiles, horribiles dæmonum facies! Totus tremo atque horreo, ad memoriam ipsius regionis, & concussa sunt omnia ossa mea.* Cum denique sit locus *vbi nulla spes boni, nulla desperatio mali*; illic iurati Dei inimici, omnibus quæ optare possunt, privantur bonis, omnibus quæ timere possunt, cruciantur malis.

Inferorum locus & societas.

l. 4. de Ani. c. 13.

II. Quis illo loco erit miserorum Princeps? Quis Dominus? Is qui à fœditate, & truculentia dicitur Draco, à versutie, & calliditate serpens, à nocendi desiderio leo rugiens, à magnitudine, & potentia Behemot, ab ira magna Diabolus. Quos habebunt amicos? ne quidem vnum in tota rerum vniuersitate, sed singuli, & damnati, & Beati, & Angeli, & dæmones, & homines immenso quodam odio prosequentur. Erunt omnibus creaturis inuisi, exosi, execrabiles, abominabiles, tanquam ipsa abominatio. Quos, qualesque socios habebunt? Malitia improbos, specie hortificos, conditione miseros, rabie furiosos, malevolentia obstinatos.

III. Tu igitur si sapis, imò ut sapias, hæc loca vbi nullo bono est locus, sæpè cogitando adeas: abdas te sub terra, & omnia tibi displicebunt, quæ sunt supra terram. Imitare illum in eremo Ascetam, de quo in vitis Patrum traditur. *Ego* (inquiebat ipse) *ob peccata mea Inferno addicam me ipsum,*

l. 7. c. 44.

Februar. *ipsum, dicoque: Esto cum illis, quibus dignus es isti: post modicum adnumeraberis. Aspicio ibi stridentes dentibus, & salientes toto corpore, & trementes à capite vsque ad pedes. Video & more bullientis, & circumfluentes, & mugientes, ut putant aliqui, vsque ad cælos attingere fluctus ignis, & in tremendo illo mari, innumerabiles homines detectos.* O quàm vicinus es isti loco iam expresso! Notum est illud Philosophi. Navigantes tantùm tribus digitis distare à morte. Non quantum distant navigantes à morte, tantum distant viuentes à Regione Mortis. Aue sinè, ô peccator scire, quantum distes ab Inferno? Tantum ut si hoc momento viuere desinas, altero momento in orco ardere incipias. Totus Infernus cum toto tormentorum suorum apparatu non distat à te nisi temporis puncto. Si hic times tortorem qui corpus mortale torquet, quã sunt timendi illi qui Animam immortalem æternùm torquebunt, nam iuxta illud metrum.

Sunt ibi tortores, serpentibus horridiores,
Deformes, nigri, sed non ad verbera pigri.

13. DIES FEBRVAR.

Impius aperiet oculos in pœna, quos clausit in culpa. *D. Gregor. 25. Moral. c. 3.*

Tenebræ. I. MVltum conducet ut ascendas ad Regnum cæli, descendere mente ad centrum terræ. Per Inferos peruenies ad superos. Sat produnt ipsa Tartari nomina, quot & qualia ibi sint supplicia. Quid est Tartarus, est locus subterraneus, situs in centro mundi, ad quem solis, lunæ, cæterorumque astrorum lumen nunquam pertingit. Est carcer furoris, chaos desperationis, lustitiæ officina, cauea stolidorum, insensatorum receptaculum, in quo æternæ mortis rei, omnibus quæ optare possint priuentur bonis, omnibus quæ formidare possint cruciantur malis. Sed sit licet hoc tartareum chaos tetra, ac picea horribilium tenebrarum caligine circumfusum, nihiltamen tenebræ officient, quo minùs oculos quos hic impiùs clauserit in culpâ, aperiat in pœnâ. Quàm priusquam pateris, nunc oculos non illos crassiores corporis, sed acutiores mentis, & fidei apertas, ut illas tenebras, ne sic sis Filius tenebrarum, & illic semper tenebrio, aspicias.

II. Quamuis apud Inferos ignis sit comburens, non tamen illuminans:

Digitized by Google

nans:quia Deus relicta vi comburendi,aufert ab illo igne vim illuminandi,iuxta illud:*Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Hoc est separantis illas duas proprietates,vnamque sine altera relinquentis. Porro in visu damnatorum hoc mirum est,quod cum sint apud Inferos densissimæ , imò & palpabiles tenebræ,sic anima videt,& non videt, ut perinde crucietur videndo,ac non videndo. Videndo quidem , quia quidquid horrorem supplicij potest incutere, videt, apertissimè. Sic enim Iob: *Vadent, & venient super eos terribiles:* cumque alia sciat ibi esse,quæ non videt, suspicatur & metuit, ne sint etiam grauiora , quàm quæ videt, & proinde illa videre vellet.ut se suo metu liberaret.*Euigilabunt in opprobrium,ut videant semper.* Id est,sicut vigiles,qui venturos obseruant hostes, sunt semper inquieti, siue aliquid videant,siue non videant,ne quid non visum lateat, & inopinato appareat,& magis noceat.Sic miseræ damnatorum animæ: vel horrificis illis,quæ se in illa caligine spectabilia exhibent spectris, vel formidine quæ inaspectabilia sunt aspiciendi. Februar. *Psal.*48.21. *Iob.*20. *Dan.*20.

III. Tu qui hæc legis,hæc pauca cum otio expende.Medius sum inter gemina loca, inter illam quæ sursum est Ierusalem , & quæ deorsum est Babylonem. Illic audiunt Filij lucis, lux perpetua luceat eis, ibi audiunt Filij tenebrarum, illos *tenebrosus turbo posideat.* Illi *fulgebunt quasi splendor firmamenti.* Vnde de illa ciuitate dicit Diuina Misericordia. *Luce splendida fulgebis.* De altera dicit Diuina Iustitia. *Obscurent eam tenebræ,& vmbra mortis, & occupet eam caligo.* Illic beati contemplantur eum qui est *candor lucis æternæ,& qui lucem habitat inaccessibilem.* Illi vero qui *sedent & in tenebris & in vmbra mortis;vinculis tenebrarum,& longæ noctis compediti:* vlulant in illo caliginoso spelæo:*Timor,& tremor venerunt super me , & contexerunt me tenebræ.* Nullus illorum dicit,aut dictum est vnquam,*post tenebras spero lucem.* Si ergo tibi vis consultum, audi monitum, & sequere consilium D. Pauli. *Abiiciamus opera tenebrarum,& induamur arma lucis.* Opera tenebratum sunt,quibus homo fit reus perennium tenebrarum,hoc est opera luxuriæ, Iracundiæ,Intemperantiæ.Et illud tibi persuade certo aliquando futurum.Sicut Deus in principio, quando creauit cælum & terram *diuisit tenebras à luce,* sic in nouissimo die mundi,diuidet Filios tenebrarum à Filiis lucis. Ergo illius memineris, *Iob.*3 6. *Dan.*12 3. *Tob.*13,13. *Iob.*3.5. *Sap.*7.26. 1.*Tim.*6. 16. *Sap.*17.2. *Psal.*106. 10. *Iob.*17.12. *Rom.*13. 12. *Gen.*1.

Semper in æternum nox obscurabit Auernum.

14. DIES FEBRVAR.

Februar. Erit pro suavi odore fœtor. *Isa.* 3.

Fœtor. I. INferorum locus est omnis infectionis, & sordium colluvies, qui mundo quidem est, quod egeries domibus, cloacæ vrbibus, sentinæ navibus. Est vomica, in quam omnia corporum humanorum, quæ iam inde à primo homicida, ac fratricida, ad vsque Antichristum, eiusque sectatores fuêre, purgamenta, putorem, ac mephitim Angeli colligent. Est antrum olidum, in quo rediviua, & fœtida damnatorum cadauera tam graveolentem edent fœtorem, nemo ut eum ferre possit. Porrò sensus odoratus in damnatis erit acutissimus ex tribus causis. Prima, ex situ loci, qui cùm sit teterrimus, sulphureus, & à sole remotissimus, nihil nisi fœtorem intolerabilem exhalare potest. Secunda, damnatorum est ipsa societas, quæ cùm sit conflata ex solis vitiosis & sceleratis animabus, habent singula suum putorem vitia, quem spiritus exuti carne sentiunt. Tertia, Dæmonum malignitas artificiosa, qui quod possunt ad augmentum pœnarum, non omittunt: nec dubium est, quin multa possint ad hunc sensum exacerbandum.

Psal. 74. Fœx eius non est exinanita.

II. Non tantùm locus ipse Auerni erit fœculento putore, horribilis naribus: sed & ipsa corpora damnatorum, siue viua cadauera, erunt quâuis sentinâ, & cloacâ fœdiora. Stomachi verò pestilentibus humoribus grauati, & igne circumfuso bullientes, teterrimam perpetuò mephitim exhalabunt: nec tamen vicissitudo, vel epotandi sordida, vel exhalandi graueolentia, vnquam cessabit. Ut porrò faciliùs assequaris quàm sit acerbum hoc supplicij genus, reuoca in memoriam illud tormentum à Mezentio excogitatum. Hic cadauer hominis verminans, viuo corpori ita coniungebat, ut os ori, nares naribus, nasus naso, manus manibus, ac pedes pedibus applicarentur. Corpora autem hoc modo colligata in abominabilem aliquem locum abiiciebat, vbi tam diu iacebant, donec viuum corpus fœtore cadaueris extingueretur, & à vermibus ab eodem cadauere prosilientibus absumeretur. Si hoc supplicium tibi tam immane videtur, quale illud erit quod procedet ex intolerabili illo fœtore, qui iugiter exhalabit ex illis abominabilibus damnatorum corporibus, ex sulphureis flammis, è tetris exhalationibus, spissis vaporibus, & execrandis putoribus, ex obscenissimo illo volutabro ac graueolenti vomica, ac colluvie, vbi monstra illa putida

ida in stercoribus suis volutantur, ac computrescunt?

Februar.

III. Tunc implebitur illud Isaiæ, *Erit pro suaui odore fœtor.* Prædicit illud tempus affore aliquãdo, cùm ista caro mœstos in cineres, saniemque, ac tabem dissoluetur, ad quam oblectandam istæ aromatum delicatę voluptates conquiruntur. Et verò iam nunc peccator tibi advenit illud tempus, qui cum à virtutum operibus, gratiaque plenus esses, fragrabas suavissimè, & acceptissimos emittebas odores: at ubi gratiâ Dei peccando excidisti, illo ipso momento execrabilem in modum fœtere cœpisti; adeò ut nec te pati superi, nec Deus possit, nec te ipsum sustineres, si emunctis esses naribus. Sed in hoc vno stupidus es, ut in aliis improbè nasutus sis. Verùm eluceſcet aliquando illa dies, qua stuporem illum tuum damnabis acriter, & plorabis acriùs: & modò dum id cum aliquo tuo incommodo licet, damna certè, & luge; tibique persuade corpus hoc mortale esse veluti vas Animæ. Vasa si bene olent vel malè, id acceperunt ab vnguentis, & fumosis odoribus, qui in illis reconditi aliquando fuerunt. Fac igitur ut in Animæ tuæ vasculum non immittatur nisi myrrha pœnitentiæ salutaris, nisi thus piæ, & arduæ orationis, nisi thymiama eximiæ cuiusdam in egentes beneficentiæ, aliarumque virtutum, à quibus possis esse Christi bonus odor, primùm in hoc æuo mortali, tum etiam in beata æternitate.

Quantus erit mœror, perflabit vbi omnia fœtor.

15. DIES FEBRVAR.

Ibi erit fletus ex dolore, & stridor dentium ex furore. *S. Bernardus in sermo.*

I. VT oculos auertas ne videant vanitatem, sed ut oculi tui semper sint ad Dominum, qui te diligit ut pupillam oculi; propone tibi atroces, quibus oculi cruciabuntur sub terra, illorum, qui *oculos suos statuerunt declinare in terram.* Primùm oculi eorum molestissimo afficientur dolore ex sulphureo fumo qui densus, ac teter exhalabitur ex stagno, in quo ardebit infelix Babylon: sed multo maximè illorum oculos dæmones terribilibus spectris infestabunt, quia varias horribilium monstrorum imbuent formas, nunc onocentauri, nunc lamiæ, nunc erycij, nunc milui, nunc draconis, nunc leonis, ut illos territent. Certè D. Chrysostomus asserit,

Pœna visus. *Ps.* 16. 11.

In Ps. 41.

Februar. tam horribilem,ac spurcam esse dæmonis speciem, ut si Deus permitteret *formidabilem illum suum,ac horrendum aspectum ostendere,* mentè continuo dimoueremur,& solutis artuum compagibus evolaret anima è corpore. Illas tamen portentosas laruas indesinenter intuebuntur. Nam ignis tartareus tantùm inter fumidas nubes lucis ostentabit,ut miseri nil aliud oculis haurire possint,nisi quod visum aut terrore afficiat,aut dolore affligat. Videbunt igitur præter horribilem Inferorum situm, formidabiles dæmones, horribilia spectra,terribilia simulacra, luctificas laruas, tetras mortis imagines,inamœnos spiritus. Videbunt,inquam, & videndo contremiscent,serpentem illum antiquum, colubrum tortuosum,Mammonam iniquam,Satanam dolosum,Asmodæum cruentum,Belial peruersum, Beelsebub dæmoniorum Principem, Beemot illum imanem, & Leviathan cuius(teste Iob) *Sternutatio splendor ignis &c.de cuius ore procedunt lampades, & de naribus fumus,cuius halitus prunas ardere facit.*

Iob.41.

II. Cum Balthasar Rex accumberet cum optimatibus regni sui, & concubinis mensæ, ecce tibi, vidit manum scribentem arcanos aliquos characteres. Quo prodigio ita territus fuit ut dicat sacra historia: *Tunc facies Regis commutata est,& cogitationes eius conturbauerunt eum,& compages renum eius soluebantur,& genua eius ad se inuicem collidebantur.* Quæ obsecro, tanti terroris causa? Vidit manum scribentis in pariete, sed hominis. Quis vnquam vidit manum hominis sic timeri à Rege? Si leonis, si vrsi, si draconis vngues vidisset, causa aliqua formidinis fuisset. Sed vnius hominis dexteram quid tantus Dynasta sic metuat, ad cuius nutum mox sexcentæ alæ equitum advolassent subsidio? Ecquid illa tam formidanda manus armorum tulit? Nil nisi calamum quo scripsit. Ad pennam scriptoriam virum,ne dicam Regem expalleſcere? Si trigeminam Ioabi lanceam:si romphęam Cherubi ignitam in se vnũ vibrari vidisset,merito timuisset.Quod si Rex inter mille optimates, in medio tot famulantium grege,ita timuerit vnicam hominis scribentis manum, quantum impij in illa tenebricosa cauerna constituti horrebunt,dum videbunt non vnam hominis manum, sed tot minaces leonum vngues,hiantes draconum fauces, patentes luporum rictus, fumantes monstrorum nares,exertos molossorum dentes?

Dan.5.

III. Monachus quidam animam agens dæmonem adstantem videbat,hic ille terrore quodam repentino correptus fuit adeo graui,ut facies immutaretur, & in toto corpore inusitata, & terrifica quædam symptomata cernerentur; tum sibi redditus dixit adstantibus fratribus: Fratres mei verè vobis affirmo tam terribilia esse monstra illa tartarea, ut si mundus totus igne sulphureo,& ære liquefacto,& bullienti plenus esset,mihique

Digitized by Google

que eligendi optio daretur, ut vel per medios hosce ignes transirem, vel iterum semel tantum monstra ista intuerer, multo libentiùs prius, quàm posteriùs eligerem. Tolerabilior est damnatis ipsa gehenna, quàm horum intuitus. Conuerte nunc oculos ad tuos oculos, & cautè illos aperi. Quia oculi illi qui ad impudicos intuitus laxatis excurrebant habenis, qui furtiua libidinum negotia per loquaces procurabant, nutus, qui contuendis fœdis imaginibus sese oblectabant, horribilium spectrorum contuitu infestabuntur, aspicient terribile illud domicilium, illum squallentem carcerem, istud stagnum inundans incenso sulphure. Sit tibi igitur, ne postea patiaris, in hac vita horror, & metus ne oculis pecces, sit dolor, metus, & fletus postquam peccasti, ne illic te præcipites, vbi *Februar.*

Est dolor, atque metus, per quę omnia sæcula fletus.

16. DIES FEBRVAR.

Fames durissima necessitatum, deformissima malorum. *Quint. declamat.* 12.

I. SI in omni, qua premimur necessitate, durissima sit fames: vltimam necesse est esse damnatorum necessitatem, vbi & non tantum quod leue, sed quod grauissimum, omnium bonorum erit perennis fames. Quia illorum lingua, & palatum humore semper aliquo imbuentur, sed tam amaro, ut neque fuligo, neque fel, neque rutha, neque aloës, neque absynthium illi æquari vllo modo possint. Ne tamen putemus eos omni prorsùs cibo, potuque destituendos, exponit nobis Moyses, quis illorum futurus sit cibus, & potus. *Vua eorum vua fellis, & botri amarissimi. Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* Et David, *Ignis & sulphur & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Quàm appositè sibi respondent pœna, & culpa. Sitiunt ebriosi hic vinum, ibi fel draconum vinum eorum? Sitiunt hic aurum? Ibi aurum liquefactum infundetur in os eorum. Sitiunt hic sanguinem, & cladem proximorum? Inebriabuntur ibi sanguine. Ita legimus de Constante Imperatore, cui frater Theodosius Diaconus ab eo interfectus, adhuc viuenti, poculum plenum sanguine, habitu Diaconi sæpius apparens, porrigere visus est ac dicere: *Bibe frater.* Sicque eum fugientem, ac loca mutantem insequi clamoribus. Aliud illis ibi obtrudetur poculum ab Archimagiro illo tartareo, condito omni omnium turpitudinum colluuie. Fames, & sitis. *Deut.* 32. *Psal.* 10.

Digitized by Google

Februar. II. Sed nulla major fames, sitisque præ illa quâ damnatus quisque auidissimè desiderat Deo frui, eiusque cælesti mensâ, nunquam saturandus. Quænam tanta est vis mali, quæ conferri potest cum summi illius boni, scilicet Dei priuatione, in cuius spem boni fuerat procreatus, & sine quo absolutionem, perfectionemque suam assequi non potest? Et hæc tanti boni priuatio, quid habeat in se mali, ita delucidè eius intelligentiæ sese offeret, ut hæc sola cogitatio plus pœnarum illi sit allatura quàm vis illa ignis æterni, qua vinctus ne se possit mouere tenebitur. Rutilius mœrore contabuit, quòd in consulatu petendo repulsam fuisset passus. Vrbanus III. Pontifex max Ferrariæ mortuus est, vbi audivit Ierosolymam à Sultano occupatam. Benedictus primus sic subitò expirauit, cùm inaudiit Longobardos Romam inuasisse. Si hæc tantilla damna nata sint tantum inferre dolorem, quid fiet vbi de maximo quod ab homine timeri, vel ab Angelo concipi potest, damno agetur? Si terribilium omnium terribilissimum est mors, quòd animam à corpore separet, quid non æterna mors faciet, quæ animam à Deo retrahit, & à primo principio, & fine vltimo suo separat?

III. Deus est nostri curriculi bravium, nostræ nauigationis portus, nostræ militiæ corona, nostri laboris merces, nostræ peregrinationis patria, nostri laboris quies: ipse omnis appetitus satietas, omnis desiderij quies, omnis motus meta, cuiusuis inanitatis plenitudo, omnium denique finium vltimus finis; quid erit æternùm tanto bono, in quo vno est complexio bonorum omnium, priuari? Erit hoc desiderium videndi Dei, instar ardentis sitis, à qua implacabili æstu viscera torrebuntur. Erit illa cupiditas, quasi rabida fames, quam ipse Deus in eorum stomacho nutriet, eaque ita vexabuntur, ut qui perpetuò buccellam panis irrito clamore postularet. Res quælibet suum apperit locum, ad eumque toto naturæ conatu fertur, lapis ad centrum, ignis ad cælum. Deus solus locus est vbi quiescat, domicilium vbi habitet, creatura ratione prædita. Ita homo extra illum locum, instar erit luxati brachij, aut pedis, quorum nulla est sine gravissimo dolore motio. Sic, & omnes animi facultates suo quasi loco motæ ac deiectæ, id est spoliatæ Deo, nil vnquam rectè agere poterunt, nihil absque tristitia cogitare, aut moliri. Qualis erit igitur fames in Intellectu ad verum, in voluntate ad Bonum, in tota anima ad Deum! Sed licet sit hæc fames supra omnem fidem intolerabilis, tamen

Non delet atra fames, quas traxit mens sibi labes.

Digitized by Google

17. DIES FEBRVAR.

Fletús erit ob ignem, qui non extinguitur; stridor ob vermem, qui non moritur. *Sanctus Bernardus in Sermon.* Februar.

I. FOre inter voraces ignes, voracissimos quoque vermes, est conspirans Theologorum, & SS. Patrum consensus, qui totum corpus, & singula corporis membra mortiferis ictibus depascent. Sed truculentior erit illis internus qui animum corrodet, & æternùm vellicabit vermis. Hinc Beda exponens Christi verba, *Vermis eorum non morietur. Vermis dicit seram pœnitentiam, quæ nunquam in tormentis conscientiam afflictorum mordere cessabit, ut ignis sit pœna extrinsecus sæuiens, dolor, vermis interius accusans.* Hoc est quod potissimùm miseros illos affliget, neglexisse totâ vitâ oblatam occasionem salutis, & pretiosissimum tempus, concessum acquirendæ beatitudinis, non suum fecisse, sed turpi otio inter ludicra huius sæculi, stultissimè dilapidasse. Ita conscientia illis proponet omnia tempora, præteritum, præsens, futurum; & licet nolint damnati hoc cogitare, tamen illud triplex tempus velint, nolint, coguntur cogitare, & sic dum in nullo conquiescunt, aliud semper, & aliud sibi circumvoluunt, & quem secum inuehunt illa tempora cruciatum, semper multiplicant, semper vnum fugientes, semper alium reperiunt, & simul alium, quæ pœna pœnarum omnium est nutrix. Vermis conscientiæ *in Marc. c 9.*

II. In præterito quod leue, & momentaneum præteriit, non potest cogitari præ pudore, & tædio, & tantus est pudor, tantumque tædium, ut non possit illud momentaneum, quo dira constat æternitas, non cogitari. Et hic est vermis conscientiæ, perpetuò rodens animam. Itane verò, inquient illi, quia gustans gustaui paululum mellis, cogor absorbere oceanum fellis? Propter stillam voluptatulæ carnem titillantis, amisi quo potari poteram torrentem voluptatis. Quia primariis labris gustaui aureum illum calicem meretricis Babylonicæ, *Ignis, & sulphur, & spiritus procellarum est pars calicis mei?* Heú! *Transiit messis, finita est æstas, & nos saluati non sumus?* Propter lutum amisimus cælum; propter momentum voluptatis, amisimus æternitatem felicitatis! Hæc erunt de præterito tempore querelæ. De præsenti tanta occurrunt quæ cogitando cruciant, *Psal. 10. 7. Iere. 8. 20.*

ut

ut quia tanta ſunt, & nihil horum eſt quod cogitare vellent, & nihil horum eſt quod non cogitare cogantur; quia ſic affixi ſunt ſuis omnibus pœnis, ut quas ſingulas patiantur, diſtinctè ſciant, & ſe ſcire ſciant, & ſicut actu, ac reipſa ſemper patiuntur, ſic actu ſemper ſciant & cogitent, quid ſingulis patiantur momentis.

III. Ad futurum vero dum ſe conuertunt, videntque myriades illas myriadum immenſas, innumerabiles, interminatas, implacabiles; tanto ſtupore detinentur, ut, quod mente non poteſt comprehendi, infinitum comprehendere ſatagant, & dum vident non eſſe totum illud futurum quod vident, magis illud videre appetant, quod dum videre appetunt, nec tamen poſſunt, ſic mirum in modum cruciantur, ut quos tota patientur æternitate cruciatus, ſimul totos quodammodo patiantur. Nam hæc eſt vis imaginatiuæ facultatis, ut cum præſertim timor impendentis mali, mentem ſtringit, totum illud malum velut præſens ſtatuat, & dolorem eius inferat, ſæpe magis vehementem, quàm dum actu malum eſt præſens. Sic peior eſt bello, timor ipſe belli. Sic Chriſtus Dominus dum in horto Gethſemani parata ſibi cogitaret ſupplicia, tunc tantis ſimul in animo tormentis affectus eſt, quanta poſtea ex ſingulis ſeorſim toleratis ſentire potuit. O æternum *ſemper*, ſemper futurum! ô fatale *nunquam*, nunquam defuturum! Hîc eſt vermis, qui corrodet eorum viſcera, dum illis proponet cum immenſo dolore hæc trina tempora. Audi qui hæc legis, ſummum illum negotiorum Præfectum ſerio admonentem: *Negotiamini dum venio.* Nundinæ nobis ad negotiandum attributæ, vita noſtra ſunt, quæ ad æternitatem cui negotiamur, amplior non eſt, quàm dies nundinarius ad vitam hominis. Dies huius nundinæ ſunt, dies ſalutis, caueamus ne illæ ſic tranſeant, ut excidamus ſalute. Sed ut accepti ſimus illi, in cuius poteſtate ſunt tempora, ſic vtamur hoc tempore acceptabili, vt mereamur æternam felicitatem, quia

Luc. 19. 13.

Tempora tranſibunt, & gaudia vana peribunt.

18. DIES FEBRVAR.

Inter medios ignium globos, damnata natura dat pabulum, & accipit incrementum. *Eusebius Emisse.*

Februar.

I. SVpereſt inter ſenſus, Tactus, ſenſus brutaliſſimus, latiſſimè patens, & ideo maximè patiens. In tactu itaque pœnarum ſenſus eſt, hic tormentorum compendium ſimul, & cumulus, ſic totus Tartarus videtur contractus, & comprehenſus: niſi contrà mauis dicere per vniuerſam Tartari vaſtitatem, hic ſenſus ad dolorem, ita eſt dilatatus, ut ſicut vbique ignis, vbique flamma, vbique ſulphur accenſum, ſic vbique tactus, & vſque-quaque crucietur. Itaque à planta pedis, vſque ad verticem capitis, non tantum totus erit igneus, ſed quaſi ignis. Porrò tactus ſenſui blandietur ignis tam atrox, ac violentus, ut puncto temporis poſſet animas ex corporibus abripere, omni membrorum temperie diſſoluta, niſi Diuina Potentia illas ibi retineret inuitas. Imo tanta eſt illius ignis vehementia, ut vnica, eaque minima illius ignis ſcintilla poſſet totum corpus momento vno redigere in cineres, & fauillas. Quid erit quando totum corpus; piſcis inſtar, immerſum erit, & natabit per ſtagnum ignis, & ſulphuris? Ignis.

II. Igitur Anima impotens erumpendi è ſuo carcere, quem vndique obſidebit incendium, torrebitur intùs, & ſtridore dentium, diroque vlulatu ſuorum prodet magnitudinem dolorum. Ibi dorſum aſſuetum plumæ molliculæ, tenuiſſimoque lino, & manus tactibus impudicis, totum denique corpus inconceſſis voluptatibus mancipatum, diſcet experientia, verè tunc ſæua magiſtra, quàm conſtet caro, hic lenocinari nimium carni. Quale erit illud tormentum vbi damnatus ſuo corpori ignis dat pabulum, & inde accipit ignis incrementum. De hoc igne ad terrorem ſæuè diſſerit Chryſoſtomus. *In ignis fluuium, atque pelagus intrudentur, pelagus intranſibile atque magnitudine acerbiſſimum, in quo igues fluctus, montium inſtar eriguntur.* Accedit ad cumulum pœnæ, quod corpora damnatorum, poſt Iudicium futura ſint maxime infirma, & ſupra omnem modum, ac fidem ſenſitiua, ut loquuntur Philoſophi, ut etiam ex minimo tormento, maximum percepturi ſint cruciatum: vnus morſus culicis plus illos cruciabit, quàm hic candentis forcipis. Graviorem dolorem adferet ſolus contactus, *Serm. de gehenna.*

Februar. ctus, quàm nunc vel percussio, vel flagellatio gravissima. Imò erunt adeò sensibilia, ut levissimus etiam contactus vnius capilli, maiorem illis dolorem allaturus sit, quàm si in hoc mundo viui igne cremarentur.

III. Quid adhæc dicis, dum hæc legis? quid cogitas? Quid tibi de igne illo inextinguibili videtur? Si in lecto cygneis plumis molliter strato decumbens, morte gravius autumas insomnem noctem ducere, ob levem quàm tibi adfert molestiam; si tam impatienter tardantem auroram expectas, quid faceres si lecto ignito ferreis catenis, iisque candentibus illigatus esses perpetuò vigilans & in tam diuturnæ, & tædiosæ noctis caligine, nulla aut auroræ aut solis venturi spes tibi affulgeret. Si adeo mollis, & delicatus es, ut muscæ vnius, aut culicis, vel pulicis punctiunculam non possis sustinere; si triduana febris, aut exigui temporis hemicrania ita te turbet, & exagitet, ut querulis aëra vocibus fatiges, quo pacto ardores sempiternos perferes? Certe si oporteret te per omnem æternitatem sustinere pœnam, quàm tibi inferret minima ignis nostri scintillula, ut eam euaderes, conferres te ad desertum, ut in aliquo spęleo inter preces, & vigilias, & ieiunia, summaque austeritate, ætatem transigeres, licet ad centum annos vitam esses propagaturus. Cur modo non abstines ab his, & illis delictis, propter quæ aliquando audies, ex supremi Iudicis ore; I maledicte in ignem æternum? vel nullam habes fidem, vel amisisti mentem, adeoque es vel Hæreticus, vel plane stolidus, qui tantas præuidens pœnas, non studiosius declinas culpas. Insideat menti hoc metrum:

Sunt ibi pro lignis, homines miseri, cibus ignis.

19. DIES FEBRVAR.

Æternæ civitatis ianuas nobis desperatio claudit.
Isidorus de nom. bon. l. 2.

Desperatio. I. SEmel clausâ ianuâ æternæ civitatis, sequitur desperatio obtinendæ salutis. Illius ianuæ cardines, nullæ conuellunt machinæ, illius seras nulla vis effringet. Damnati igitur videntes clausam esse ianuam omni bono in cælo, apertam omni malo in orco, desperata rabies in eis ac furor accenditur, in Deum, sic eos cælo excludentem, & punientem. Licet enim cognoscant se debitores esse tantarum pœnarum, tamen cum ratio in furiam

riam vertatur, turbatur, & vincitur ab ira, qua perciti, ac vlcerati, se consumere vellent, & carnes proprias lacerando, & dentibus ac morsibus detrahendo, si possent. Verùm aduersus Deum, quem non vident, insurgunt maledictis, blasphemiis, ac contumeliis, rabido ore, oculis flamma micantibus, vultu sæuo, & atroci, signis desperatione plenis, motu, & corporis agitatione percutiunt: quæ omnia significant, quantus sit dolor, furor, & indignatio; ita ut deficientibus tortoribus, si fieri posset, ipsi in semetipsos insurgerent, & tormentis innumeris conficerent, addentes extremis malis propriam sæuitiam, & immortale odium. Audientur ergo perpetuæ querelæ patris in Filium, & contra, vxoris in maritum, servi in dominum, subditi in principem, militis in ducem, discipuli in magistrum, amici in amicum. Februar.

II. Quamobrem aures illorum horrendis clamoribus, ac vlulatibus Dæmonum, & cæterorum damnatorum, & strepitu sonorum qui in maxima illa caverna, instar tonitruorum late remugient, & corpora subinde, animosque concutient, obtrudentur. Aures illæ ad oblocutiones patulæ, hianteque, ad lites, & calumnias pronæ, perpetuò verbere quatientur, & execrandarum vocum adversus Deum, cæliteque, ac diris in Dæmones, socioque, ac se ipsos imprecationibus, quascunque suggeret desperatus furor. Torquebuntur præterea continuo planctu, gemitu, suspiriis, vociferationibus, clamoribus, blasphemiis, maledictis, imprecationibus, execrationibus, quæ in isto specu resonabunt. Sicut enim in cælis nil aliud canitur, quàm illud eucharisticum, & paschale, Alleluia, cum Divinis encomiis; ita in tabernaculis illis tartarorum carnificum, nil aliud auditur, quàm mestum illud væ, heu, Ah, nil præter dissonas harmonias infinitarum vocum, & vlulatuum, quæ per loca illa perstrepent in sæcula sæculorum, ad mensuram, & sonitum malleorum, & contusionem crudelium illorum ministrorum, in quo, incondito cantu, tanta erit vocum confusio, & varietas, tantus stridor, tantus quiritatus, tanta lamenta, tanti plangores, tanti denique eiulatus in tenebricosa illa caverna, ac si sciſſis vndique nubibus horribilium tonitruorum fragores vndique resonarent.

III. Hisce porro tormentis hoc addi debet, vnde maxima illis oritur desperatio, quod simul omnia, & singula illos torqueant tormenta, quod nulla vnquam eorum sit cessatio, nullum euadendi remedium, nullum effugiendi asylum, nulla mitigatio: nihil temporis diuturnitas, nihil pœnarum cum aliis societas, nihil assuetudo, nihil eorum quidquam sit, quod nostros dolores hîc leniat: nullum illic temperamentum, nulla commiseratio, nulla pietas, nullum meritum, nullum suffragium: aduersa omnia, extrema omnia,

Februar. nia, pugnantia omnia. Nil audiunt, dum clamant, à Dei Iustitia, quàm illa
Ier.30.15. apud Ieremiam mæstissima verba. *Quid clamas super contritione tua? Insanabilis est dolor tuus, propter multitudinem iniquitatis tuæ, & propter dura peccata tua, hæc feci tibi.* Hinc ira, rabies, furor, insania, odium, desperatio. O quisquis hæc legis, si lecta, vera esse credis, quomodo non aliter viuis? Cogita qui sint illi, qui in loco illo tormentorum cruciantur; Nónne sunt illi qui fuerunt eiusdem tecum naturæ, conditionis, sexus, fors & ætatis, & studij; addicti quondam iisdem, quibus tu modo vitiis? Nónne & eadem ut tu modo, commiserunt peccata? si igitur illi propter simillima tuis scelera perierint, cur non & tu similiter times te periturum? Fateor adhuc potes, dum spiras, sperare. Tu vero quisquis nunc ardes in orco, æternùm ardebis: & ideo heu illud mæstum tibi occino.

Non est quod speres, æterni criminis hæres.

20. DIES FEBRVAR.

Fit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu, qvia & mors vivit, & finis semper incìpit, & deficere defectus nescit.

Sanctus Gregorius libr. 9. Moral. cap. 49.

Æternitas. I. TAndem post longos viarum anfractus, & semitarum ambages, quibus per subterranei illius spælei funesta loca deduxi, peruenisti ad pœnarum extremum, ad ipsam tormentorum metam, quo cum nihil nec esse infeliciùs, nec timeri funestiùs, nec fingi atrociùs possit, hic gradum fige: quia illud est inter omnia tormenta, palmare tormentum. Hoc autem non aliud est, quàm tormentorum omnium, & singulorum Æternitas. Pondus immensum, de quo cogitare est horror, audire pauor, pati immensus dolor: & hic non timeri, similis stupor. O quàm sunt feralia, tanquam è flammeis nubibus excussa tonitrua, illa bina, quæ illorum auribus perpetuò personant vocabula. Semper, Numquam. Semper in orco, nunquam in cælo, semper à Deo, nunquam cum Deo; semper in incendio, nunquam in refrigerio; semper in tenebris, nunquam in luce, semper in labore, nunquam in quiete; semper in dolore, nunquam in gaudio; semper miser,

Digitized by Google

miser, nunquam felix, semper flere, nunquam ridere; semper pati incipere, nunquam desinere: semper premi omni malo, nunquam frui vllo bono. O, quisquis hæc legis, vel hanc paginam funestam quàm legis, irriga tuis lachrymis, ne & tu illas binas voculas Semper, Numquā, vnquam tuis excipias auribus. Februar.

II. Ibi Anima primùm clarè intelligit, & sentit quid sit Deus; quale sit animæ bonum, Deus visus, & amatus: quàm hoc solum sit eius bonum, & quo se priuavit in æternum, suâ culpâ. Hoc vnum perpetuò cogitat *Nunquam videbo Deum*, nulla spes, nulla melioris status expectatio. Cupit, & desperat simul se visurum Deum. Horret simul quod quærendum videt: blasphemat, odit, execratur, quod summè tamen amandum novit. Vitane dicenda sit an mors, quod viuant, aut neutrum, an vtrumque simul, difficile est definire: nam vitalis quædam mors est, mors est bonorum omnium, vita malorum omnium. Quod timent, habent, & quod habent, timent: quod magis amant, magis cruciat; quod magis quærunt, magis ab eis fugit: finem pœnarum quærunt, & dum vident nullum esse, tanto magis illum quærunt, & tanto magis inde cruciantur. Ita iuxta tesseram, *Fit miseris mors sine morte*, &c. Ideo frendent, indignantur, ringuntur, ferociunt, fuumque in Deum ac se ipsos furorem exonerant, suam ipsorum discerpunt carnem, indignantes se devorare invicem non posse. Præ suspiriorum magnitudine pectus diffrumpunt, carnem immortaliter passibilem vnguibus discerpunt, in creatorem infinitas blasphemias euomunt, qui suppliciis hisce eos irremediabilibus, adeoque desperatis addixit: ut vermis non moriatur, vita finem non accipiat, ludex miseratione non moueatur, patronus partes defendendas non suscipiat, mediator non intercedat, carnifex torquendo non defatigetur, ignis denique nunquam extinguatur.

III. O lector, ut sis inter electos, imitare regium Vatem canentem, *Annos æternos in mente habui*: annos, inquam, non illos, quos ad solis cursum dimetimur, qui non amplùs è duodecim mensibus, & duabus quinquaginta hebdomadis, è trecentis sexaginta quinque diebus, & sex horis, sed è pura æternitate cõponuntur. Ibi decades, centenarios, millia, centena millia, miliones, centeni milliones, millionum milliones, & infinita, millionum millia annorum elapsa cum sint, tantundem est ac si nihil fuissent. Et hæc misera miserrimis illis æternitas, Infernorum est infernus, abyssorum abyssus. Tamen summè iustus est Deus, quia iustissimum est, ut, qui libertate sua, interim dum non peccare potest, abutitur, eâdem, in Dei manus incidendo & æternitatis domum ingrediendo, priuetur: & cum eius *Psal.* 76. 8.

Februar. 4. *Dialog.* rebellio contra Deum malitiam includat infinitam, supplicio duratione infinito puniatur: quia teste D. Gregorio. *Ad magnam Iustitiam pertinet iudicantis, ut nunquam careat supplicio, qui nunquam voluit carere peccato* : & ut idem qui creaturis abusus est, per creaturas castigetur, & qui dæmonum suggestionibus paruit, ab iisdem dæmonibus crucietur. Et hic finis esto de æternitate, cuius nullus est finis. Tu, antequam pertingas ad viæ tuæ, hoc est, vitæ, metam, ut concipias æternitatis metum, occine tibi illud crebrius.

Non venit ad metas, orci miserabilis ætas.

21. DIES FEBRVAR.

Omnis Anima, aut Christi sponsa, aut Diaboli adultera est. *Augst. in Gen. ad litt.*

Vna nobis sit cura, ne anima pereat.

I. EMersisti ex orco adhuc viuus, ne illo immergaris perenniter mortuus, proderunt quæ suggeram meditandi argumenta. Anima tua hic in terris ad momentum accola, erit semel in domo Æternitatis perpetuò incola. Hic stat in bivio: ut enim gemina est domus Æternitatis, Inferorum, cælorum, sic gemina est quæ ad eam ducit semita, lata vitiorum, arcta virtutum. Per illam te manuducit Diabolus, per hanc Christus. Si Anima se devoueat Diabolo, illius est adultera, si Christo, illius est sponsa. Alterutrius, ut te mancipes obsequio, cogit necessitas; vtrius volueris, finit libertas. Vt sis inter electos, vide quem eligas : tantum huius electionis momentum, cave negligas. Illius enim neglectus, est certus Animi interitus. Quapropter, ne Anima tua sit Diaboli adultera, ut sit Christi sponsa, quid sit Anima tua, qualis, quanta, cuius pretij & dignitatis, ut assequaris totum animum applica, omnes vires animi explica.

II. Ut animam tuam æstimes, nihil esse sub luna, vel supra solem pretiosius necesse est existimes. Prodigium est cum simus superbissimi, de bono, quo post summum bonum, nihil dignitate est superius, non superbire. Superbimus propter ea quibus nihil est abiectius, & humilius, ob porcorum siliquas, quibus vescimur, ob vermium exuuias, quibus tegimur, ob fortunæ quisquilias, quibus extollimur; ob reculas nauci, & flocci, quibus impendimur; & Animam qua nihil præstabilius habemus, nihil pensi

Digitized by Google

pensi habemus. Verissimè Seneca: *Nihil est cuique se vilius.* Erubescamus ita nos vili æstimare, cum simus inæstimabiles, quandoquidem Deus tanti nos fecerit, ut semet pro nobis tradiderit. An non super omnia pretia est homo, cum illius iam venditi redemptio, corrupti restauratio, perditi acquisitio, tanto munere agatur; *ut homo Deum valere videatur*? Constas rei infinitæ pretio, & te vendes pro teruncio? O probrosum quæstum de quo nunquam quis satis fuerit quæstus! *Quàm pretiosus sis, si factori forte non credis, interroga Redemptorem.* Februar. *Epist.* 42. *Euseb. 6. de Pascha. Idem Hom. 2. de Symb.*

III. Deinde tanti facienda est tibi tui vnius Anima, quanti omnium. In promptu est ratio: quia Deus tanti æstimat vnius animam, ac vniversorum. Tota immensitas Divini Amoris tuam salutem quærit, tuam Animam requirit. Cælestis quippe pastor tam solicite vnam perquisiuit oviculam, ac si totum perquireret gregem. Sic de vna inventa lætatur, ac si in vna reperisset omnes. *Vnumquēq; hominē pari Charitatis modo diligit, quo diligit orbem vniuersum*, ait Chrysostomus. Perinde enim considerare licet Dei Charitatem, ac immensitatem: vti enim totus Deus est in omnibus rebus, & totus in vna, & tantus quantus est in omnibus, tantus est in singulis: sic Divinæ infinitudo Charitatis, quæ omnes animas quærit, eadem tota tuam priuatim requirit. Vnde non minus debes de tuæ animæ non tantum salute, sed profectu esse solicitus, quam si à tua salute vnius, dependeret salus totius humani generis. Satiùs enim debet esse tibi perire omnes, quàm te. Contra verò, tanto debes horrore formidare, tui vnius interitum, ac si vniuersum genus humanum tecum periret. Sicut igitur tam chara est Deo tui vnius Anima, quàm omnium, sic omnia omnibus beneficia à Deo collata tibi vni fecisse existima. Sic tui vnius animam amabis ut omnium. Amor enim dat pretium rebus, iuxta Poëtam. *Incap. 2. ep ad Gal.*

Quisquis amat ranam, ranam putat esse Dianam.

22. DIES FEBRVAR.

Cui iustius vivam quàm ei, qui si non moreretur, ego non viverem. *Bernard. Epist.* 143.

I. PErspecto animi pretio, & inspecta eius dignitate, vide non tantum quomodo deceat, sed cui oporteat viuere. Non diu te sinet de hoc deliberare prælecta tessera. Cui potiùs debes vitam, quàm qui pro te subiit mortem? Ne pereas, otium caveas.

Digitized by Google

Februar. mortem? Hic sta paulisper in specula, per totum, quaquà patet, orbem, oculorum aciem latè circumfer, & non modo inter plurimos, paucos; sed inter omnes, vix vnum reperies, qui illi viuit, cui debet vitam. Nihil curare ferè omnium est cura, præterea nihil: ac si salus Animi, esset res nihili. Nihil non agũt, ut operosè nihil agant: quorum opus quotidianum est inanis curiositas, vanitatis negotiatio, temporis perditio: student in foro, in gymnasiis, in theatris, tonstrinis, triviis, circulis, aucupari rumusculos, cupiditati suæ sitientissimè velificari, atque ita *otiosissimis occupationibus perdere diem.* Sic passim homines reperies, non tantum auribus, sed pedibus male prurientes. Nunquam sunt secum, toti effusi in reculas vanissimas, propria despiciunt, se, & sua suspiciunt, immiscent se assiduè alienis, non se continent, intra privatos ædium parietes, non commentantur, nihil attingunt, quod ratio vel honestas postulat, per alienas domos vagantur. Nunquam agunt negotium publicum, nunquam amicorum, nunquam suum. Per viciniam ut muscæ importunæ volitant, tota vrbe, nulla causa, nullius bono circumcursant. Denique nunquam agunt quod agunt.

Plin. l. 6. Epist. 6.

II. O quot sunt qui toti vagi, & inquieti plus foris, quàm apud se hærent; quibus singulæ dies perpetuæ sunt nundinæ, tumultuosum forum, inops mentis, & rationis iactatio, perpetua animi fluctuatio, turbulenta in futilibus rebus solicitudo, in caducis perennis circuitus! Nihil temporis sui sumunt sibi, nil insumunt saluti. De quibus appositè dixerit Domitius Afer de Manlio Sura oratore turbulento, actuoso, incomposito, qui multum in agendo exiliebat, manus iactabat, togam deiiciebat, & reponebat, *Non agere sed fatagere*, venustè dicebat. Hic plurimi, sui incurioſi huc illuc volitant, & cum multum occupati videri velint, & complecti animo multa, atque agitare, tamen pro se, pro cælo, pro salute, pro Deo, pro Æternitate, nihil agunt, dum omnia agunt. Interim transeunt dies salutis, præterit tempus acceptabile, eripitur è manibus cælum, gloriæ lumen obsolescit, transvolat vita, imminet mors, instat æternitas, & priùs ad decretorium illud iudicium abripiuntur, quàm nos opinabamur abripiendos.

Quintil. l. 6. c. 3.

III. Alij sunt, qui exquisitis pollent naturæ dotibus, sed ignavi in languore, inertia, desidia consenescunt: nihil efficiunt ad publicum bonum, nihil ad suum: defodiunt cæli dona, oblivione virtutem, otio artem, silentio maximarum rerum cognitionem, obliteratione sapientes cogitationes, vtilissima facinora, quæ possent facile aggredi, & non difficile exequi, domestico veluti stupore consepeliunt. Vnde languentes nihil iam grande moliuntur, nihil divinum cogitant, nihil præclarum meditantur, viuunt causa solius vitæ, & plurimum se fecisse putant, si quietissimè, & commodissimè

Digitized by Google

dissimè vitam agant. Illud vero multo est indignissimum, dotibus ingenij magnis exultos, atque à Deo ad res graviores subornatos sic detereretempus, ut ne nihil agere videantur, sese ad vilissima quæque abiicere, totos dies cum catellis ludere, cum pueris garrire, equitare in arundine longa, in tonstrinis sedere, oberrare in triviis, cum histrionibus nugari, cum stulto illo Imperatore muscas domi contentione irridenda captare. Hoc non est tam vitam vivere, quàm mortem mori. Insectabitur te omne infortunium, si secteris otium: si ignaviâ torpeas, necesse est sordeas. Februar.

23. DIES FEBRVAR.

Quidquid quæsieris in terrâ, deterius est quàm tu. *August. art. 2. in psal. 32.*

I. QVidquid quæris in terra extra te, est infra te, imò plerumque contra te. Vnde, dum illa quæris, te perdis. Illa studiosè inuestigas, in quibus nullum est boni vestigium; adeoque quæ satius est inuenta perdere, quàm perdita quærere. Laudo diligentiam, sed eam, cuius finis est laudabilis. Si es diligens Dei, eris diligens pro causa Dei. Cui magis debita est cura, quàm omnia curanti? In eâ præcipue re cura amanda est, quâ nihil cures: ibi adhibenda diligentia, vbi omnia negligas. Salutis, & virtutis cura, secura est incuria. Insomnis opilio pro pecude pernoctat: cur pro Animo non expergiscimur? Cur pro Animi salute non vigilamus, ut ei invigilemus? Damnis nostris, voluptati, otio diligentes sumus: dum agitur de eo, quod inter omnia est vnum necessarium, iacemus torpemus, oscitamus, desidemus. Ut homines ea sibi comparent bona, vnde illis oriuntur omnia mala, sunt oculis Argi, manibus Briarei, pedibus Mercurij. In omnibus diligentiam potiùs supervacaneam accuses, quàm necessariam condemnes. **Diligentia adhibenda in Animæ negotiis:**

II. Propone bina diversissimæ indolis animalcula, Cicadam & Formicam. Cicada in æstate importunis desidet modulis: navat gnaviter Formica operas: nec sine pretio operæ. Æstati succedit hyems: illius desidia parit inediam; huius solertia copiam. Famet Cicada, defectu annonæ, saginat se formica, abundantiâ commeatus. Bestiola illa quàm despectam na-

Februar. tura fecit, quàm hyemali ergastulo damnavit, ipsa sibi carcerem in horreum mutat, hypogæum in triclinium. Vna omnium animalium formica dives est, habet, possidet, conditque vnde vitam sustentet, famem propulset. Sat fuit de illis natura solicita, quod eas sollicitas fecerit. Constanti formicæ labore minus esuriunt quàm rapidissimæ aquilæ. Multa hactenus didicisti magistrâ Experientiâ, ne erubescas quædam dediscere magistrâ bestiolâ. Plus proficies sub magisterio formicæ, quàm fortunæ. Non est in manu fortunæ à te propulsare omne infortunium, atque adeo nec reddere fortunatum. Formica te docebit, vbi possis condere fortunas sine metu iacturæ. Est illa non tantùm ut laboret sedula, sed ut laboris fructu gaudeat provida. *Veniet nox quando nemo potest operari.* Nunc ergo dum tempus habes, *quodcunq; potest manus tua, instanter operare.* Satius est laborare cum Formica, quàm cantillare cum Cicada.

Ioan. 9. 4.
Eccl. 9. 10.

III. Alia tibi propone ex animalium classe, Apem, & Pavonem. Quãto studio & ornatu compsit Natura Pavonem, quàm negligenter Apiculam. Quasi opus aliquod tumultuarium faceret, molem corporis exilem dedit, speciem contemptibilem posuit, non disposuit. Sed aufer è mundo Pavonem, quid amittemus, nisi quæ lumina oblectabat, oculatam caudã? Aufer Apiculam, quanta auferetur vtilitas, gustus, lucis, valetudinis, & mẽsæ, & aræ. Pro gustu subministrat fauum, pro luce ceram, pro valetudine melimeli, pro mensa melipecta, pro ara ceram virginem. Hæc contemptibilis bestiola, emendavit naturæ erga se negligentiam sua diligentiâ. Hac fecit & se pretiosiorem, & aliis vtiliorem speciosо alire, in quo nihil est dignum visu præter caudam. Bestiolam formicã despicabilem, reddit nobis tam vtilem industria, & sedulitas. Tot vagantur per orbem Marciæ pulli, homines pigritiæ devoti, inertiæ auctorati, veternosi, in rebus spiritualibus lethargici, in cælestibus paralytici, qui tamen ut pavones variis coloribus, sic fulgent picturatis vestibus: hos tollas è mundo; hunc potiùs mundabis, quàm dehonestabis. Tolle cerdones, sutores, sartores, opifices, operas, tollis mundi omnem qua indiget opem, imò & opes. Hos mundo reddit necessarios diligentia. Fac tantùm pro cælo, quantum illi pro terra, pro Animo, quod illi pro corpore, & sic diligens, eris dilectus imò, & electus.

Tegmen frange nucis, si cupis esse nucem.

25. DIES

Digitized by Google

24. DIES FEBRVAR.

Labor nullus, Amor magnus. *Augustinus de Musica 4.cap.9.*

Februar.

I. DIligentiæ comes est labor. Illis labores tuos consecra, quæ te Deo consecrabunt, virtutibus: vel si careas, obtinendis, vel si possideas, conservandis. Nullus tibi labor erit molestus, imò nullus non iucundus, si pro quo laboras, amas: Nam vbi Amor est magnus, labor non tantùm est parvus, sed nullus. Maximus tuus labor sit ne in vanum labores. Tota totius vitæ tuæ opera, sit opus bonum, & patientia malorum. Itaque omne tuum studium, atque adeò totum negotium sit, mala pati, & facere bona. Potes quidem laborem fugere, sed non fugare, atque adeò nunquam effugere. Tibi ipsi imponis, si proscripto labore, ad quietē te componas: penitusque deliras, nisi tibi persuadeas, plus patiendum esse, quàm viuendum. Nulla vitæ, quid dico? nulla diei est pars, quæ sit laboris expers. Vnus labor, est hæres alterius: si hunc fugis, non carebis alio succedenti. Solùm commutare laborem possumus, non declinare. In stadio es, non licet tardare, quomodo licebit stare? quomodo licebit sedere, in quo nec vacat fatigari, aut cadere?

Pro Animâ labor benè impenditur.

II. Cupis ad laborem stimulos? Expende quod sequitur. Si Deus creasset homines omnes simul, & semel rationis vsu præditos, & Gratiæ dotibus æquales, ac ostenderet omnibus magnitudinem cælestis gloriæ, totumque cæli apparatum: & aliunde apponeret patefactum Inferorum barathrum, cum omni crudelitatis, & cruciatuum pompâ: Simulque diuinitus reuelaret, ex omnibus non nisi vnicum æterna cæli gloria donandum, eum videlicet qui Deum amaret impensiùs, & serviret officiosiùs, sive qui reliquos anteiret sanctitate, & charitate: reliquos omnes perituros, & perennibus in orco suppliciis mactandos. Quis inde suspiciens cælum, & eius gaudia, inde despiciens orcum, & eius supplicia, non toto totius, & animi, & corporis conatu contenderet præ omnibus excellere sanctitate, ut possit tanta gaudere felicitate, tanta carere calamitate? Quanta inter omnes esset æmulatio, inter singulos contentio, ut Deo, quàm possent ardentissimè, seruirent? Nemo esset qui non omnes exereret vires, ut esset virtute primus. Nulli vacaret vacare otio, nullus esset locus inertiæ. Quilibet

Februæ. bet strenuissimè laboraret, & tamen labor esset nullus, quia amor consequendi tanti boni, & timor evadendi tanti mali, esset summus.

III. At quanto maiori stimulo nunc deberes eniti, ut excedas omnes qui hactenùs fuerũt Sanctos; Ratio multo est æquior, titulus iustior, stimulus acriot ad amandum Deum, teque totum ei mancipandum, ipsa Dei gloria, & eius voluntas, quàm tua salùs, & cunctorum interitus. Nec enim ut vel aliquid agas, vel omittas, plus te movere debet tua vtilitas quàm Dei voluntas. Longe cumulatius est Dei beneficium, multos potiri cælo, quàm paucos. Cur igitur iam remissius servis Deo, cùm plus illi debeas? Imò si inhies tuo lucro, & non gloriæ Dei, non deberes negligentior esse, quia iam nulla obsequia erunt irrita: & quo es melior, in cælis merces tibi erit copiosior. Non esset hoc si non nisi vnicus fuisset salvandus: tunc enim ingentium laborum nullus fuisset fructus, nec maius præmium pro maioribus obsequiis: quæ tunc magis periclitarentur incerta & cassa, etiamsi magna essent, si non forent omnium maxima: imò etsi sanctitate excederes ferè omnes, si vnum solum non excederes, perinde esset ac nihil. Nunc securiora, & fructuosiora sunt merita: nunc nulla opera nostra peribunt: nunc omnis labor excipiet remunerationem, iuxta intentionem. Quid si certum esset, nullum hominem damnandum, sed omnes salvandos, non idcirco oporteret te desidem esse in virtutum exercitio; negligentem in Dei obsequio: potiùs conandum foret, accumulare plura merita, ut posses frui maiori gloriâ. Vbi tot te acuunt ad laborandum aculei, cave feriari, fuge otiari. Tantùm quod tibi commissum est negotium, nec ad momentum admittit otium. Hoc, ut vites, cum otio expende illud metrum.

Otia quisquis amat, væ, væ mihi, postea clamat.

25. DIES FEBRVAR.

Multis laboribus agitur, ut longiori tempore laboremus. *August. epist.* 45.

Cavenda socordia. I. LAboras ut magis labores, dum pro Deo, vel fugis laborare, vel negligenter laboras. Eo laborabis diutiùs, quo remissiùs. Qui in Dei obsequio torpet, & salutis negotio languet, in grandi est periculo ne pereat, hoc est, æternum laboret. Tepidus enim non se autumat malum, & hinc

hinc se existimat securum; & ideò nulla ipsi de profectu in virtute est cura. Et hæc maxima est incuria, & formidanda securitas. Vin terribile aliquid dicam, ad quod tinniant ambæ tibi aures? Tepidus effusam Dei Misericordiam, & profusam liberalitatem compescit: & ne aperiat manum, quæ replet omne animal benedictione, quasi constringit, ne benedicat: hinc Deus qui in summè malos, est non rarò summè bonus, & cumulate liberalis, erga tepidum est avarus, illiqúe negat, quod aliis donat. Addam quid horribilius; Deus qui omnibus est dator, utpote dator munerum, tepidis data aufert: rapit à pigro quæ dederat talenta. An non vastum est malum, quod Bonitatem non sinit nobis esse bonam? Nónne maledictum, qui tantum habet male? ô quàm ille non male dixit: *Maledictus homo qui facit opus Dei fraudulenter*! An non facit tepidus opus fraudulenter, qui se tot meritis, Deum tantâ gloriâ defraudat? Februar. *Iere.* 48. 10.

II. Non pauca sunt mala, quæ habent vsum aliquem non malum': Inter omnia mala, socordia Spiritus est malum pessimum', quia ad nihil iuvat. Quid peius quàm peccata gravia? hæc tamen non leve adferunt momentum, ad spiritus emolumentum, & ad perversi conversionem, cum Deus sapientiæ suæ arcano, & inscrutabili Misericordiæ Sacramento elicit ex malis bona: dum se Dei obsequio, sero licet, vel ideo tamen seriùs impendunt: Hinc sæpe mali evadunt boni, imo sæpiùs pessimi, fiunt optimi. Languor spiritus, hęc quę expectari possent, & sperari solent, bona impedit. Tam est hæc desidia nocens, & mala, ut prope se exhibeat minus vtilem, & bonam, quàm ipsa pessimorum hominum malitia. Quod est tinea vestibus, ærugo ferro, caries ligno, hoc est desidia tempori: exedit enim, & corrumpit, quo nihil est pretiosius, tempus, dum illud sinit præterire sine lucro, imo cum damno. Quin in ipsam est iniurius æternitatem, dum efficit ut in domo æternitatis æternum minùs gaudeat; quia minora vnde gaudeat merita hîc accumulat.

III. Quæri posset, cuius ætas sit temporis, vel diuturnitate prolixior, vel exiguitate contractior? In promptu est responsio. Negligentis hominis vita, licet ad lustra plurima, imò & ætates prorogata, multo est brevior, quàm diligentis, tametsi nec ad lustrum vixerit: sic enim in brevi explevit tempora multa, quia collegit merita magna. Vnius anni spatio adæquavit multas olympiades, & ideo vicinior est hîc, quàm alter Olympo. Tepidus in mundo diu fuit, sed non diu vixit: desidia enim tantumdem, ac mors est. O te in hisce tam quæstuosis nundinis insanum mercatorem! Quære, si placet, & vide an reperire possis, mercatorem tam male mentis sanę, qui si lucrum vnius anni assequi possit, compendio vnius diei, illud ex desidia

Februar. negliget? Minimum temporis otium, maximum pro salute est negotium: non parvi est momenti vel minimum eius momentum, quia est æternitatis sementis. Dum tempus labitur, immensi tibi lucri occasio elabitur, palma tibi in manibus infringitur, gloria æterna imminuitur, gravissimumque pateris damnum, cùm nullum facis cum tempore lucrum. Totus quátus es, Dei & cælituum es spectaculum. Infamas gratiam Dei, dum cum gratia torpens, qui debueras esse dignum Deo ac Cælitibus spectaculum, te facis orco, & Dæmonibus ludibrium. Itaque labora ne sis sine labore assiduo, & tandem assiduitate, labor tibi erit non modo qui est molestus, levis, sed qui diuturnus, brevis. Audi monitum Vatis.

Fac ut nulla tibi sine fructu transeat hora
Tunc erit hora brevis, tunc labor ipse levis,

26. DIES FEBRVAR.

Turpis qui alto somno semisomnis iacet, cuius vigilia de medio die incipit. *Senec. ep.* 122.

Socordiæ mater est somnolentia.

I. VT evitetur spiritus desidia, cavenda est somnolentia. Quid turpius, quàm & tunc cùm clarum mane intrat fenestras, & dum adultus est, dies, languidâ inertiâ, & sopore teneri? Inter omnes vitæ humanæ miserias nulla maior, si peccatum exceperis, quàm somni miseria. Cæteræ miseriæ vitam duntaxat affligunt, somnus vitam penitus aufert: cæteræ calamitates, cum fœnore sunt homini molestæ: non mediocriter enim ad merita cumulanda conducunt: imò si vis, ad cælum manuducunt: itaque si patienter, & fortiter, es quoque feliciter miser. Somnus vero vtrique vitæ, & corporis, & Animæ graviter officit, dum ne merearis efficit. Quare quisquis æternæ est amans vitæ, plus horret somnum, quàm mortem. Mors graffatur in corpus, somnus in corpus, & Animam. Tanto videtur somnus morte deterior, quanto est Anima corpore nobilior. Mors solùm privat vitâ carnem, rem mortalem, & caducam: somnus Animam, rem immortalem, & æternam. Mors non est formidanda, quia relinquit hominis partẽ potiorem liberam, scilicet Animam, qua homo est, qua amat Deum, qua contemplatur Divina: somnus hanc partem hominis nobilissimam obruit, & sepelit, exanimem quasi ipsam animam faciens.

II. Nemo satis intelligit, quàm sit homini noxius somnus; nisi qui intelligit quanti sit momenti, & pretij Gloria Dei, quàm inæstimabilis eius amor,

Ralph Cromwell, Lord Treasurer of England, temp. Hen. VI. and Knight of the Garter, by Joan his wife, daughter and heir of Ralph Lord Bassett of Sapcote, had issue Sir Thomas Cromwell, Knight, Lord Cromwell, who married Amy, daughter of Sir Humphrey Stanley, Knight, and had issue Ralph Lord Cromwell, who married Margaret, daughter of Sir Thomas Wake, Knight, and had issue Thomas Lord Cromwell, who married Elizabeth, daughter of Sir Thomas Bourchier, Knight, Earl of Essex, and had issue Henry Lord Cromwell, who married Catharine, daughter of Sir Edward Grey, Knight, Viscount Lisle, and had issue Gregory Lord Cromwell, who married Elizabeth, daughter of Sir Edward Darcy, Knight, and had issue Henry Lord Cromwell, who married Mary, daughter of Sir Thomas Audley, Knight, Lord Chancellor of England, and had issue Thomas Lord Cromwell, who married Elizabeth, daughter of Sir Thomas Seymour, Knight, Lord Seymour of Sudeley, and had issue Henry Lord Cromwell, who married Elizabeth, daughter of Sir Thomas Dacre, Knight, Lord Dacre of the South, and had issue Gregory Lord Cromwell, who married Elizabeth, daughter of Sir Thomas Burgh, Knight, Lord Burgh, and had issue Thomas Lord Cromwell, who married Elizabeth, daughter of Sir Thomas Wentworth, Knight, Lord Wentworth, and had issue Oliver Lord Cromwell, who married Elizabeth, daughter of Sir Thomas Cheyney, Knight, Lord Warden of the Cinque Ports, and had issue Thomas Lord Cromwell, who married Elizabeth, daughter of Sir Thomas Howard, Knight, Duke of Norfolk, and had issue Henry Lord Cromwell, who married Elizabeth, daughter of Sir Thomas Knevet, Knight, and had issue Thomas Lord Cromwell, who married Elizabeth, daughter of Sir Thomas Knevet, Knight

27. DIES FEBRVAR.

Februar. **Deus non ea quæ offeruntur sed voluntatem respicit offerentium. *S. Hieron. in Amos.***

Deus manè sit omnium operum scopus.

I. MAnè evigilans, de quo potiùs debet esse prima cogitatio diei, quàm de Deo qui est antiquus dierum? Orto igitur iam sole, velut aquila perspicaci obtutu intuere Solem Iustitiæ, qui solem suum iussit oriri super te. Ad eum, velut ad scopum iacula, sic dirige omnia tua opera. Hoc modo actiones nullius ex natura sua valoris in sublimem meritorum gradum evehuntur: sic actiones naturales, redduntur supernaturales. Si vel mille haberes intellectus, si mille oculos, illi in solo Deo occupari deberent, & in eius voluntate implenda. In hoc potissimum cura, industriaque nostra versetur; ad hoc referatur omnis nostra solicitudo; in eo præcipuè intentio nostra occupetur; hic vires Animæ nostræ fatigentur, pensum sit illud, & quotidianus labor, totius vitæ nostræ, ut inquiramus, & quæramus cum D. Paulo. *Domine quid me vis facere?* Illud quod vult Deus, semper facere, est Deum verè diligere. Et ita si Deum diligis, stans in terra, iam nunc es in cælo: quia facis voluntatem Dei, in terrâ, sicut beati in cælo.

Actor. 6. 9.

II. Incipe nunc in terrâ facere, quod per omnem æternitatem nunquam desines in cælo facere. Nec tantum generatim omnia, sed exemplo S. Gertrudis, minutatim singula, ut consecrentur, Deo consecra; videlicet voces singulas quas lecturus, characteres quos scripturus, bolos quos comesturus, verba quæ prolaturus, gressus quos facturus, anhelitus omnes quos dormiens, & vigilans ducturus es. Hoc non tantùm est Dei gratiam habere, sed cum gratia perpetuo operari: dum suum in Deum affectum prodit effectis. Et quidem hæc Dei voluntas, perficienda est sine vlla exceptione in omnibus. Nam summum illud, & vnum Bonum, vendicat sibi totum, & omnia. Sicut enim falsum est, mortuum esse quempiam, nisi cessent in eo actiones omnes vitales, si enim vel vnica supersit, neutiquam dici potest mortuus: ita prorsùs, cum quis vnicum quid, licet minimum, ex sua faceret voluntate, non impleret is Divinam, nec suæ voluntati planè est mortuus. Ecquid dicemus de eo, qui postquam pro inæstimabili thesauro solverit ducatos mille, renuat deinde superaddere reliquum adhuc

adhuc ducatum vnicum, illiuſque cauſa ab emptione reſiliat? Prudens ille in Euangelio negotiator, *pro pretiosâ margaritâ, vendidit omnia, quæ habuit.* Omnia cùm dicit, nihil excipit. Februar. *Mat.* 13. 44.

III. Noſtra voluntas ſola, plura, & graviora damna invehit, quàm omnes in orco dæmones, in exitium noſtrum conſpirantes. Contra vero Divinæ voluntatis executio, eſt vnica Pax Animæ, regnum cælorum Chriſti poſſeſſio, inventio ipſiuſmet Dei. Inquiramus illum, ſicuti ille nos. Scis quo labore, quo ſtudio, quo deſiderio ille nos quæſivit? Audi loquentem D. Thomam, agentem de drachmâ ab illo inventa, & inventæ gaudio. *Notabile eſt quod omnes Angelos conuocat ad congratulandum, non drachmæ, non homini, ſed ſibi, quaſi homo, Dei Deus eſſet, & tota ſalus Divina in ipſius inuentione dependeret, & quaſi ſine ipſo beatus eſſe non poſſet.* *To. 13. opuſ. 63. 67.* Si nos Chriſtus tam ſerio quæſivit, cur ipſum veluti per iocum, luſum, & tranſennam quærimus? Si ille omnia quæ paſſus eſt, præ ſalutis noſtræ deſiderio parvi æſtimavit, quare nos magni facimus rem nihili, eiuſque cauſa occaſionem ſponte amittimus, non ſolum promovendi commodi proprij, ſed quod multo eſt excellentius, inſigniter propagandi gloriam Dei? Totum ſe nobis impendit, & ſuperimpendit, liberaliſſimus Deus, cur nos igitur dimidios ipſi tradimus? O execrabilis noſtra ſuperbia! qui non verbis, ſed factis per abominandam blaſphemiam proteſtamur, duplo nos ampliùs valere, quàm immortalem Deum: quia iuſtiſſimo, nobiſque vtiliſſimo contractui aſſ[illegible] recuſamus, qui eſt, ut nos totos Deo demus, qui ſe totum prior nob[illegible] donavit. Habeamus gratias illi, à quo accepimus gratis gratias, Iuxta Poëtæ monitum

Arbor honoretur, cuius nos vmbra tuetur.

28. DIES FEBRVAR.

Nemo quàm benè vivat, ſed quàm diu curat, cum omnibus poſsit contingere, ut benè vivant, ut diu, nulli. *Senec. ep.* 22.

I. VNo adhuc per hunc annum vixiſti menſe, & ſi calculos ſubducas annorum, fortè diu; ſed an etiam bene? Nulli diu viuere, eſt integrum, bene, omnibus eſt arbitrarium. Revoca in memoriam totum per hunc menſem, anteactum tempus, & inuenies, vti reliquos omnes Finiti menſis brevitas.

Februar. antecedentes annos, sic & hunc effluxisse mensem. Ut porrò æstimes inæstimabile pretium temporis, & obstupescas perniciissimam eius velocitatem, quid sit tempus inquire D. Augustinus *id solum* putat *quod præsens est*, hoc est, punctum. Hiccinè ergo est aheneus ille murus? hæc columna, saxumque immobile, quo nostra hæc, scilicet dum hîc nugamur, beatitas fulcitur, superbit, stabilitur? Huius inquam apicis natura in eo posita est, ut esse desinat, nec esse valeat, si quid sit, nisi desinendo; nam quo pacto id esse putemus, quod minimè constat aliquando, eoquè impetu desinit, ut teneri nisi puncto temporis nequeat, quod ipsum diripitur, fugitque dum tenetur! Siste si potes vel diem integrum, illam quàm gustas attonitis faucibus lauti conviuij voluptatem, dumtaxat per horam ne flvat, inhibe, moram huic mensi Febrvario iam desinenti, brevem pone. Frustra esto tempus citius secum abripiet, quàm ut tecum subsistat, & in suum exitium currere intermittat.

l. Conf. 27.

II. Et huic momento immortales annos; salutis nostræ summam huic nihilo vili, ac misero beatam postponimus? Huic sacrificamus cæci, ac stolidi, quidquid Christus suâ morte, ac vitâ comparavit? Quis lætum noctis vnius somnium, annorum centum supplicio non liceat? Quis æterna viscerum tormina, subamari cibi levi molestiâ non redimat? Stilla oceanum? æternitatem semihora? arenæ grano, totum quantum est cælum? Hoc tamen quidquid est tam exile, ac breve, inter digitos nentis traiicitur, sed nentis aranearum telam, & in prædam muscarum intestina sua evoluentis. Tot suspiciones, curæ, machinamenta, metus, cogitationes, tam temerè, tamque improuidè, inscienterque fusæ, suspensæ, catenatæ, implexæ, hæc inquam nostra sunt plerunque studia, labores, & cursationes in auras, in vana, in nihilum, quibus in hoc vitæ individuo apice sciendo, curando insanimus, æternitatis imminentis vertici nostro prorsùs immemores nobis interim pereuntis.

III. Sed labilis nostri temporis rationem nihil tam breviter, & dilucidè subiicit, ut hæc pauca Iobi verba. *Vmbræ transitus est vita nostra.* Est enim vmbra nihil propriùs quàm ipsum nihil; at vmbræ transitus, minùs etiam aliquid ipsa vmbra, cuius instar, dies nostri fugiunt. Ut enim rupi firmissimæ imposita ex ære statua, perennitatis speciem quandam refert, sic multo magis temporariæ mutabilitatis eius statuæ vmbra, vtpote mobilis, varia, nunc maior, nunc brevior, interdum nulla; stat enim illa ære omni perennior, æternitatis moles, invitis turbinum, ac vicissitudinum flatibus; dum vmbris etiam versatilior hæc vita, plures multo, quàm luna, & Euri-

Sap. 2.

pus,

Digitized by Google

pus, valetudinis, voluntatum, & quod est maximè lugendum, probitatis decessus; iactationesque tum patitur, tum amat. Non opus est vetera repetere, se quisque vnum in medio ponat, imò vel vnum quemcunque maluerit vitæ suæ diem, & quàm fuerit labilis, iactabilis, inconstans, disparatus, attendat. Denique sic vmbra imago est corporis, & vita hæc nostra æternitatis, ut pertinaci obstinatione suo archetypo vtraque adversetur, dum lævum dextro, sinistro dextrum, æternum brevissimo, incomparabile minimo, vilissimoque repræsentat. Vnum tamen est miseriarum, quibus in hac vita involuimur non leve solatium, quod occasio est, ac sementis beatæ immortalitatis, de quo sequenti die. Interim dum tempus perniciissimè fluit, ne salutis promovendæ tibi occasio effluat, Deũ ora quâlibet hora, nam Februar.

Transit ut vnda fluens, tempus, & hora ruens.

Digitized by Google

1. DIES MARTII.

Martij. **Abiiciantur illa omnia, quæ præsentem hanc vitam faciunt brevem occupationi, longam dolori.**
Eucheri. de contemp. mund. 11.

Tempus est semen Æternitatis.

I. ORdiris huius anni mensem tertium, quem opto tibi esse secundùm. Vtinam incipias Deo cùm novo mense, servire nova mente. Ad novam vitam animum adiicies, si (ut monet tessera) abiicias illa omnia, quæ vitam tuam faciunt brevem occupationi, longam dolori. Quæ sunt illa, nisi quæ mentem abducunt à felici æternitate, & adducunt ad infelicem vanitatem? Illa hoc mense abiice, & serio cogita, ne te non cogitasse, aliquando sero pœniteat, tempus huius mensis, esse sementem Æternitatis. Magnum profecto, atque omnium maximum est salutis & Æternitatis negotium, totum tamen vertitur momentis vitæ brevissimæ, rapidissimæ, irrevocabilis, semperque de exitu suspensæ, quæ proinde momenta, sunt centum oculis observanda, totidem manibus à nobis occupanda, ne nobis vacua excidant, frustreturque nos occipitio caluo, rei bene gerendæ occasio, si aduentantem non inuaserimus. Nihil opus veterum symbolis, ut intelligamus occasionem esse præcipitem.

II. Ponamus tantum inde prolixissimam primorum in mundi incunabilis mortalium vitam, hinc Æternitatem: & huius sementem mirabimur tam exiguâ illâ (quæ longa videbatur) contineri: nostri vero æui, quod degimus tam brevis, & momentanei tempus quantuluncumque est, æternitatis lucrum esse; & quàm stultum, si iuuet etiam aliquid de eo demere, quod in ludicra conferamus. Hoc rursus tam breue, cum æque incertum sit, & sæpe tridui claudatur vngue, quod fore nonagenarium putabatur, quâ seu fronte, seu prudentiâ, hoc ipsum omittimus, vel occupamus languidius, quo vno possumus immortalitatem promereri, nunquam postea redituro? Nugæ mihi videntur quidquid de temporis pretio scriptores Ethnici dixerunt, præ iis quæ docet Christiana, quàm ignorabant, Æternitas. At S. Bernardus deplorat cum nihil sit pretiosius tempore, nihil tamen vulgo haberi vilius: graviſſimeque arguit horam pœnitentiæ

Serm. 75. in Cant.

tentiæ veniæ, gratiæ, gloriæ deſtinatam, otio, fabulis, apinis, & affaniis donari. Nos verò quanto acerbius obiurgabit, lacerabitque æterna pœnitudo neglectæ opportunitatis, quà brevi compendio cælum nobis aſſerere poteramus. Martius.

III. Quid latro infelix, beatum intuens criminum ſocium, ſed pœnitentiæ (ſi non ei pertinax obſtetiſſet) feliciſſimum magiſtrum? Quid tu? quid ego? ſi quod abſit, tam execranda ſors nos interceperit, quid alius quiuis inter fontes æternis addictos ignibus, quo fletu, qua rabſe, quibus vlulatibus incuſaturus ſit illam ſocordiam, qua poſſeſſionem ſummi Boni excuti ſibi de manibus non modo patiens tulerit, ſed eam ſponte reſpuerit? quâ amarâ recordatione reuocaturus articulos temporis, quibus flammas illas ſeruiles, & atroces vitare, Regnum illud perpetuum, ac ſecurum nullo negotio, leuique brachio valuit comparare? Potrò etſi omne vitæ tempus, futuræ ſit ſeges beatitatis, ſunt tamen in eo quædam opportunitates occaſionum vtrimque maximarum, Deum nobis vel multum demerendi, vel non parum offendendi. Tale fuit Ioſephi fuga ex adulteræ manibus. quanto periculoſior tanto ſecurior, fortior, & glorioſior: tale Suſannæ conſtantia, certo deliberatæ mortis diſcrimine, inceſtorum frangens libidinem. Tales actus Heroici, quibus manu violentâ, affectus chariſſimos Divinæ obedientiæ iugulamus. Hâc occaſione vti oportet, dum licet. Eſt enim grande Dei beneficium, quævis moleſtæ pugnæ materia, quia eſt ſemen excellentis victoriæ; eam vero tanti quæſtus materiam, ut nemo prætereat niſi hebes, & fatuus mercator, ſic ilta Divinæ Bonitatis egregio facto nobis obſtringendæ commoda argumenta, nemo, ſi modo vir fuerit, elabi ſibi patietur. Vtendum occaſione, moneris hoc poëmate:

Ferrum quando calet, cudere quiſque valet.

2. DIES MARTII.

Quod fecit Deus non poteſt eſſe malum, ſi ipſe homo non ſit ſibi malus. *Auguſtinus* 24. *in Ioann.*

Inclinans ad Perfectionem, primo declinet à malo.

I. CVm eſſes parvulus, didiciſti in ſchola Priſciani, declinare nomina; iam vir factus, diſce in ſchola Chriſti, declinare vitia. Prima tibi

Martius. *Ps.* 36. 26. sit lectio, quàm tradit David: *Declina à malo.* Sed quia multi in censendis malis turpiter hallucinantur, quid sit malum, hic inquirendum. Nostra socordia, ad nihil est diligentior, quàm ad inutilia. Eradicamus herbas, examinamus fibras, scindimus, coquimus, eliquamus, exenteramus feras, inspicimus intestina, distinguimus arterias, summâ diligentiâ exploramus viscera animalium, & tanquam naturæ laniones exsecamus. Quotusquisque interim, dum omnia extra se cognovit, mentem applicat ut se, quis sit, intelligat? Morborum causas, & naturas inquirere, sumus vsque ad pertinaciam solliciti, inspicere, imò vel inquirere naturam boni, & mali, Virtutis, & vitij, minimè sumus curiosi. Pretium hic tandem fuerit operæ, in tanto salutis negotio, omnem impendisse operam. Illud nunc impensè agamus, ne dum animam agemus, intelligamus nos per omnem vitam, actum egisse.

II. Vt quid res sint penitùs perspicias, oportet eas non quales videantur, aspicere, sed quid sint, inspicere. Contrahendæ sunt aulææ rerum, quibus oppansæ latent, ut nudas, suaque sinceritate perspicuas exploremus. Detrahendæ sunt illis laruæ, abstergendus fucus, tollendæ phaleræ, auferendæ bracteæ, sequentes naturam non famam, veritatem, non opinionem: quia plerunque minus sunt quàm videntur. An quia pedalem esse solem autumant imperiti, tu talem esse fateberis? An qui oblatrat lunæ, canis, splendorem detrahit? Multa existimat imperita multitudo esse bona, quæ ex albo bonorum sunt expungenda. Non sit tibi multitudo errantium, pro auctoritate; nec enim minus errat, qui cum multis errat. Percurre omnia, quæ adorat nostra cupiditas, quibus dedicantur vota, ad quæ referuntur suspiria, quibus consecrantur vigiliæ, vnde ambitio suspenditur, quæ inuidiam occupant, & quæcumque cum tempore fluunt, & effluunt; reperies ea omnia iniustissimè bona dici, falsissimè putari. Lux est quòd facit lucidum, calor calidum, frigus frigidum. Effectus rerum dant titulum rebus. Cur quod te bonum non facit, faciet fortasse pessimum, bonum vocas? imò & putas? Tam erras in titulo, quàm in iudicio. Non est bonum, quod non facit bonos. Opes si probos plures, quàm improbos fecerunt, probentur: ipsum vulgus quod vulgò probat diuitias, improbat diuites, quod pecuniam commendat, pecuniosos condemnat. Sæpissimè se diuites malos faciunt, cæteris mala.

III. Deus ex necessitate est bonus, imo ex natura Bonum, & in genere boni, summum, igitur quod fecit Deus non potest esse malum. Si sit igitur aliquod malum, hoc facit homo, quia sibi malus: est porrò sibi malus, dum bonis vtitur malè. Hoc enim dum agit, aliquid agit, quod honesto, quod

Digitized by Google

quod rectæ rationi, hoc est Deo repugnat; atque ita secum pugnat. Deus qui est Bonitas, & amat bonos, illis tamen parcissimè tribuit, illa quæ vulgo putantur bona; certè non aliam ob causam, nisi quod non sint bona. Tollit Deus illis bonis reuerentiam, dum illa communicat malis, quibus nulla debetur reuerentia: ut iam pudeat ea ambiuisse, quibus frui, est integrum etiam pessimis. Coge in vnum cœtum, omnes illos albæ gallinæ Filios, Saules, Nabuchodonosores, Antiochos, Herodes, inuenies eos circumfluxisse naturæ, & fortunæ bonis, & tamen non tantum fuisse malos, sed malorum pessimos. Quidnam Deus inimicis suis fauet, amicis nocet, dum hisce negat, quod illis donat? Non dat Deus nisi peruersis bona, quæ mentem peruertunt. Quales sunt congestæ opes, nam vt docet Poëta Martius.

Sæpe solent census, hominis peruertere sensus.

3. DIES MARTII.

Primum malum est, esse malum. *Chrysostom. sermon. 7. de Ieiun.*

I. HÆc tessera, te docet nulla posse tibi esse mala, si non sis ipse malus. Malum quid sit ut intelligas, in geminas classes necesse est diuidas: spectat ad naturam altera, altera ad mores. Naturæ malum est, quod integritati Naturæ, incolumitatique aduersatur. Sed illud iniustè dici malum, conuinco ex fine hominis. Certum id est, non ideo te esse in rerum natura, ut rerum sublunarium potiaris. Vnde rebus extra te positis carere, non est malum. Hominem te, non pecudem meminoris: ideoque sperne, ne tibi ipsi sis grauis, grauem corporis molem, quæ ad indigna abiicit mentem. Corpus est telluris inutile pondus, & portio tui humilior. Itaque potiêre tui parte ad cælum & cælestia, ad Deum & Diuina, vnde genus ipsa ducit, erigere. Animus tibi est non modo ab omni terrena labe secretus, atque adeo extra teli iactum, cum sit liber, & sui arbitrij, sed & Diuinæ sapientiæ spirans imago, ac Numinis beneficio, supra omnem naturam conditam euectus ad ipsius Dei Majestatem, ut illi admirabili amoris & intelligentiæ complexu æternum adstringaris. Ille tuus est finis; tuum istud est Bonum, summum, vltimum, ab omni parte infinitum. Quid proprie malū.

II. Illo tu non contentus, aliunde forsitan aliud adsciscès? Tibine illo fruenti defore quidpiam ad beatitudinem absolutam iudicas, quod audeas

Martius. deas sperare ab aliquo creato, hoc est exiguo, leui, incerto, momentaneo, abiecto, vmbratili, imaginario? Quod si negas, ut certè par est, atque tuum omne Bonum vnicus est, & solus Deus: Malum tibi profecto nullum esse debet, nisi quod Deo contrarium est. At neque opibus carere, neque gloria, neque viribus, neque voluptatibus, Deo contrarium est; in meam ergo sententiam concedas necesse est, fatearisque non esse reuera malum, quod Malum vulgo homines appellitant: aut certè desertâ tantâ tuâ dignitate, Deum neges vltimum tibi finem esse præstitutum. Itaque expunge è catalogo malorum, quæ vulgus infamauit nomine malorum. Inique mala pronuntiat, quæ malum non faciunt habentem, sed aliquando bonum, sæpe meliorem, non raro optimum. Quapropter paupertas, ignominia, morbi, & quæcunque aduersa, non aduersus te pugnant, nec te miserum faciunt, sed fuisse ostendunt; non te malum reddunt, sed fuisse produnt. Deus sæpissime in bonos quos amat, dispensat, qui delectu non errat, qui amare non desinit; non ergo mala credas, quæ optimus dat, aut bonis, aut ut faciat bonos.

III: Vel igitur nullum necesse est fatearis dari malum, nisi quod est oppositum summo Bono, hoc est fini tuo vltimo; aut necesse est alium tibi præstituas finem. Si enim est malum, illud quod iudicas, est oppositum alicui Bono, non huic tuo vltimo, vti fateris, cuipiam ergo alteri, quem tibi finem proposueris, & à quo tuis animi ægritudinibus, quamdiu vivis, lenimentum emendices, quod ab vltimo fine sperare non audeas, quia vel illi deesse, vel in alio esse cumulatius arbitreris. Atqui vel ipsa morte Sacramentum, nescio cui, dictum, obstinauit animo tueri C. Menius Augusti centurio. Cùm enim Antoniano bello improuisis hostium insidiis circumuentus, & ad Antonium Alexandriam productus, rogaretur, quidnam de eo statui deberet. Iugulari me, inquit, iube: quia nec salutis beneficio, nec mortis supplicio adduci possum, ut aut Cæsaris miles esse desinam, aut tuus esse incipiam. Et tu minimo periculo, vel dolore, vel molestiâ, Dei miles esse desines? incipies esse mundi? Non ergo hæc, quæ vanè putantur, mala abducant te à primo Bono. Nulla sunt bona, si malus es, nulla mala si bonus. Quid refert patiaris mala, quæ te bonum vel inueniunt, vel faciũt? Certè non bene se habet, qui se malum habet. Itaque illa crede mala, quæ habentes reddunt peiores, & in illis mutant bonos mores. Qualia sunt quæ largitur Venus, Bacchus, Plutus; si Poëtæ est fides;

Bacchus, & argentum, mutant mores sapientum.

Digitized by Google

4. DIES MARTII.

Non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est. Martius.
Senec. Epist. 10.

I. AD illa quæ peruersè ereduntur mala, sigillatim dilabor; & ab eo quod plerique, ut malorum primum fugiunt, à Paupertate inquam, exordior. Ut intelligas Paupertatem non debere censeri in classe malorum: quid sit esse pauperem, investigandum est. Hoc te docebit prælecta tessera. Cui accinit illud Epicteti, qui rogatus quis esset Dives, respondit: *Cui satis est quod habet.* Suffragatur huic Claudianus. *Semper inops quicunque cupit, quia multa petentibus, multa desunt*; Illumque nemo nescit pauperiorem, cui plura desunt. Cui vero plura desunt, quam cui numquã satis est? Aliud est egenum esse, aliud pauperem. Auarus ut circumfluat diuitiis, tamen egenus est; nihil habet, dum plus habet: perdit omnia, dum seruat. Nihil interest inter diuitias naufragas, & seruatas: perditum est quod inutile. Pauper nemo est, qui cum paupertate bene conuenit; & quia non cupit, non eget. Vnde pauper, hoc sensu, Deo est simillimus. Hinc & beatissimus. Deus nulla re ad vsum sui eget, cui simillimus erit, qui minimo indigeat. Paupertas non est mala. I. Ruff. Horat. l. 3. ode. 16.

II. Quapropter si cupis esse dives, quin & beatus? in promptu est modus, cupiditatem compesce, cupita contemne. Ut sis ditissimus, oportet vel habere omnia, vel contemnere omnia. Habere omnia, nulli est integrum, contemnere omnia, cuiuis est arbitrarium. Itaque nihil concupiscere, omnia contemnere, norma est obtinendæ non tantum opulentiæ, sed beatitatis. Nec enim beatus dici potest, cui bonum aliquod deest. Deest illi sanè, qui aliquid cupit. In te igitur istud euince, ut tuis contentus, nihil cupias, & cum Comico illo dicere possis. *Omnia habeo, neque quidquam habeo: nil cum est, nihil desit tamen.* Conuenit cum illo cuiusdam Ascetæ pronuntiato. *O quam multa habet, qui nihil habet?* Dives ergo est non qui multa habet; plura quippe sunt quæ non habet, nec qui omnia habet, is enim nullus est, sed qui nihil cupit: is denique dives est, quia quod vult, id omne habet. Nam profecto si pauper ille solus est, *qui sibi videtur pauper*, quia nimirum sibi deesse quidpiam dolet: ille reuera dives, qui sibi videtur dives, cum deesse nihil putet, & suis contentus, nihil cupiat. Terent. Eun. Gerardus Benedictinus. Senec. l. de mor.

Martius.

III. Illud igitur tibi sit persuasissimum, eum esse beatiorem, non qui plura habet, sed qui minùs cupit. Id in confesso est. Quid enim est Beatitudo? Summa inopia cupiditatum. Itaque ille ditissimus, & beatissimus est, qui desideret nihil; quem pauca satient. Cur sunt inuentæ opes? non ideo ut plura habeamus, sed ne quid deesset. Hoc si verum, & illud verissimum; mensura igitur opulentiæ est non plus habere, sed minus deesse. Quid porrò facit deesse, nisi cupiditas? Quid quod nemo pluribus egeat, quàm qui plurima possidet? Magna domus eget magnâ familiâ, magna familia eget pluribus habitatoribus: hic pluribus vtensilibus; illa pluribus custodibus: itaque cùm plura diues habeat, non tantum plura cupit, sed pluribus eget. Quapropter quisquis auget cupiditatem, auget & necessitatem. Vide quàm sint diuitiæ insufficientes, quibus nec communis necessitas sufficit. Si diuites nihil egerent, votis & desideriis egebunt. Nihil sufficeret illi, qui superflua, facit necessaria; cui natura non sufficit. Cupiditatem sequitur semper alia cupiditas; nunquam enim cupiendi est finis: cupiditates porrò sequuntur curæ, possessiones, discrimina; quo plura possidet, plus timet, quia plus periclitatur. Nec securus, nec tutus erit. Vbi tuta sunt omnia, non erit tutus votis suis, nec securus curis. O inuidendam auarorum beatitudinem! cessare, securos esse, cùm incipiunt esse beati; perdere tranquillitatem, cùm consequuntur felicitatem; licet totus in eius domum Pactolus exundet, nunquam se putabit abundare. Hinc rem acu tetegit Poëta, dum ita cecinit:

Non est in mundo dives, qui dicit, abundo.

5. DIES MARTII.

Si ad naturam vivas, numquam eris pauper, si ad opinionem, nunquam dives. *Seneca Epistol.* 16.

Natura paucis est contenta. *Epist.* 25.

I. SI causam huius tesseræ inquiris; apud illius auctorem reperies: quia *exiguum natura desiderat, opinio immensum.* Illud Naturæ lumine est propè omnibus notum, Naturam paucis esse contentam. Tergiuersaris credere? Audi eundem Senecam. *Panem, & aquam natura desiderat: nemo ad hoc pauper est.* Naturæ miratis scueritatem, & stomachatis? Accipe quæ sequuntur. *Idem ep.* 18. *Non enim horrenda res, aqua, & polenta, aut frustum hordeacei panis; sed*

Digitized by Google

sed voluptas est, ex his capere voluptatem. Natura in nos nec prodiga fuit, nec auara, nulli invidet, quod necesse est, nulli quod non est necesse, erogat. Non dentes homini falcatos dedit, ut apris, non vncinos, ut leonibus, vngues, non solidos, & missiles, ut equis, quibus calces funda sunt: non pellicea tela ut hystricibus, quibus arcus, & pharetra cutis sunt; non trusatiles domos ut testudinibus, non loricas cuticulares, ut testaceis, non muros spiculatos ut echinis, non denique amicit cetis, spinis, plumis, corticibus, crustis, testis, pilis: sed exermem, nudumque reliquit. Ab animo omnia protegunter. Prestat nudum, & solo animo dominum esse Naturæ, & Fortunæ. Martius.

II. Volvit Natura convincere, quàm minimè multis rebus opus sit ei, qui postulet convenienter ei vivere, hoc est qui facili, & parabili victu sit contentus: nam quæ vitæ vsus poscit, omninò sunt pauca, in promptu, ac nullo ferè sumptu, ac labore comparantur. Cui enim, si sedendi voluntas incedat, non sit paratus vel cespes, vel lapis, vel truncus vbi considat? Cui si somni necessitas adsit, non pateat vestita herbis, ac floribus humus, in quibus, tanquam in culcitra molliter cubet? Quis, si sitis vrgeat, liquores pellucidos amnium, ac fontium in conspectu non habeat ad quos sitim sedatum accedat? At contra, quæ luxuries invenit non semper sunt parata, tum sumptum, laborem, solicitudinemque desiderant. Sapienter Philosophus quidam, qui cum animi gratiâ mercatum obiret, vbi quàm plurima erant exposita pretiosa venalia. Quàm multis, inquit, rebus non egeo! Quid igitur invidemus illis, quibus multa sunt superflua, cùm illa potiùs habenti sint onera, quàm accipienti beneficia. Iniurius es in Naturam, si conqueraris illa tibi negata, quæ brutis pecudibus sunt indulta.

III. Quid annè maior fuisset Naturæ gratia, si hominem fabricasset protectum squamis, aut vestitum pilis, aut loricatum crustis, aut armatum spiculis, aut receptum hospitio, domestica sarcina, aut innato carcere; quàm nudum, inermem, depilem, ut omnia posset esse, & mutare tegumenta, & domicilia? Multi homines gauderent, ut gaudent modo nudi incedere, alij vestiti, alij armati, alij exermes, alij sine domo, alij intra latibula. Non omnibus omnia placent, nec eadem eidem omni tempore. Permolestum esset semper vestitum esse, semper armatum, semper manentem domi, aut onustum suâ casâ, vt testudines, & ostreæ. Arma, belli tempore conveniunt; possunt tunc arripi: Pelles, & vestitus in hyeme, possumus tunc protegi; nuditas quoque suo tempore, & quieti, & balneis placet: id homini arbitrarium. Domicilia contra cæli iniurias tuentur; possumus

Martius, tunc condi, Sæpè sub dio iuuat esse, & tunc cælo perfrui in terra licet. Cælum tunc videmus, & totos nos cælum videbit. Dedit omnia nobis Natura, cùm nihil dedit; omnium animalium dotes indulsit, cùm negavit, vestimenta Armeniorum murium, nuditatem ranarum, rusticitatem dorcadum. Suas vices reliquit Rationi, suum arbitrio ius, suam voluntati libertatem. Permisit Animo omnia, vt hic excolatur, & formetur. Ut igitur Natura, sic & tu paucis contentus esto, & assequeris illud Poëtæ

Qui non curaret, plus quàm Natura rogaret,
Hic locuples esset, quia res sibi nulla deesset.

6. DIES MARTII.

Quis est tam compositæ felicitatis, ut non aliqua ex parte cum statu sui qualitate rixetur? *Boetius lib. 2. p. 4.*

Fortuna non nocet. I. SI nolis cùm statu tuo rixari, cùm fortuna altercari, numquam, in quacunque fortunâ, sis alter: semper in dissimili fortunæ conditione, tui similis. Nunquam Fortuna tibi erit mala, si ipse non fueris malus. Hanc ergo, ne quidem nouercam admitte in classem malorum. Malum tibi creas, si ab illa pendeas. Memineris illius Laconis, qui ab alio quopiam, Lampem Æginetam cum audisset felicem prædicari, quod prædives esset multorum navigiorum possessione, acutè respondit; felicitatem de funibus pendentem non magni se facere. Suspensa semper erit tua felicitas, si pendeat à tenui filo Fortunæ. Tum demum vir eris, si animum tuũ nec prospera fortuna efferat, nec aduersa deiiciat: Si te existimes non infortunatum, etiam cùm abstulerit omnes tibi fortunas. Iniquè enim conquereris, cum scias datum mutuum; itaque ignorare non potes, repetendum esse cùm lubeat.

Plutarch. in Lacon.

II. Quid quæris extra te felicitatem? Quisque vehit secum expeditam felicitatis officinam, Deus, & homo solitarij satis sunt; quisque sufficit sibi; cuique inquam sufficit quod suum est. Vnum puto præ omnibus felicem, qui in se vno, & Deo ponit omnia. Philosophus ille Prienensis qui cùm ex incendio nihil secum tolleret, omnia secum portare iactabat; noverat rem portatu facilem esse felicitatem. Homo sibi cùm Deo sufficiẽs, non deficiet animo inter pericula terræ, inter minas cæli, inter furias Inferorum.

cockchafer (Melolontha vulgaris) is a well-known insect, which appears in the perfect state in May and June, and lives for about six weeks. The female lays her eggs in the ground, and the larvæ, which are white grubs with brown heads, live underground for three years, feeding on the roots of plants, and then change into pupæ, from which the perfect insects emerge. The cockchafer is a nocturnal insect, flying about in the evening, and is attracted by light. It is a great pest in gardens and orchards, as both the larvæ and the perfect insects feed on leaves, flowers, and fruit. The larvæ are especially destructive to young trees, and the perfect insects to the foliage. The cockchafer is also known as the May-bug, and in some districts as the dorbeetle. It is a member of the family Scarabæidæ, and is distinguished by its lamellate antennæ, which are clubbed at the end. The body is about an inch long, and is covered with a hard, shining, brown elytra. The head and thorax are black, and the abdomen is brown. The legs are strong, and the tarsi are armed with claws. The cockchafer is a common insect in Europe, and is found in many parts of Asia. It is not found in America, where it is replaced by other species of the genus Melolontha. The cockchafer is a useful insect in some respects, as it destroys many noxious insects in the larval state, but its depredations on crops and trees are so great that it is generally considered a pest. Various methods have been proposed for its destruction, such as collecting the perfect insects by shaking the trees, and digging up the larvæ; but these are laborious and only partially effective. The cockchafer is also known as the May-bug, and in some districts as the dorbeetle. It is a member of the family Scarabæidæ, and is distinguished by its lamellate antennæ, which are clubbed at the end. The body is about an inch long, and is covered with a hard, shining, brown elytra. The head and thorax are black, and the abdomen is brown. The legs are strong, and the tarsi are armed with claws. The cockchafer is a common insect in Europe, and is found in many parts of Asia. It is not found in America, where it is replaced by other species of the genus Melolontha. The cockchafer is a useful insect in some respects, as it destroys many noxious insects in the larval state, but its depredations on crops and trees are so great that it is generally considered a pest. Various methods have been proposed for its destruction, such as collecting the perfect insects by shaking the trees, and digging up the larvæ; but these are laborious and only partially effective.

7. DIES MARTII.

Martius. Si vis beatus esse, cogita hoc primum, contemnere, & contemni. *S. Martinus Episcop. Dumon. de Mont.*

Nec contemptus. I. HIc se, velut maleominatum monstrum, obiicit, quod omnes velut atrox malũ, & metuunt, & fugiunt, Contemptus; qui tantũ Naturæ adversatur, quantum honor lenocinatur. Huius desiderio, illius metu, quot, & quanti per omnes ætates, vbique gentium viri per flammas, per maria, per ferarum laniatus, per armatorum cuneos, per densam telorum grandinem, in mortem ipsam ruerunt? Sed quid de contemptu sentiendum inquiramus. Ab aliquo tu contemneris. Quæro ergo: merito, an immerito? si merito, vitio id factum est tuo, vt qui aliquid feceris, quod factum meretur contemni; vel certè vitio id fit Naturæ, quæ te reddit contemptibilem. Si tuum est vitium, perferendus est tibi ille contemptus, quia quod pateris, est ex merito; vt enim patereris, factum est tuo vitio: nec ille te lædit, qui te despicit, sed tu ipse qui aliquid commisisti dignum despicatu. Quid? an velles propter aliquod facinus probari, quod nemo nisi improbus approbet? Ne igitur metuas contemni, sed esse contemptibilem. Talis nemo, est nisi suâ culpâ.

II. Sed grave est, inquies, aliis esse ostentui, & despicatui citra culpam. Si mihi corpus imbecille, infacetus vultus, lippientes oculi, balbutiens lingua, si ingenium tenue, leve iudicium, hallucinans memoria: si illeberalis in me natura, vt Thersitem genuit: illud, vt est contra meum desiderium, ita est citra meum arbitrium. Sed vt hunc contemptum fortiter contemnas, hoc tibi velim esse persuasissimum: hoc contemptu non te impeti, sed ipsam deformitatem, vel defectum; Naturæ sit, vel fortunæ. Quomodo censebis te peti, quando, quod tuum non est, impetitur? Nec enim tuum est, quod non est in potestate tuâ. Nos magni nimium nos ipsos æstimamus, & cùm nullius simus pretij, pretio nostri nimis abripimur. Nemo nos tangat, vlcus est, quaquà tangimur. Et interim nos facimus ridiculos, dum facimus irridenda. Quisquis sui contemptus est contemptor, nihil ambitiosius expetit, quàm haberi ab omnibus caudex, stipes, fungus. Quidquid cachinnorum, ô dicaces sannones, inquiet, est, expromite, irridete, proterve

tervè mihi illudite, nullus mihi iucundior lusus: omnibus me ignominiis appetite, id vnum est quod peto, & expeto; graviora me iudice sum meritus; nihil facietis supra meritum meum. Plurimas commisi stultitias, cur iniquè feram, me stultum haberi? Isto vas dignum operculo. Martius.

III. Stabis in ipso apice Felicitatis, si possis hoc unum discere, Contemnere & Contemni. Nullus te erit beatior in mundo, si possis hæc quatuor à te impetrare, Spernere mundum; spernere nullum, spernere sese, spernere se sperni. Sed age, à te quæro, quis est qui te contemnit, sapiens an stultus, probus an improbus? Non est sapiens: nec enim quod bonum est, contemni potest nisi ignorantiâ, vel malevolentiâ. At in sapientem ignorantia, in probum nunquam cadit malevolentia. Superest igitur vt improbus sit, aut insipiens, à quo te contemni deploras. Quod mavis, elige. Improbus est? Non est quod ab illo timeas & convicianti dic cùm Diogene. Nec mihi credit quisquam te laudanti, nec tibi me vituperanti. Vna est laus, par commendatio, æstimari à probis, ab improbis vituperari. Quod si ab insipiente sperneneris, iam ipse te insipientem prodis, si te sperni credis. Noli illum dignari isto honore, vt sentias dignum patientiâ, quod ab indigno pateris. Quid à stulto expectandum, quàm stultè facta? fecit ergo quod suum est. Quid te miseriùs, si magnifacias te parvi fieri? Erisne ideo parvus, quia parvi fis? Tanto quis Deo est vilior, quanto sibi pretiosior; tanto autem pretiosior, quanto ipse sibi vilior. Vnus si te Deus contempserit, periisti funditùs: vnus hic si te laudaverit, beatus es, frendeat liceat, & flocci pendeat vniversum genus hominum. Tutissimum est nihil præ se contemnere, quasi qui nulli prosit ad usum: quia vt scitè Poëta:

Tam malè nil cusum, ac quod nullum profit ad vsum.

8. DIES MARTII.

Cui ita sufficit felicitas sua, ut etiam alium velit esse felicem? *Salvianus l. de gubern.*

I. INvidiam pati, non est malum pati; nec enim ideo es malus, quia alter tibi invidet bonum. Magna est tibi gloria, dignum esse alterius invidiâ. Nemo invidet misero, nisi fortè illi, cui minor est quàm invidentis Nec Invidia.

Martius. tis miseria. Hinc felix invidet feliciori, imò & felici: quia quibusdam ipsa felicitatis æqualitas, seges est invidiæ. Fertur igitur Invidia in alienum bonum, vt monet prædicta tessera. Eâ causâ Bion olim hominem invidiâ vulgò notum conspicatus, tristi ac dejecto vultu. Nescio, inquit, tibine quidpiam Mali, an quid Boni contigerit alicui alteri. Cùm igitur tibi senseris invideri, ne quærêre, ne te saucium inclamaveris: ex certa æmuli tui confessione, id tibi sit in confesso; Bono te aliquo præditum, te beatum esse. Contra si neminem tibi invidere compereris, dic quod Themistocles adhuc adolescens: *Præclari nihil dum feci, mihi quippe nondum invidetur.* Invidus illius bono contabescit quem se superiorem agnoscit, vel parem, vel à quo superari timet, vel æquari.

II. Deinde satiùs est esse invisum, quàm miserum, adeoque dignum potiùs invidiâ, quàm misericordiâ. Percurre animo omnes terras, evolue omnes omnium ætatum historias, vix invenies hominem naturæ, vel fortunæ dotibus insignem, ab hac peste immunem, ab hoc malo eximium. Non tamen tibi auctor fuero, vt declines invidiam, declinare Virtutem, Invidiæ materiam. Præstat enim esse cùm Invidiâ Achillem, quàm sine eâ Thersitem. Vix est homo qui possit evadere bina hæc mala, alterius videlicet Invidiam, & contemptum: Invidiam non evades nisi vel desidiâ, vel miseriâ: si sic evadas, iam evadis contemptibilis, quia contemptui est miseria, & ignavia. Eligendum potiùs per excellentem gloriam, efferre se super omnem invidiam. Sint potiùs qui te doleant bonum, quàm gaudeant malum. Nunquam bono quis invidet, sine suo malo.

III. Vbi compereris hominem tibi invidentem, est quod tibi gratuleris: alterius enim invidia, certa est boni alicuius in te confessio. Bono tuo, quo gloriaris, ille dolet, ideo dignus cui indoleas. In isto te fastigio colloca, vnde despicias aliorum in te invidiam; nunquam de gradu tuo moveberis, nec animo commoveberis. Non inficior, vbi cæperis præ aliis eminere, pericula vndique invidiæ tibi imminebunt, adeoque non eris extra telijactum, sed intra ictum; sed stupea erunt tela, nec plus te lædent quàm aranearum telæ. Senecæ cothurnus docet. *Ars prima regni est, posse te invidiam pati.* Quidni dixerim, Ars prima cæli est, posse te invidiam pati. Invideri non nemini potest, invidere nulli. Nihil interim iustiùs est Invidiâ, quæ ipsa suum auctorem excruciat, & perimit. Quid igitur miseriùs invido, quem non modo mala propria, sed bona etiam aliena cogunt miserum esse? Quid calamitosiùs, quàm puniri propter aliorum merita? Quid scelestiùs, quàm minùs dolere suis malis, quàm optare aliena? Quid iniustiùs quàm bonis propriis non gaudere, & alterius mala appetere? Quid

fune-

Digitized by Google

funestius quàm odisse omnes, se affligere? Quid perversius quã abominari meliores? Argutè dixit Enagoras. Alij suis calamitatibus dolẽt; invidi præter suamala, de alienis bonis tristantur. I nunc, & invide invidis, qui semper sunt multo miserabiliores quam illi, quibus invident. Vnde vt veritatis assertor, hoc modulatus est Poëta. Martius.

Invidus invidiâ comburitur intus, & extra.

9. DIES MARTII.

Malum est, malè vti bono. *Augustinus lib. de nat. Bon. cap.* 36.

I. QVæ vulgus vulgo collocat in malorum serie, non sunt nisi personata Mala, sunt vero germana Bona: sed nobis nocent vt mala, quia vtimur Bono non bene. Mala iudicantur quæ nobis sunt adversa: hæc tamen hominem non faciunt miserum, sed ostendunt. Deus qui non potest errare in rerum delectu, adversa immittit suis dilectis: quid ergo vocas mala, quæ dat optimus, aut bonis, aut vt faciat bonos? Inique creduntur mala, quæ Christi oraculo, sunt bonorum perennium bases, hoc est, Beatitudinis sedes: Christo alimentum fuerunt labores, vestitus paupertas, gloria humilitas, opprobria honor, delitiæ iniuriæ, gaudium mæror, solium patibulum. Hæc ergo quæ insipienter plebs insipiens autumat mala, sunt iam consecrata in Christi sacratissima, & Anima, & corpore, & sunt ad gradum quasi Divinitatis evecta; quid ergo dubitas, quin summam mereantur reverentiam? Est supremus gradus stultitiæ, iudicare, imò & genus blasphemiæ pronuntiare mala, quæ & ipse in se probavit, & nobis commendauit is qui est summum Bonum. Itaque paupertas, labor, humilitas, Tolerantia, Ignominia, spirant quid Divinum, quia attactu personæ Divinæ reddita sunt Divina. Nec adversitas.

II. Monumenta illustrium Heroum venerantur, etiam non illustres: Divorum colimus reliquias, etiam mali: Sanctorum veneramur imagines, etiam minimè sancti. Quid sunt, quæ tu collocas in censu malorum, paupertas, patientia, subiectio, nisi Christi Reliquiæ? Has tu Christiane vt sacra pignora non reiicias, sed admittas, non contemnas, sed honores. Si corporum colimus reliquias, cur animorum negligimus? si suspicimus vel ipsa instrumenta, quibus passi sunt Martyres sancti, cur illa despicimus

Digitized by Google

Martius. quæ consecravit Sanctus Sanctorum, propter quem passi sunt Sancti? Corporum reliquiæ, sunt ossa, & ossium cineres; animorum sunt virtutes, & virtutum exempla. Habemus non modo Corporis, sed quæ nobilior est, Animæ Christi reliquias, virtutes eius Heroicas: has æstimemus, & nobiscum circumferamus, ne circumferamur omni vento dextræ, & sinistræ Fortunæ. Hæ reliquiæ erunt cupiditatis nostræ amuleta, ægritudinum omnium panchrestum. Flectamus genu sanctissimis laboribus, prensemus, imò exosculemur manus Paupertatis, inclinemus verticem Humilitati, pectus nostrum consacremus Patientiæ. Si crucem adoramus, quod in ea Christus sit passus, cur ipsum non suspicimus pati, cur non suscipimus Patientiam?

III. Hic à te quæro: si Christus sub immani Crucis trabe fatiscens, ac montis Golgotæi iugum subiens, iamque in solum prolapsus, tibique in hoc cruento suo itinere obuius, supplicibus verbis eblandiretur, ut velles succolando vicarios præbere humeros, ac partem oneris subire, quid ageres? An non omni, quod fingi potest, dignum te iudicares supplicio, si hoc Christo negares sic supplicanti? An non te omnium censeres sceleratissimum, si Christus tantam pro te patiens lanienam, à te in re tam facili pateretur repulsam? Quod si ipse suis manibus, crucem tuis imponeret humeris, illámne oblatam respueres, impositam reiiceres? Nónne tuas & panderes manus, vt exciperes, & submitteres labia, vt osculareris, & inclinares humeros vt gestares Sacrosanctum illud lignum, tanquam laureatum quo triumphaturus sis currum? Imò vnicum tibi votum foret, non tantùm ferre Christi crucem, sed loco Christi mori in cruce. Desine optare tibi fieri, quod ipse potes facere. Illa quæ te premit Paupertas, quæ te opprimit Aduersitas; qui te pungit dolor, qui te angit mœror, qui te fatigat labor, crux est, cuius faber est Christus, fabri filius. Pronâ totius animi reuerentiâ, hæc quæ tu vane arbitraris mala, suscipe, nec tunc sit tristis anima tua, si patitur corpus tuum. Potiùs exulta ob beneficium, & inter tristia expecta auxilium, memor illius versus:

Auxilium Christi, venit ad nos tempore tristi.

Digitized by Google

10. DIES MARTII.

Genus quoddam sanitatis est, hominem interdum non esse sanum. *Salvianus epist.* 312. Martius.

I. VIx mente sanum dixerim, qui corporis sanitatem perdidisse, non reputet genus quoddam esse Divinæ Misericordiæ. A nobis, nostraque sententia est, morbos à Deo esse: igitur non potest non esse beneficium quod est à Domino benevolo, & benefico; quod omnis boni auctorem, habet. Est à cælesti Medico, qui medicum non minùs agit cùm sanat, quàm cùm tollit sanitatem. Quid meliùs debes, aut potes optare, quàm velle, & habere quod est meliùs? Hoc solùm est quod vult, & amat is, qui in se, & tibi est melior, Deus tuus, Deus est infinitè potens, infinitè sapiens, & infinitè bonus. Plus te diligit, quàm tu teipsum; plus desiderat bonum tuum: meliùs scit quomodo illud consequi possis: vires habet vt tollat omnes obices, & efficiat, quod ad id expediat. Quid igitur cogitas dum ob morbum tibi Divinitus immissum ploras? An Deus qui est sapientia, fallitur, & errat? An qui est Bonitas, affligit te voluntate non bonâ? An qui est Potentia, hic deficit nec potuit efficere, ut illam, quâ infestaris, ægritudinem declinares? Non morbus ille tibi euenit ex imbecillitate Dei, quasi non potuisset, aut malitia, quia noluisset, aut deceptione quasi nesciuisset, malum quod pateris propulsare: sed ex sapientia, Potentia, Bonitate summa. Cur tu reprobas, quod approbant, & in quo occupantur Attributa Divina? Nec morbi.

II. Rem pressiùs vrgeamus. Corporis ægritudo hoc boni affert etiam malis: homini hominem obiicit, & dum infirmatur, humanæ naturæ detegit infirmitatem, ex cuius cognitione nascitur germana fortitudo; vt iam sæpe maior se ipso incipiat esse, quo incipit hâc notitiâ esse minor. Sinit deinde Deus te dolorem sentire morbi, ut dolorem concipias peccati: & sic veniendo ad summum Medicum, discas detestari summum malum. Vnde vitia omnia, ne se prodant, sopit. Raro alterum ad singulare certamen provocabit Paralyticus: non oberrabit tesqua, & saltus, vt latrocinia committat, podagricus: cacostomachus non se onerabit crapulâ: nec periclitatur de ebrietate, qui vini nauseam patitur: nec in venerem feretur, quem corporis dolores non sinunt de voluptate cogitare. Itaque con-

Martius. tra dolores, morbi comites, excitandus, erigendus, & armandus est animus, contraque suos hostes in aciem educendus. Cogita igitur illud palmare argumentum. Dolor quem morbus infert, vel est remissus, vel est vastus: si remissus, facilem, si vastus, brevem requirit patientiam. Parce gemitibus, aut fugiet, aut fuget necesse est. Sic vtrimque libertas est in foribus.

III. Denique morbus cùm sit mortis prodomus, est instantis quoque æternitatis nuntius. Vnde mortalis statim se effert supra mortalia; & terræ incola, iam nunc fit animo cælicola: nam morbi malorum omnium finem, ac bonorum principium præsagiunt. Dic, age, si molestissimo diu clausus carcere, malè materiatum parietem rimas agere, minarique ruinam obseruares; an non gauderes fugæ, libertatique tuæ aditum aperiri? Annis sensim, malisque, ac denique morbis fatiscit corporis moles: gaude, brevi consequeris glorioſas corporis dotes: libertas animi proxima est: dum enim animam agis, carcer tuus rimas agit; mox animus è suis vinculis euolabit in Patriam. Aperitur tibi aditus, quo penetres cælorum adyta. Quid malè ob malam suspiras valetudinem? E morbo conualescere nil aliud est quàm reparatis ruinis firmiore claudi carcere, nouisque constringi compedibus. Est ab ipsa, quàm propè manu contingebas, metâ, reuocari ad carcerem. Est hostem duro conflictu prostratum surgere, reparatisque viribus certamen instaurare. Vnum interim te moneo, ante morbum de vita dispone, & vitanda propone. Nam vt plurimum infirmorum infirma sunt proposita. Suffragatur mihi Poëta.

Dæmon languebat, monachus tunc esse volebat
Ast vbi conualuit, mansit ut ante fuit.

II. DIES MARTII.

Nemo nisi suo vitio, miser est. *Seneca epist. 70.*

Nec vlla alia miseria. I. SVb titulo Miseriæ comprehenduntur mala omnia simul conglobata. Quapropter rationibus adferendis expungemus Miseriam simul, & semel ostendendo, nihil ex omnibus hactenus recensitis esse Malum. Quid impetis tuis querelis Miseriam, cùm nemo sit miser, nisi quia vult esse? Si enim nemo sit miser nisi suo vitio, nemo quoque est miser nisi suo arbitrio. Sed ne miserias, quæ te comprehendunt, vt miserias, hoc est,

vt

vt malum malè apprehendas, ad eum animum attollas, cuius vnius est miserias vel tollere, vel mittere. Illa quæ pateris mala is immisit qui solus est Bonus, Deus. Nunc scisciter: Deus illa tibi mala immisit, vel iratus, vel propitius: si propitius quid inique fers Deum tibi propitium? Cur refragaris Deo, tibi suffraganti? Cur & calculo tuo non approbas, quæ Deus tibi immittit vt te probet: quia facit, vt te vel reddat, vel conseruet probum? Si iratus, vt eum tibi facias propitium, debes illi cedere, & æquo animo ferre, quidquid tibi infert mali, ne alias fias malus. Homines irati, si quis resistat, magis irascuntur, si nemo contradicat, placantur. Sic Deus placabitur, & ipse illi placebis, si non modo accipias cùm silentio, sed cùm gaudio, non modo cùm patientiâ, sed cum gratiâ. Martius.

II. Vin certam inter omnia, quæ te vndique circumsepiunt, & involuunt mala, pacis, & quietis obtinendæ regulam? Non velis tuo arbitrio regi, tuo consilio duci. Ad altiora es conditus, quàm ad ea quo tua te ducit Voluntas. Nec enim procreatus es ad tuam gloriam, non ad tuam voluntatem, non ad tuam voluptatem, non ad tuam solum salutem, non ad tuam opulentiam; imò nec ad fruendum solum Deo in cælis. Ad miora te erige, excelsiora suspice: nobilius aliquod est tuus finis. In vtero matris conceptus, Dei manu procreatus, in mundo denique es natus; ad gloriam Dei, propter quàm Deus omnia & voluit, & fecit. O magnum finem cuius magnitudinis nullus est finis! Hunc potes consequi, dum Deus te finit mala perpeti. Non tuus es, sed Dei, non ergo quæras quæ tua sunt, sed quæ Dei. In altera vitâ id solum erit ignis expiatorij alimentum, quod in hac vita fuit propriæ voluntatis instrumentum.

III. Omnes huius vitæ miseriæ consistunt in voluntate, quia illa non est conformis Divinæ. Afliguntur homines, aut quia non habent, quod vellent habere, aut quia habent, quod non vellent. Hinc iam conuinco, qui non habet ex se velle, & nolle, in omni miseria carebit molestia, in omni bello fruetur pace, inter pericula erit securus, inter ærumnas felix. Cui vnum est cum Deo nolle, & velle, gaudebit semper, dolebit nunquam, quia semper habebit, quod vult habere. Semper enim quod Deus fieri cupit, aut fit. Quid est magis conforme rationi, an ut te submittas voluntati Divinæ, ei te conformando, an ut Deus conformet Voluntatem suam tuæ, ei seruiendo? Quid, an fortè præsumis de te, quod aut melioraquàm Deus cupias, aut salubriora scias? Reminiscere quoties etiam tibi noxia placuerunt tibi; quoties tibi arrisere tua damna, quoties sapuerunt ut pharmaca, quæ tamen erant toxica. Contra, quot Deus tibi exhibuit argumenta bonæ erga te voluntatis. An non bona fuit voluntas, quod propter

Martius: te factus sit homo? An non bona quod factus sit tibi sub speciebus panis in cibum: & moriens in lytrum? Eadem voluntas est quæ cupit hæc mala te pati, quæ cupijt pro te mori. Si bonum tibi fuit, ut vellet Deus ignominiam, dolores, iniurias pati, ne tu paterēris, necesse est credas, cum aliqua tibi mala immittit, & pati permittit, id tibi immodice ad salutem convenire, ea mala esse ad tuum bonum. Dum ergo pateris, ideo patere, quia Deus te vult pati, & quia meritus es pati. Ut igitur tibi consulas, consulo, ut Poëtæ & audias, & sequaris consilium:

Quàm pateris dignè pœnam, patiare benignè.

12. DIES MARTII.

Illis quibus est gravis timor mortis non est grave mori, sed grave est vivere sub metu mortis.

S. Ambrosius de bono mortis c. 8.

Nec Mors. I. CLaudat Malorum agmen, quæ, quia censetur terribilium omnium terribilissimum, timetur ut malorum pessimum. Mors Si mors foret malum, nulli non esset timendum, sed, ut docet tessera nostra, non est timenda, nisi illi, qui vivit sub metu mortis. Cui non est in voto potiri cælo, in eoque frui summo Bono? Quomodo mors est mala, sine qua non potes possidere summum, quod optas, bonum? Mors tibi erit in desiderio, si vita fuerit eximia à gravi flagitio. Illi soli timenda est mors, cui in vita fuit familiaris noxa mortalis. Quæ insania hæc? Illud metuis quod non potes fugere, nedum effugere, Mortem; & quod fugere potes, imo debes, non metuis, culpam mortalem. Mortem animæ, quo nihil potest esse peius, utpote summum malum, quia causa omnis mali, cùm possit vitari, homines non timent; mortem corporis, cùm non sit mala, nisi malo, & evitari non possit, & metuunt & evitare satagunt. Cur amamus vitam fugientem, & currentem, quæ fugit nos, & non amamus vitam permanentem, quæ expectat nos? Fatigamur, & laboramus pro vita præsenti, sive corporis, quæ non potest retineri, & quæ non est nisi unius momenti, & negligimus vitam futuram Animæ, quæ potest à nobis obtineri, & est vita æternitatis?

II. Quis si esuriens, foret in sterili ripa, ubi nulla foret spes mitigandæ famis, videns ultra fluvium onustas selectissimis fructibus arbores: si mensam

Digitized by Google

menſam ſpectaret inſtructam exquiſitiſſimis dapibus: ſi amicos audiret invitantes eum blandiſſimis verborum lenocinijs, ut ſe eorum iungeret Societati, famemque ac ſitim pelleret, doleret ſi audiret pontem eſſe, aut formidaret tranſitum, ſi lembus offerretur, quo tranſcendere poſſet, & fluvium traiicere, nec aquis ſe committere vellet, inani perſpicaciſſimi amnis timore, malletque perire increpedine, quàm periclitari in alveo? O nos inſigniſſimè fatuos! Pro auro quod latet in terræ viſceribus, quod abditur in ipſis Inferorum ſuburbijs, perfido credimus oceano, idque vadimonio gracilis ligni, aliquot aſſerum, & quidem inter tot vel pericula, vel metus periculi: & tamen tranſmigrare in Patriam, in regnum, cujus nullus eſt finis, nolumus. Quis poſt diuturnam ac permoleſtam peregrinationem, proximus jam patrio ſolo, & in illo paternis laribus, ubi parentes, affines, conſanguinei eum præſtolantur, cupidi frui ejus conſpectu, avidi ſtringi ejus complexu, tunc doleret, tunc vellet recedere, reverti ad exilium, redire ad deſertum, priuſquam aliquem vidiſſet? Deus te expectat Pater, Ieſus Frater, Maria Mater, Sancti cognati, Angeli amici: morte ad illos itur; quid doles dum tibi eſt moriendum? Martius.

III. Mors ſi velis, malorum omnium tibi erit finis, miſeriarum terminus. Quantum igitur eſt bonum, quod neceſſarium eſt ut non ſimus miſeri: quæ ſine pretio captivos liberat, quæ ſine favore Prætoris, vinctos çmittit: quæ ſine poſtliminio exules in Patriam reducit: quæ ſine conſenſu Domini, ſervos manumittit. Quis ſi ſapiat, animam iam agens, ſi denuo offerretur vita, acceptaret ſecundo matricis ergaſtulũ ſubire, ſordibus nutriri, aſpectu cęli per tot mẽſes, ac ſenſu tot annos privari, redire per tot ludibria Naturæ, per tot infortunia Fortunæ, reſumere amentiam Infantiæ, metus Pueritiæ, ludos inſolentes Adoleſcentiæ, pericula iuventutis, curas virilis ætatis, moleſtias ſenectutis? Nullum credo tam feliciter vixiſſe, cui placeret repetita tota vita. In hæc, quæ ſuffragio non repeteremus, ſine ſuffragio immiſſi ſumus. Mortem ergo ut ingens bonum, lætus expectes, non triſtis formides. Hoc ipſum monet Poëta:

Mortis mitte metus, cupias ſi vivere lætus.

13. DIES MARTII.

Martius. Malum, est aversio ab incommutabili Bono. *August. l. de liber. arb. 2. cap. 14.*

Solum peccatum est malum.

I. TAndem post diuturnam,& studiosam Mali investigationem, illud velut serpentem in latibulo comprehendimus. Illud demum per excellentiam est malum, quo avertimur ab incommutabili Bono. Hoc malum, est peccatum, malum solum, & malum summum, ex quo reliqua omnia quæ vane putantur, protruduntur mala; ideoque malorum omnium est compendium. Sed non est facile de hoc compendio facere compendium. Ne tamen de tanto malo nihil dicam, quam non sit peccatum nihili faciendum attende, & expende. Illud est irrefragibile totius Christianæ Philosophiæ pronuntiatum: hominem cuius animns contaminatus est minimâ noxæ lethalis labe, longe esse miseriorē, quàm si omnes qui in orco stabulantur cacodæmones corpore conclusos haberet; eorumque singuli illum omnibus omnium damnatorum cruciatibus torquerent. Sed age, ausisnè tantam de te sive patientiam promittere, sive constantiam, qua posses ignem tartari, vel horulâ unâ sufferre? Satis scio non ausis. Quæ ergo illa tua stultitia est, pertculo temetipsum exponere, ne ad horrendos illos Inferorum ignes, non ad horam, vel diem, sed pro totâ, quanta, quanta est, nunquam finiendâ æternitate damneris?

II. Vel dolori dentium, aut calculo, ne uno quidem die ferendo es, & mala incomparabiliter graviora, quæ durabunt quàm diu Deus erit Deus, id est æternum, non exhorrescis? An nescis plerosque damnatos nihil minus cogitasse, quàm fore ut ipsi ad inferos condemnarentur; quodque falsâ ipsi spe, sive opinione Deum offenderint? Hâc ipsâ qua hæc legis horâ, illi stultam, falsamque fuisse infelicem hanc tuam opinionem agnoscunt. Sed heu! ut olim in re etsi tristi, leviore tamen Phryges; ita hi in re omnium tristissima, atque gravissima sibi quidem sero nimis sapiunt, & veritatem agnoscunt, postquam illis remedij spes omnis erepta est. Sed quæ illis sera nimis est resipiscentia, tibi adhuc opportuna est, atque ultimo servire potest exemplo, si eo de peccatis tuis, dum adhuc vivis, doleas, caveasque ea deinceps admittere. Non est profecto res levis, aut ludus puerorum, negotium tristissimæ, aut beatissimæ æternitatis.

III. O

Digitized by Google

III. O miserum & millies, millieſque miſerrimum, qui nunquam nunquam finem, cui à Deo conditus eſt, aſſequetur! Vel os loco tantillum emotum quanto, quamque acerbo dolore nos torquet? Quem ergo illum animæ dolorem fore putabimus, cùm à fine ſuo ultimo, illa bonorum omnium poſſeſſione, æternum excludetur, & ſeparabitur? Etſi nullum in peccato, ipſoque tartaro aliud malum reperiretur; eſſet hoc tamen vel maxime formidandum, atque timendum. Multum etiam iuverit expendere, quanta ſit ea gloria quæ per peccatum amittitur. Finge omne aurum, omnes gemmas, monilia omnia, omnes totius orbis opes in unum cumulum eſſe congeſta, & unum aliquem iure dominij, ac proprietatis ea omnia poſſidere. Quid ſi deinde vaſtiſſima aliqua terræ motu, ac concuſſione orta vorago, immenſum illum, quem diximus theſaurum omnium opum, totum ſimul deglutiret, atque abſorberet, quàm gravis, atque acerba avaro maximè, cupidoque Domino iactura iſthæc accideret? Sed quantula illa eſſet iactura ſi cùm omnibus cæli divitijs, illâ pleniſſimâ, atque perfectiſſimâ bonorum omnium poſſeſſione conferatur: quorum peccator uno temporis punctulo, ſola ſua voluntate, petulantique libidine, iacturam triſtiſſimam facit, atque miſerrimam. Intelliget miſer in orco quid amiſerit, dum cognoſcet quid habere potuerit; hic enim ſenſus eſt Poëtę. Martij.

Neſcit homo vere, quod habet, niſi ceſſet habere.

14. DIES MARTII.

Temporalibus bonis non fiunt homines boni. *S. Auguſt. Epiſt.* 121.

I. NOn minori damno, & periculo hallucinantur homines, in æſtimandis bonis, quàm malis. Boni nomen apud vulgus uſurparunt illa, quæ nihil boni, nec continent, nec conferunt, præter nomen. Divitiæ, gloria, honor, dignitas, fama, & id genus alia quæ fugiunt inſtar umbræ, evaneſcunt inſtar fumi, & pereunt cum fugaciſſimo tempore, gaudent, & gloriantur Boni nomine. Quomodo illa erunt bona, cùm poſſidentes non faciant bonos? Bonum eſt quod prodeſt. Anne proſunt bona temporalia, quæ nec faciunt te bonum, nec auferunt mala? Dolorem capitis, corona fulvo metallo conſpicua, non minuet, potius augebit, quia gravat: molles, & peregrinis odoribus perfuſæ chirothecæ, non tollent Errat homo in æſtimandis bonis.

Martius. chiragram, nec heroici cothurni podagram: nec saliares dapes, aut Sybariticæ deliciæ cholicam nec gemmis rigida vestis, calculum. Non sunt convenientia his finibus media. Non magis conferent ut sis bonus, temporalia bona. Imo si recte iudicas, supervacua illa, atque adeo ut nihil esse dices, & duces. Quod quæso discrimen est inter supervacua, & nulla? Quænam eliges? Esurienti, ad remedium famis perinde est si nihil offeras, ac lapidem: ita, quæ remedium malitiæ tuæ non præstant, quæ ad virtutem non ducunt, quæ ad Deum non adducunt, sunt tibi supervacua; si supervacua, non plus quàm nulla, si nulla iam non bona.

II. Deinde, Bonum est sine defectu. Quomodo erunt sine defectu bona temporalia, cùm deficiant cùm tempore? Vix accipimus, mox amittimus: vix possidemus, statim caremus: vix incipiunt, illico deficiunt. Itaque cùm hisce bonis necessario subsequetur tibi calamitas. Velis, nolis necesse est alterutrum eligas, vel bona temporalia iudices mala, vel te miserum. Imo plus audeo dicere. Necessario tu miser eris, sive mala sive bona: si mala, iam inter mala non eris beatus, cùm Beatitudo sit bonorum omniũ complexio; si bona, iam si his bonis careas, eris infelix: si infelix iã hoc ipso non erunt bona, quia inferunt mala, auferunt enim felicitatẽ, & aperiunt aditum miseriæ: duplici autem viá sternitur via ad hanc miseriam, aut cùm illa te relinquant, aut cùm tu illa: alterutrum necessarium est. Quàm porro sint hæc bona deficientia docebit te Augustinus. *Temporalia bona antequam sint non sunt, & cùm sunt, fugiunt, & cùm fugerint non erunt. Itaque cùm futura sunt, nondum sunt, cùm autem præterita sunt, iam non sunt. Quomodo igitur tenebuntur ut maneant, quibus hoc est incipere, ut sint, quod est pergere, ut non sint?*

l. 3. de lib. arb. cap. 7.

III. Te cupio, & tuam ipsam conscientiam in hac causa & huius causæ controversia iudicem. Amabo te, nonnè hæc ipsa bona condemnas, quæ commendas, fateriſque multis scatere, quæ debent emendari, mendis? Commendas dum optas tibi, condemnas dum solum tibi. Hæc mala ut viderentur esse bona, emendicarunt patrocinium Unitatis. Quid ita? Quia summi Boni est esse unum. Cum igitur illa temporalia bona nihil in se habeant boni, illud affectarunt, quod est proprium summo Bono, unum esse. Si omnia, quæ tibi voves, habeas, non acquiesces, licet omnia possideas nisi inter omnes solus, & unus omnia. Fateor summi Boni est esse unum, sed non unius: non est bonum singulare, sic tamen ut sit singulorum: est bonum unum, sed omnium. Quid maius bonum est Deo? At Deus omnium est, & sic omnium, ut sit omnia omnibus. Ista quæ tu censes bona, cùm unius duntaxat sint, non sunt bona. Quare? Quia quæ unius sunt,

nulli

nulli prosunt. In primis alijs non prosunt, dum tua sunt. Debent desinere esse tua, ut incipiant prodesse alijs: nummus, nisi alienes alteri non proficiet: quid dico? imo nec tibi. Quid non proficere dico? nocent dum tua sunt, quia unius: & ne alia damna, curas, pericula memorem, invidiam interpono. Satis magnum malum est, cui magnum malum appendix est. Ob tot nævos, & defectus contra omne ius, occupant bona temporalia nomen Boni: quia possidentem reddunt, dum illos deserunt miserum, dum perniciter fugiunt inter læta omnia tristem: ita mihi suffragante Poëta: Martius.

Hoc est consuetum, comitantur tristia lætum.

15. DIES MARTII.

Quæ est ista insania, acquirere aurum & perdere cælum? S. *Augusti. Serm.* 25. *de verb.* Dom.

I. VT declines à maximâ quàm maximè times insaniâ, monet te hodiernę Diei tessera. Dilabor nunc à thesi ad hypothesin. Non tantum bona temporalia non faciunt hominem bonum, sed faciunt sæpè malum. Ac imprimis divitiæ quæ sunt alimenta vitiorum, peccandi instrumenta vitiosis. *Quadam Societas pænè etiam nominis, duabus his rebus, vitijs, & divitijs.* Vita nostra est quidam ad cælum ascensus: nemo in altum ascensurus supervacuis se ponderibus onerat. Nihil auro gravius: vix illud possides, & mox tecum quereris. *Factus sum mihismetipsi gravis.* Inde gravis labor, gravis timor, gravis dolor, labor, ut acquiras; timor ne amittas; dolor ubi amiseris. Quid gravatè fers te tot gravibus malis eximi? Divitiæ non tantum gravant, sed ligant. Opes enim sunt compedes: & quæ putas ornamenta corporis, impedimenta sunt animi. Plus enim tu illis servis, quàm illæ tibi. Pluresque est reperire viros divitiarum, quàm divitias virorum. Divitiæ non sunt Bonum. *Eucher. de contemp. mundi.* *Iob.* 7.20.

II. Causam scrutare cur inventæ sint divitiæ, & intelliges ærumnas divitum. Non sunt inventæ divitiæ, ut plura habeamus, sed ne quid deesset. Ideo mensura opulentiæ erit, non multa habere, sed nihil deesse. Deesse autem, cupiditas facit. Cupis in cella penuaria multa cibaria in arca Attalicas vestes, in pyxide gemmas, in capite diadema, in humeris ostrũ, in stabulis armenta; hæc tibi desunt: quid aliud est tantorum defectus, nisi egestas? incipis egere, dum incipis cupere. Quis enim pauperior illo

Martius, cui multa desunt; iam desunt, dum cupis adesse. Itaque ille ditissimus est qui desiderat nihil; quem pauca satient. Imo idem, & beatissimus est. Quid est Beatitudo? summa inopia cupiditatum. Hæc Beatitudo in tua est voluntate. Si quidem omnia nolle, in tua voluntate est. Ubicunque dixeris, Sufficit, universa habes. Nunquam summa fuit paupertas, nisi ubi summa fuit abundantia. Unde conficitur, Principibus & Dynastis, qui multum habent, multum deesse. Nam qui parum semper habuerunt, ijs non potest nisi parum deesse.

III. Quapropter, quidquid est ultra usum, non habet possessionis fructum, sed custodiæ periculum. Hinc Avaritia latentium indagatrix lucrorum, manifestæ prædæ avidissima vorago, neque habendi fructu est felix, & cupiditate quærendi miserrima. Has enim habet sibi indivulsas comites, vigilias, & animi labores. Socrates ille Philosophorum antiquissimus, non præcepto, sed exemplo nos docuit, quam sit nihili æstimandum quod passim creditur bonum inæstimabile, Aurum. Illud enim non exigui ponderis, sed magni; non alienum, sed suum; non coactus, sed sponte; non per tempestatem, sed per prudentiam proiecit in mare, dicens: Abite in profundum malæ cupiditates: ego vos mergam, ne mergar à vobis. Hoc memorabili facinore animum prodidit tam excelsum, ut nullus avarus tantopere lætatus fuisset, auro in terra reperto; quantopere exultaverit Philosophus illo in mare demerso. Si nolis Fortuna tibi illudat, lude cùm illa, & strenuè reijce quidquid volatile, etiam aurum grave iecerit. Frivola hæc bona frivole amanda sunt: infirma infirmiter; ad nutum Dominæ reddenda ante exactionem. Non exspectes fortunam ut eripiat. Tu esto tibi Fortuna: occupa ejus vices: tu tibi ipse aufer, quod sublatura est: abijce omnia felici infortunio per manum tuam. Redimes fortasse te, iactura tuarum rerum. Relinque ergo brevi relinquenda. Tu ex necessitate brevi divitias, & illæ te deserent. Ne horum sis immemor, binas tibi aures binis vellicat metris Poëta:

O dives, dives non omni tempore vives!
Fac bene dum vivis, post mortem vivere si vis.

Digitized by Google

16. DIES MARTII.

Omnis voluptas quæ nec ex Deo, nec in Deo suscipitur, voluptatis excrementum est. *Nicetas in Orat.* 106. Martius.

I. NEmo ambit divitias, nisi ut acquirat delitias. Hic mentis amentis est error. Quid enim sunt voluptates, nisi dolorum, aut damnorum appendices? Aduehunt enim secum agmen malorum: iam gravedinem capitis; iam dolorem stomachi: iam morbum prolixum, iam pericula, iam timorem, iam ipsam mortem. Ex voluptate, velut ex equo Troiano, effunditur acies malorum quæ partim corpus, partim animum infestant. Quid in voluptate occurrat, nisi expectatio anxia, vsus infamis, extrema feralia, tragica omnia. Nemo quippe potest vti voluptate corporis, sine læsa conscientia, sine læso Numine, sine salutis suæ periculo, sine Gratiæ dispendio: voluptas enim quàm percipis, vel est remissa, vel intensa: si remissa, estnè pretium operæ, pretio tanto emere voluptatem tantillam? si sit intensa, quo hæc est intensior, eo culpa est gravior, quo hæc gravior, eo & conscientia est inquietior, quo vero plus crescit conscientiæ perturbatio, eo minor est ex voluptate delectatio. Vnde tandem quid sequitur, nisi aut nullam esse conscientiam, nullam Religionem, nullum Dei metum, nullam salutis curam, nullam æternorum fidem, nullam spem futurorum: aut certè præanimi voluptate, nullam esse voluptatem corporis, quæ sentiri non potest cùm religione conscientiæ, cum Dei metu, cum salutis cura, cum spe, ac fide æternorum. Vtrum mavis fateri? Nec voluptas.

II. An non ergo mala voluptas, quæ est matrix malorum pessima? Deinde, volatica est omnis voluptas: vix incipit mox desinit: ferè simul est in ortu & occasu: non est diuturna, sed momentanea. Metiamur delitias cum ipsarum pœnitudine: illæ in transitu sunt, hæc adhæret. Illæ in puncto temporis faceſſunt; hæc per annos laceſſit. Si diu sunt, pereunt; si diu non sunt, non delectant. Pœnitentia longæua est, & quo diuturnior, eo & robustior. Infamat ergo voluptatem, quæ illam non tantum sequitur, sed comitatur pœnitentia. Sic semper voluptatem punit, aut præcox pudor, aut serus dolor. Deinde, considera quanti constet illa,

Martius. quam expetis voluptas? sæpè maximo pretio emitur, quod nullius est pretij. Profecto, vanitas vanitatum est, pro vanitate voluptatis maximum animæ pretium, & sanguinis Christi pretium dare. Hæc non modo vanitas vanitatum est, sed peruersitas peruersitatum. Quid moror? Vna quæque voluptas sibi repugnat, impatiens sui: dum crescit, se destruit. Quod damnum inuenies cuius rea voluptas non sit? Ipsa sapientissimos dementauit. Vide Salomonem: ipsa peruertit iustos, vide Davidem: ipsos fortissimos enervauit; vide Samsonem.

III. Censeas te in sublimiori classe, quam sint equi, & muli, aliæque brutæ pecudes: sic non te abiicies ad earum voluptates. An indignaris, quia ut porcus non grunnis, ut lupus non vlulas, an quia ut vultures cadaveribus non pasceris? Neutiquam: quia illæ voluptates, quam sunt illis propriæ, tam tibi sunt alienigenæ. Ita si te, ut es, hominem consideres, brutas voluptates, non modo extra te, sed intra te positas despicies. Totâ beatus eris æternitate, sine vllis, quas iam expetis voluptatibus: poteris igitur & nunc eas non cupere, vel carere cupitis, & non esse miser. Fastidires voluptates infirmus, cur non bene sanus? Quid difficilè iudicas virtuti, renuntiare voluptatibus, quod necessarium facit infirmitas corporis? Quod potuit vitium Naturæ, non poterit robur Gratiæ, ut fastidias voluptates humiles, & abiectas? Quot hominum sunt myriades, qui viuunt sine voluptate, imò labore, ne dicam dolore, & tamen viuunt, tunè solus morituru quia sine voluptate? Non graue putes abstinere omnibus voluptatibus: ut potuisti maioribus carere, poteris minoribus: ut potuisti multis, poteris aliis: ut potuisti pluribus, poteris reliquis. Denique, si spretâ corporis asperitate, hic cupita fruaris voluptate, teque totum immergas cæno, certo proscriberis cælo. Quod ne fiat, ut tibi consulas, sequere Poëtæ consilium.

Asper erit victus, labor asper, & asper amictus
Aspera cuncta tibi, si vis super æthera scribi.

17. DIES MARTII.

Quanto plus honoramur tanto plus periclitamur. *Augustinus in psalmo* 10. Martius.

I. IN nullum opus futilius impenditur nostra opera, quam ut nanciscamur honorem: vtpote cum sit periculosæ plenum opus aleæ, nunquam acquisiris est pretium operæ. Nemo altius cadit, quàm qui altius ascendit. Quidquid ex terris est sublime, obnoxium est ruinæ. Vbicumque est fastigium, illic finitimum est præcipitium. Quanto igitur est excelsior gradus, tanto est profunditor casus. Primùm quod feriunt fulmina, ut plurimum sunt culmina. Sic & fortuna illos primum deiicit, quos ut primos extulit. Quot è salutis suggestu excidissent, si ad honorem fuissent euecti? Etenim cœli via penè est invia illis qui honorum premunt semitas. Hinc affinia sunt nomine dominatio & damnatio: qui, vigitur metuat damnari, qui expetit dominari. Inhonorus est omnis honor, nisi eo intendamus, & viribus contendamus augere honorem Dei. Imò si affectes honorem, hoc ipso sis indignus honore. Nemo honorabilior eo qui non tantum sua sed etiam se despexit, non honorem modo sed honorandum. O quàm magnus animus qui ipsam animam contemnit qui se rerum Dominum. Quo honorem minùs æstimamus pluris æstimamur. Inæstimabilis erit, qui ipsam sui æstimationem non æstimat. Nec honor.

II. Deinde quid quereris tibi honorem, vel non deferri, vel auferri, qui quocumque te aspicias, te honore indignum cognosces? Nihil es nisi peccatum, & mendacium. Quis honoret nihil? tam dignus es quem omnes faciant nihili, quam ipsum nihil: si fis, imò cum sis peccator, cogeris, si nolis mentiri, dicere cum Iob. *Redactus sum in nihilum.* Itaque ad nihil iam vales vltra nisi ut conculceris ab hominibus. Quæ igitur insanior insania, quam velle eorum laudibus honorari, quorum pedibus dignus es calcari? Quàm ridiculus esset opilio qui stomacharetur se non esse electum in Imperatorem? Quam stolidus latro, qui dignus vel puniri gladio, vel suspendi laqueo postularet donari corona aut sceptro? Quid isti merentur qui rudes, tardi, stolidi, & stolones vix digni sunt qui sint lictores, ambiunt tamen esse Senatores: non merentur esse carnifices, affectant esse consules. Par tua est insania. Quantus quantus es, non es nisi vanitas, imò Iob. 30. 15.

ipsa

Martius. ipsa vilitas, ne dicam peruersitas, & putas te omni honore dignum ac si esses ipsa dignitas. Pavo sit licet totus formosus ob oculatam floridæ caudæ pompam, ob vnicum tamen pedum defectum, totus confunditur, & versicolor illa cauda præ pudore contrahitur.

III. Denique quanta est tua vilitas, tam quoque est honor vilis. Ut honoreris non pendet à te, nec à tua industria, sed ab aliis, & aliorum libidine. Quàm igitur arduum est illud velle consequi, quod tibi numquam potes dare, quod nunquam occurret, quod necesse est ut dent alij, ut dent multi. Quid æstimas bonum quod negare malus valet, inuidus volet? Quid censes bonum quod pendet sæpè à malis? & bonum tuum quod pendet ab arbitrio alieno. Si omnibus esset integrum impunè tibi tuas tollere fortunas, quis te foret infortunatior? Ista licentia in honore est: cui vis arbitrarium, illum vel tollere vel multum imminuere. Quæ maior miseria, quàm precaria felicitas quæ in omnium sit manu, præterquam in tua? Erit secura tua securitas, quæ pendet etiam ab hoste? Quæ tot habet pericula quot fieri possunt iudicia? Ista conditio nostra est dum ambimus honores. Aucupamur insensati, vulgi sensum, non quovis die sed hora. Probari volumus ab his quos improbamus. Itaque si sapis noli honorem mutuari à mutabili honore ne & tu fias varius & mutabilis. certum est enim illud proverbium:

Immutant homines mores, cum dantur honores.

18. DIES MARTII.

Gloria, sæva est bellua, horrendus dæmon, pestis orbis terræ. *Chrysostimus. Hom. 12. ad Cor. 2.*

Nec gloria. I. QVis non potius horreat, quam expetat gloriam, si eam sibi apprehendat ut emissam è cavea indomitam belluam? Quid si pestem, quid si dæmonem? Sed aliud est quod conditionem Gloriæ reddit ingloriam, miserrima quam seruit seruitus. Infeliciter est felix qui felicitatem mendicat & quàm sibi dare potest, ab aliis dari postulat: & quod infelicius, ab omnibus. Illi qui in Olympicis certaminibus gloriam certando extorquebant, pertinaci patientia frondem viridem emebant, cum sibi sine labore, & questu sexcentas frondes, possent succidere, & contexere coronas. Gratis à se habere poterant, quod ab aliis post herculeos labores,

vix

Digitized by Google

vix capiebant. Humillima est gloriæ conditio, suspensam ab aliis esse, aliena fide se æstimare, talem se arbitrari, qualem quisque iudicauerit nec aliter se felicem credere nisi quia alius dicit & laudat. Quæ fingi gravior potest seruitus quam omnes habere Dominos: Gloriæ cupidus tot Dominos habet, quot timet displicere, scilicet omnes: ad omnes respicit, cuiusque obseruat vultum, non aliter quam mancipia Dominum. Quæ ergo sors abiectior, quam eorum qui gloriolæ pennis inuecti, inhiant laudibus, & glorioſi nominis celebritatem aucupantur? Martius.

II. Si quis bene ab opibus instructus, in ea degeret ciuitate vbi fas est omnibus, & ius singulis, illum fortunis exuere, & pecunias tollere, nullâ id lege prohibente; nónne licet facultatibus esset Crœsus, fieret mox alter Codrus? hoc gloriæ aucupibus contingit. Cuilibet & Ciui, & hospiti, & inquilino fas est illius gloriæ aliquid detrahere, vel penitus eripere. In hoc, par est miseria honoris & gloriæ, si quis incantationes huiusmodi nosset aut acceptas à Medæa, aut Thessalis, ut vocula vna à se emissa, cuius lachrymas ex geminis eliceret oculis, & è pectore altos extorqueret gemitus, ex ore questus, nullo quod eum infestaret malo præsente, nónne illius potentia esset tyrannis, adeoque singulis formidanda? In homines ventosissima gloria inflatos nemo non hoc potest. Vox vnius raucæ mulierculæ, paucula verba vnius agricolæ, illius gloriæ splendorem dum obfuscant, animum gloriantis immodico mærore infestant. Hinc necesse est eum qui toto ambitu, & conatu gloriam prehensant, sententiis omnium obnoxium circumire, & attendere vnicuique, ac metuere ne quem nolens, aut volens offendat obseruare, cuiuscumque ordinis sexus, fortunæ homines, senes, adolescentes, fœminas, viros, nobiles plebeios, lasciuos, auaros, eorum gestus, & nutus vt oracula captare. O timidam felicitatem è lingua inuidi pendulam! si eâ naturæ compositus fuisses infelicitate, vt ad singula verba, febri corripereris, nónne miserrimis te miseriorem crederes? annè beatiorem te præsumes cum ad singula verba, excandescas, stomacheris, frendeas?

III. Quid quod perniciſſima sit gloriæ fugacitas: vix aduolat, mox euolat: penè simul incipit, & desinit. Vnde eius vsura est volatica, & mobilibus auris simillima. Hinc à Gregorio vocatur *Diaria*, quæ oriente die nascitur, occidente moritur, à Plauto *solstitialis herba* repente exoritur, & repente extinguitur: à Luciano *Ampulla inaurata*, plena inanitate, quæ suopte ingenio crepet, & euanescat: à Clemente Alexandrino *pictum somnium*. Quis igitur tam levis sit mentis, ut ludibria illa plebis, popularem iactationem, pompam, celebritatem, & pictæ tentoria linguæ, sitienter appetat? *Nyſſe. Orat. 5. de Orat. De Mersed. cond. In Protrep.*

Martius. Quis plausus theatrales,& popysmata illa, ac lenocinantia auribus verba, non horreat vt verbera: cum illa affectare nihil sit aliud quam vt loquitur
Epist.56. B.Augustin. *linguis humanis ruinosa gaudia construere?* Turpiter igitur hallucinantur qui quærunt gloriam quam nemo veram inuenit, qui quæsiuit, dum hoc ipso quod quæsita sit amittatur. Ille solum glorioſus, qui contempsit se,& gloriam. Tanta illa gloriæ numina,quæ tota stupet antiquitas,stupebit posteritas,quid aliud quam nomina,velut ossa gloriæ reliquerunt? solum est eorum, fuisse, solum noscimus transiisse. Hæc igitur in mentis curia, sit tibi inter omnes curas prima, imò sola nihil minus curare,quam quæ vt minimi est facienda,ita & minime curanda, non curare gloriam:alias vatem experieris fuisse qui illud cecinit:

Curis plenus eris,si vis vt glorificeris.

19. DIES MARTII.

Breuis vita est,& laudantis,& eius qui laudatur.

Antoninus l.7.n.5.

Nec laus. I. SVfficit ut vili pendatur laus,sola eius brevitas, quid si accedat eiusdem vilitas?patebit eius vilitas,si quam sint viles illi,à quibus laudari cupimus,expendamus. Quam est contemptibile theatrum! vulgus,quod ex furibus,latronibus, prædonibus, scortatoribus,adulteris, & huiusmodi fœcibus conflatur. Tales enim sunt ut plurimum qui turbam faciunt. Itaque quos seorsim iure despiceres, & indignos iudicares quorum iudiciis te,& tua committeres, & sententiis submitteres, eos adunatos tanti facis ut tuæ etiam saluti anteponas,quasi tibi ipsi non sufficeres. Quod si ad illud quod supra te eminet Cœlituum , & Angelorum theatrum oculos conuertas, despicies humanas laudes non minus quam graculorum voces, quam culicum stridores,quam ranarum coaxationes,quam apium bombos,quam porcorum grunnitus. Et quid tandem populus à quo laudari expetis? Suffragio S.Chrysost. *est quiddam tumultus perturbationisque plenum ex stultitia,maiori ex parte constans*: calculo Dionis: *est tamquam fimus profundus ex variis sordibus in vnum coaceruatus.* Qui igitur ab huiusmodi iudicibus pendere,& plausum eorum approbationemque operum suorum velit captare, nónne mente captus , ipsum fatuitatis verticem occupasse videri poterit?

Hom.28. in Ioan.Orat. 65.

II. Vlte-

Digitized by Google

II. Vlterius progredere, si amas laudari, vis aliquid quod non potest fieri. Quid ita? quia laus hominē bonum esse asseuerat, sed hoc ipso quod laudari ambias, non modo vacuus es omni bono, sed plenus maximo malo, nempe Dæmoni proprio, superbia, & ambitione. Laus est hominis boni: sed si laudis es cupidus, iam desinis esse bonus, & incipis esse malus: quia velle laudari est malum. Quapropter desinit esse laudabilis; qui vult laudari, at si non est laudabilis non potest fieri ut laudetur, quia omni ex parte, & laude indignissimus. Vel enim te laude dignum iudicas, vel non: si iudicas, indignum laude, & tamen applaudis laudanti gaudes illum mentiri: si dignum te censes qui lauderis, iam desinis esse laudabilis, quia talem te iudicas cùm nihil sis, atque adeo contemptibilis. Est enim contemnendus quisquis de sui vel contemptu dolet, vel commendatione tumet, laus tua est filia, mendacij & mater opprobrij. Incipis esse improbus, dum cupis tua, & te supra meritum probari. Ama esse laudabilem, non laudari. Eris supra omnia laudabilia laudabilis, si hæc duo impensè desideres, laudem Dei, contemptum tui. Cur mauis bonus videri, quam esse, cum desinas omnino esse bonus hoc ipso quod optes vane videri & falsè æstimari? Martius.

III. Qua fronte quæro æstimari, qua mente laudari, qui licet vnico tantum momento, delicto minimo, Deum offendissem, æternum ab omnibus, quantum possent me contemnere mereor contemni? Quam foret ille non tantum impudens, sed impius qui optaret illius laudem, qui Christum, cum pateretur percussit alapa, vel illusit arundine, vel induit lusorio murice? Maior mea quam illorum est impudentia, & malitia, & mendax fuero si me vni illorum, qui Christum cruciarunt prætulero. Quod fecerunt ignorantes facio sciens, & prudēs, quod semel illi, sępius ego. Quantum ergo mihi improbo est probrum, si non mę iudicem dignum æterno opprobrio? Esto alij te ut bonum æstiment, & talem existiment, an aliorum æstimatio te faciet æstimabilem? existimatio bonum? Non curatur infirmus quod alij asserant non esse infirmum, iudicent sanum. Quid eligeres, esse sanum, licet ab aliis censereris æger, an esse ægrum, & ab aliis credi sanum? tua infirmitas est tuæ laudis cupiditas. Cur tibi applaudis te laudari ut bonum cum sis non modo non bonus, sed malis peior, sed peiorum pessimus. Tantum abest ut ægri se velint dici benè sanos, si non sint, ut malè illos habeat, se ægros non haberi: imò solenne illis est morbi malum etiam hyperbolicè exaggerare, & gaudeant id ab aliis fieri: sic sui contemptor vti est honoris osor gaudet se despici, aliorum in se opprobria sunt illi lætitiæ materia, aliorum de se laudes, æ-

Digitized by Google

Martius. stimat fraudes : non immemor illius moniti,
Plus laudatori, quam tu tibi, credere noli.

20. DIES MARTII.

Famæ plerique magnæ, malunt quam bonæ esse.
Livius l. 6.

Nec fama. I. MAgna fama, magna est nota, nisi cum ea coniuncta fuerit bona vita. Quapropter vanitatum, quas in vanitatis sectatoribus obseruo, maxima est, quod non satis illis sit fuisse vanos in vita nisi & post mortem relinquant suæ vanitatis vestigia, fatuitatis monumenta. Volunt viuere post mortem fama posthumâ. Sic velle viuere, quid est nisi nolle sapere ? Cupiunt laudari à posteritate, hoc est ab illis quos neque viderunt vnquam, neque videbunt. Quid insanius ? illud enim perinde est ac si dolerent se non fuisse à prioris etiam ætatis hominibus laudatos ante aliquot videlicet sæcula, cum nondum essent. Quam multi olim fuêre cum viverent gloria non tantum noti, sed clari, quorum memoria eodem sepulta est tumulo, quo cadauera? Quorum prius præcone fama diuulgabantur facinora, iam vix nota sunt nomina. Vbi primogeniti illi fortunæ, ante quos ut passer ante miluum, siluit orbis ? Quomodo nunc de illis silet? multi ex illis sola infamia sunt famosi. Adeo ruinosa res est fama, quam tamen solam non mortalem putant habere mortales.

II. Huic tamen inanitati quam multi inhiant. Quid Ninum compulit ut tot prælia comuitteret? Semiramin ut tot extrueret ædificia? Mysen Græcum ut tot enauigaret maria? Alexandrum magnum ut tot peragraret regiones? Herculem Thebanum ut columnas eo quo posuit loco statueret? C. Cæserem Romanum, ut iusto quinquagies bis prælio decertaret? Cyrum persarum Regem, ut Asiam vtramque occuparet; Annibalem Carthaginensem ut bellum tam contumax Romanis inferret? Pyrrhum Epirotarum Regem ut Italiam devastaret? Attilam hunnorum Regm, ut totam expugnaret Europam. Non ideò tam ardua susceperunt & perfecerunt, ut cum viverent à coætaneis tantum celebrarentur; sed ut ea quæ dicimus, qui nunc vivimus diceremus. Tanta fames famæ. Et illa tanto ambitu quæsita ut sit etiam tempore diuturna, quid

prodest

prodeſt defunctis ? vbi non ſunt laudantur, in mundo, vbi ſunt cruciantur, in orco. Melius illis fuiſſet ſine vlla fama numquam fuiſſe, quam cum magna poſtquam fuerint, ſic interiiſſe. Quale enim eſt hoc illis ſolatium, ſupra terram clarere fama, infra terram ardere flamma? Martius.

III. Propone iam tibi quibus circumſcribitur anguſtias; ſi ſpectas locum, punctum eſt in quo degis; quid anguſtius? ſi tempus, momentum eſt quo vivis, quid contractius, & interim in tam modico & loci, & temporis ſpatio, immodice laboras, & nihil non agis, pro re nihili. Iam vero quot ſunt in illo ipſo quo vivis oppido qui ignorant non tantum quo fungeris munere, ſed quo appelleris nomine. Progredere vlterius ad finitimos pagos: quo magis diſtant loca, obſcurior eſt tua fama. Qui in proximis degunt Vrbibus multi ne quidem an ſis in rerum natura ſciunt. Quam ſunt igitur arcta famæ pomœria, quæ vix egrediuntur vrbis ſuburbia! ſi vix notus es in vrbe, quomodo eris clarus in orbe; ſed eſto, ſis fama vbique clariſſimus; quid conferet ad ſalutem famæ claritas, niſi illam illuſtret vitæ integritas? Tandem poſt impenſos omnes labores vſque ad ſudorem, poſt evolutos omnes libros vſque ad pallorem, poſt exhauſtas omnes & animi & corporis vires, vſque ad cruorem, nihil ſupererit ex tanti gloria nominis, niſi vrna pulueris. Omnia Deus immortalis cum hominibus mortalibus communicauit præter immortalitatem, ideoque trito epitheto, Deus immortalis dicitur, quia numquam moritur, nos veri mortales quia nullo non die, ne dicam hora morimur. Illi igitur cum viderent ſibi perpetuitatem à Deo denegatam, eam ſibi vel ſumptuoſis ædibus vel militaribus ſtratagematis, vel bellicis adoreis vel heroicis facinoribus, poſt mortem nanciſci ſatagunt: ſed fruſtra, mortalium mortalis eſt fama. Plus ergo labores, ut ſit tibi bona vita quam magna fama: etenim:

Fama repleta malis, velocibus euolat alis.

Digitized by Google

21. DIES MARTII.

Martius. **Plerunque nobilitas carnis, parit ignobilitatem mentis. *D. Hieronym. in Epis.***

Nec nobilitas. I. CHristiana philosophia non fumosis atriorum imaginibus, non ornatu familiæ, non copia bonorum fluentium, non gentilitio lemmate, non auita gloria nobilitatem metitur. Ascititia sunt bona. Remouenda sunt penitus illa externa, quæ circumstant, ut qualis, quisque sit verè videamus seponendæ opes, sericæ paragaudæ, gemmæ annuli, ædes marmore atque auro collucentes, parasiti famulorum greges, aliaque inanissima, velut in theatro pompa, nudum, & congestis ac emendicatis à fortuna bonis spoliatum oportet inspicere, ut constet quam quisque sit nobilis, & quibus facinoribus, ut coloribus, primogenium suum lutum ornavit satius est per te alij, quam tu per alios noscaris tibique erit gloriosius ut in te glorientur parentes, quam tu in parentibus. Auorum promerita, Nepotum sunt dedecora, si ab illis degenerent. Vera nobilitas est, clarum esse virtutibus, non parentibus, quæ honestat mentem non sanguinem: sanguis donũ est parentum, animus Dei: nihil illius genitor generat. Pudeat igitur ea sola nobilitate inaniter gloriari, quæ cõstat donis humanis, non divinis, quæ tantum est carnis non mentis, Caro, sanguis, patrimonia, opes tituli sunt bracteata bona, & communia etiam malis. Animus, Virtus, Gratia, Dei sunt bona, & singularia duntaxat bonis.

II. Christianus glorietur de spiritu, nec maioris faciat generationem humanam, quàm regenerationem Divinam; sciat se ex Deo natum, præferat origini carnis, nativitatem sui spiritus. Cum nihil sit in claritate generis adeo eximium, ac quædam probitatis necessitas ne ab antiquorum degeneret virtute. Id subit periculum nobilis sanguis ne ignobilem faciat mentem dum virtutes maiorum iactans, suas negligat. Casus est nasci nobilem: fieri, virtus: lucere alieno lumine fortunæ est, proprio Gratiæ, quæ nobilitatis est matrix. Qui ex claro genere natus, nihil vnde mereatur sic fuisse natum, præclari gessit, alienam, videlicet auitam gloriam vsurpet qui tamen ex claris ipse clarescit, communem seruat, sic qui ex non claris, clarus euasit propriam gloriam habet, vnde nihil in nobilitate est clarius, quam causa. Ex quo nobilitas procedit nobilior est quam alter ad quem accedit.

Digitized by Google

accedit. Nobilitatem transmittere, sanguinis, est, dare virtutis, sunt à quibus nobilitas oritur, sunt ad quos transmittitur, sunt in quibus mergitur, nulli hisce nobiliores quam primi auctores: hi enim non fuere è nobilibus, se tamen solo fuêre nobiles. Martius.

III. In illo perit omne decus generis, cui omnis laus est in sola origine. In illius enim gloriam, alij vixerunt. Infamat impios maiorum fama. Est enim nostrum probrum quod & hominem facit hominibus opprobrium, esse illustrem natalibus, & destitutum virtutibus. Nobilium gloria perexigua est solo beneficio naturæ, nisi commendetur ornamento gratiæ: sicut cœnosum riuum non commendat lympidus perspicui fontis latex; sic nec clarissimus sanguis deductus in obscœnum animum cum fœdant mores, decus gentilium. Hoc generosi animi summum est honestamentum, non indignum esse maioribus, nec tam gloriari illustres habuisse auos, quàm curare ne obscurus ipse sit nepos, ut nascendi splendorem sua vita, atque morte exæquet, & nobilitas mortis, respondeat nobilitati ortus. Præsignis character est nobili stirpe nasci, dũ tamen gloriam nascendi nutriat decor viuendi, & velut reciprocante fluctu recurrat in progenitores, ne tantum ab iis recipiatur sed iisdem reddatur. Quapropter si quis sapiat ad excolendum virtutibus animum totus incumbet quibus si nobilis fuerit; censebitur genere non indignus sin minus ipse genus ornabit suum, Themistoclem imitatus, cui cum probro obiiceretur quod nothus esset: At ego, inquit, à me ipsum genus auspicabor, ac meum quidem genus à me incipiet, tuum vero in te desinet. Hanc igitur nobilitatem affecta, quæ originem trahit à probis moribus, non à maioribus. Sic non videbitur Poëta ceciniſſe surdo, dum ita cecinit metro.

Nobilitas morum magis ornat, quam genitorum.

22. DIES MARTII.

Pulchritudo est ignis, qui tangentes vrit, distantes inflammat. *Xenophon.*

I. VT bonum inter omnia naturæ bona, & dona maximè contemptibile, ut par est, contemnas, iuuabit audire de ea Catorum virorum efflata. Pulchritudinem pulcherrimè dixit Theophrastus, esse *dissimulatam fraudem,* Nec pulchritudo.

Digitized by Google

Martius. *fraudem*, siue *fraudulentum silentium*: Theocritus, *pulchrum damnum, eburneum detrimentum*: Socrates, *modici temporis tyrannidem*: Nazianzenus, *temporis, & morbi ludibrium*. S. Hieronymus, *oblitionem rationis*: S. Bernardus, *coloratam carnis putredinem*. Nónne hæc pulchra de pulchritudine lineamenta? sæpè vbi maior est corporis decor, minor est animæ splendor. Non raro sub crystallina glacie latet solidum cænum: in muro polito subnascitur squamosus serpens interiora eburnei dentis, molesta terebrat scabies: quo pretiosior pannus, eo maiorem edit tinea stragem: quo feracior arbor, eo magis à verme infestatur: hoc est sub cute candida, sæpè latet anima sordida. Fluxo aliquo huius mundi intumescere bono, est vanitas vanitatum: corporis verò insolescere forma, est levitas levitatum, & fatuitas fatuitatum. Quid enim est aliud pulchritudo, quàm velum oculis, laqueus pedibus, viscus alis? Quot sunt qui exteriùs referunt oris venustate Helenam, interiùs cordis deformitate Hecubam?

II. Subsannent parui magnos, formosi deformes, integri corpore, nævo aliquo conspicuos, recti distortos, gigantes, pygmæos: vnus omnes denique finis manet, & ideo vanitatis breui finiendæ monet. Licet cupressi rectissimæ, lauri altissimæ, platani vmbrosissimæ, cedri pulchertimæ, iuniperi fragrantissimæ, alni celsissimæ sint, non tamen arbores illæ idcirco sunt fœcundiores. Tument ad venustatem frondibus, carent ad vtilitatem fructibus. Quorsum hæc? Vt intelligas, licet homo sit rectissimus corpore, celsissimus stemmate, venustissimus forma, fragrantissimus fama, non ideo integriorem esse vitâ. Quid hîc firmum in tanta rerum omnium infirmitate? Quæ turris tam alta, quæ moles tam firma, quæ fabrica tam solida, quæ domus tam splendida, quæ non ab edaci tempore consumitur: dein paulatim collabitur, tandem penitus destruitur? sensim enim aut labascunt fundamenta, aut dehiscunt parietes, aut curuantur trabes, aut discedunt compages, aut exedunt tigna stillicidia, aut conuelluntur pauimenta, aut computrescunt fenestræ, aut franguntur fores; & sic deficiunt sumptuosissimæ ædes. Si ita collabascat fabrica compacta ex marmore, lapide, ligno, ferro, calce, latere: quomodo stabit lutea illa corporis fabrica composita ex carne, sanguine, neruis, articulis, artubus, rebus infirmissimis: ô solida fabrica, quæ corruit vnâ febricula!

III. Obnoxia est omnis, quàm homo sic deperit, illa perituri corporis elegantia, mille qui eam infestant hostibus, videlicet oppilationi lienis, calori hepatis, dolori ventriculi, tumori pedum, discordiæ humorum, motibus cælorum, coniunctionibus lunæ, defectibus solis, æstatis calori, hyemis frigori. Itaque formæ nitor vernantium florum mutabilitate est fugacior:

Digitized by Google

cior:qua ut nihil est oculis gratior,sic nec tempore brevior. Hîc accedit rarum esse commercium pulchritudinis cum virtute. Hinc illi venustuli, & pumicati,qui mulicbriter vultum expoliunt, qui ad barbulam, & cincinnos ornatrices habent,cuius frequentior est vsus calamistri, quàm calami, qui ut veneris pupæ obambulant,pexi, delicatuli,effæminati, ad nihil aptiores,quàm ut relegentur ad gynicæa. Enimverò raro conveniunt, & in vno corde morantur formæ dignitas, & castitas. Difficilis quippe est eius rei, quàm multi expetunt custodia: & facilè expugnatur, quod vndique incessitur. Admouentur muris, scalæ blanditiarum, machinæque munerum,& latentes sub terram,fraudum cuniculi: si his artibus non proficitur,manu improba vis infertur. Itaque forma multos tentauit, & tentandos præbuit:quosdam strauit,& vel compulit ad crimen mortale, vel impulit ad mortem, si alterutrum extremorum eligendum; forma gratior, sed gibbus est tutior. Huius sæpe reminiscere: Martius.

Esse solet raro pulchra,pudica caro.

23. DIES MARTII.

Nemo securus est in iis bonis, quæ potest invitus amittere. *Sanctus Augustinus de lib. arb. libr. 2. capite 14.*

I. COngero vnum in cumulum quædam quæ peruersè à peruersis iudicantur bona,quæ nullus potest possidere securus; quia cùm possint facilè adimi,ne amittat,semper est solicitus,vbi amisit,tristis. Hæc inter,est ædium magnificentia. Quid inde cristas attollis? si quid in laquearibus,in propylæo, in columnis, in tectis est laudis: illa non tua est laus, sed Architecti. Quærenda potius domus læta,quàm lata: nec enim semper feliciùs habitat,qui fusiùs. Imò raro secum habitant,qui amplas, & splendidas ædes inhabitant. Ne quidquam ædes inquiris vbi nihil sit quod incommodet, vel nullus qui displiceat. Est enim illud omnibus magistra experientia testatissimum: Nulla domus,vbi non sit Momus. Iam vero cum domus Domino, non Dominus domo sit honestanda; quid prodest conclaue instruere futili inanium rerum choragio? sit in domo magis supellectilis nitor,quàm splendor. Quæ sit ad vsum, non ad pompam. Supellex Barbarica,domus est barbarismus. Ampla supellex,materia est illex furi- Nec magnificentia ædium,vestium,dapum &c.

Digitized by Google

Martius. bus,& muribus.Vt tuti sint lares contra lemures,non desint religiosa modestæ pietatis instrumenta: hæc erunt domus non tantum quæ illustrent, ornamenta,sed quæ propugnent,præsidia.

II. Iniquo quorumdam iudicio,magno est in pretio corporis ornatus. Affectatus corporis ornatus plerunque tessera est prostitutæ integritatis. Est extrema insaniæ linea,gloriari lino,& lanâ. Sic & cothurnis intumescere,est gnaviter desipere. Vt plurimùm qui murice fulget, pectore sordet:non raro enim splendida vestis,est animi,restis.Hinc nullis ferè exquisitior est corporis cultus,quàm quibus animus est incultus.Comptulus, & comatulus,idem plerunque & sordidulus. Ardor venusti capillitij, probitatis est probrum,naturæ opprobrium.Odores in vestibus,gemmæ in auribus,annuli in digitis,aucupes sunt libidinis.Cincinni,calamistri,specula, pigmenta,gypsatæ chirothecæ,myrothecia,vanitatum sunt theca.Corpus, ut rectè excolas,nec ad invidiam splendeat,nec ad contemptum sordeat. Vtere veste,ut peccati monumento, pudoris tegumento, non putoris ornamento:tu illam, non illa te honorat. Nihil corpus nisi modestia ornat. Velet pudorem proprium, non sollicitet alienum. Cur vis patere, quod non licet videre? formam vesti status præscribat, non vanitas suggerat.

III. Nec desunt de grunnienti Epicureorum grege, homines,nullius minus quàm sui Domini, vtpote nati duntaxat abdomini, quibus lautitia cibi,est loco summi boni.Quid iniquius? cùm vix vlla instituantur conuiuia,vbi non audiantur in probros convitia,vbi non referuntur aliorum vitia.Vbi congestus est selectissimorum ferculorum cumulus,illic certus est Temperantiæ tumulus: ibi peregrinæ dapes,vbi multæ animi labes. Carnis sagina,mentis est carnificina.Nam vberi, & tumidâ pulpâ, acies mentis obtunditur,& cordis vigor hebetatur.Quid aliud sunt diftenta pinguedine corpora,quàm animata dolia? Illi quibus protensus est aqualiculus, ventre prominulo,enutriti vel in hortulis Epicuri,vel in culinis Aristippi, vel in gurgustiis Asotorum, qui tota sensuum colluvione in corporis lenocinia proni feruntur, quid possunt nisi de carnibus, & ructu, & ingluvie cogitare? vesperi helluando farciunt ingestis dapibus stomachum: manè oscitando exhalant crapulam. Hinc mente cum carne impinguata animo subsidente, excrescit in amplitudinem, videasque tumidos, & in orbem pinguedine rotundatos,ut opimos boves, arcuato ventre, & triplici mento novos Geryonas, ceruice rugatâ. Vtere cibo, ut vitæ pharmaco: quidquid inedendo est nimium, est toxicum. Primus cibi abusus, primùm inflixit animæ vulnus. Ingenium subtile reddit esuries; hebes ingluvies.

Digitized by Google

vies. Si optes tibi feram senectutem, alte tibi fit infixum hoc Vatis moni- Martius.
tum:

Parcus vescendo, parcissimus esto bibendo.

24. DIES MARTII.

Qui peruerse amat cuiuslibet naturæ bonum, etiamsi adipiscatur, ipse fit in hoc bono malus. *Augustinus libr. de ciuit.* 12. *capite* 2.

I. OMnia mundi bona hactenùs recensita, quàm debent esse mala, cùm peruerse amata, quemlibet reddant malum, neminem sinunt bonum? Quid in bonis illis est boni, cùm sint tempore tam brevia, celeritate tam fugacia, statu tam instabilia? Primò bona omnia mundi sunt caduca, quia cadunt ex alto ad ima, è cælo ad terram. Sint licet latissimè diffusa regna, plurimis & pagis, & Oppidis, & prouinciis, & ditionibus opulenta, non sunt tamen nisi micæ, quæ cadunt de mensa divitis, scilicet Dei ad canes, nempè ad mortales. De mensa illa, de qua dictum: *Vt edatis, & bibatis super mensam meam.* Catuli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum. Quod modò est discrimen inter Imperatorem cum toto fortunæ suæ choragio, hic viuentem, & Lazarum sedentem ad mensam illam cælestem? Profecto tantum, quantum est inter Dominum, & canem. Quæ igitur hæc est cæcitas, quæ fatuitas, recusare Regias epulas in cælis, ut obtineas micas in terris? ut comedas pomum, perdere Regnum: ut te volutes in sordibus carnis, priuari deliciis mentis. Id faciunt, qui ut nanciscantur bona momentanea, amittunt æterna. Quid ergo æstimas illa bona, quæ eo erunt peiora, quo fuerunt maiora? mensura calamitatis, est antecedens felicitas. Nec vlla mundi bona. *Luc.* 22. 30.

II. Deinde bona mundi sunt caduca, quia non habent certum, & stabilem hæredem. Nam iuxta Iuris canones, caduca hæreditas, seu caduca bona sunt, quæ legitimum non habent hæredem. Itaque bona temporalia non solùm ideò sunt caduca, quia cadunt de parentibus ad filios; de filiis ad nepotes; de nepotibus ad posteros, & sic cõtinua quadã successione ad alios: sed etiam quia cadunt sæpè de domesticis ad extraneos; de ciuibus ad alieni-

Martius. alienigenas; de amicis ad inimicos; de Catholicis ad hæreticos, de hæreticis ad Turcas? Quomodo ergo quæ ad tot diuersos, & toties cadunt, non erunt caduca bona? Quî non erunt caduca si semper cadant ab hæredibus, & cùm ipsi hæredes cadant? Quoties euenit, ut dum opulenta & luculenta hæreditas super aliquem cadit; non tantum illum non efferat, sed sua mo-
Mat. 21. 44. le conterat: *Super quem ceciderit, conteret eum.* Potius igitur timenda, quàm speranda est lauta hæreditas. Sit licet Regni vnius cùm metuendum sit, ne tantæ felicitatis mole contritus opprimaris. Qualia sunt ergo illa bona, quæ sunt potius materia metus, quàm spei? Quæ illa felicitas, quæ semper ob timorem casus, est trepida? Quæ ex illis bonis acquisitis securitas, quæ ob pericula nunquam non est solicita?

III. Deterioris sunt conditionis mundi bona, quàm ipsa vocabula, & nomina. Nomina quippe sex tantum apud Grammaticos obtinent casus: at bona mundi quàm multis etiam dum stant, subiacent casibus. Pluribus obnoxia sunt casibus, quàm fretum inquietum iactatur fluctibus. In hoc tamen concordant, & conueniunt bona mundi cum nominibus, quod etiã
Virgil. illa, *per varios casus, per tot discrimina rerum*, dicere possint, tendimus in vnũ extremum casum, qui à Latinis dicitur Ablatiuus. Cùm enim hæc bona ad varios varia temporum conuersione deuoluta ceciderint, tandem ab omnibus auferentur, scilicet die illa mundi summa, & decretoria. Itaque perituræ sunt res hominum quotidie pereuntium: Mortale est omne mortalium bonum. Quicquid est, cui Dominus inscriberis, sit licet apud te, & iuxta te, cùm sit extra te, non est tuum. Si talia sint mundi bona, adeoque familiaris eorum fugacitas, quid ad illam veluti insolitam stupidi stupemus? quidvè expostulandum, si iuxta naturæ suæ conditionem, simul & influant, & effluant? nec apud aliquem sint perpetua, sed pertæsa diuturnioris apud eum moræ, alias sedes quæsiuerint, eadem infidelitate, alio migratura, & nusquam stabiliter hæsura, donec prorsùs in nihilum abeant? Hoc fuit hactenùs ferentum, quod nunc vnum tenuit, nunc excussit, rursusque hoc dimisso, succedentem accipiet, brevi reiecturum. Spretis igitur omnibus hactenùs conglobatis, & recensitis bonis, aliud inuestigandum, cui adhæreas, illis enim nunquam acquiesces, quia id indubitatum:

De re terrenâ, nihil est aliud, nisi pœna.

Digitized by Google

25. DIES MARTII.

Verbum Caro factum est. *Ioan.* 1.

Martius.

I. ECce hic Verbum omnium verborum, quæ ab ore Divino proferri, quæ à corde humano fingi possunt, antiquitate primum, dignitate summum, ante omnia sæcula à Patre dictum, post quadraginta, & amplius sæcula à Matre factum: quod concepit humilitas; peperit virginitas, æternùm infiniti temporis Verbum. Quem posthac terreat Divinus homo, quem non alliciat humanus Deus? O Anima! eras prius Marthæ exemplo solicita circa plurima, ut reperires bonum; quo inuento desineres esse malus; quo possesso inciperes esse bonu. Ecce hic bonum vnum, simul & summum, ex quo. in quo, per quod bona omnia, in vtero Virginis simul & Matris. Si quæras nomen eius, quod est admirabile, accipe illud ex ore cælestis Oratoris, quia est homini ineffabile: *Vocabitur nomen eius Iesus.* Luc. 2. Hoc est Nomen olim decretum in arcanis Augustissimæ Triados comitiis, ante omne tempus. Ex solo Nomine procliuè erit intelligere, quis, & quantus sit ille, cuius tantum est Nomen, ut vel illud intelligenti sit Numen.

Vnum bonum, Verbum Incarnatum.

II. Quid est Iesus? si respicis, est sine principio Æternitas: si prospicis, est sine termino Immortalitas: si suspicis, est supra omne culmen Sublimitas: si despicis, est sine fundo Profunditas: si circumspicis, est sine mensura Immensitas. Quid est Iesus? cui seruire, est Vtilitas; subesse, Dignitas; amare, sanctitas; timere, securitas; osculari, castitas; audire, Scientia; intelligere, Sapientia; obtemperare, Prudentia; sequi, Gloria; assequi, felicitas; videre, videntis vltima Beatitas. Quid est Iesus? si vis adorare, est Maiestas: si diligere, est Bonitas. Si sperare, est Misericordia. Si timere, est Iustitia. Si admirari, est Sapientia. Si oderari, est Potentia. Si gaudere, est Lætitia. Si saluari, est bonorum omnium Copia. Quid est Iesus? si cæcus es, est Lux. Si infirmus, est Medicina. Si nudus, est Vestis. Si ignorans, est Doctrina. Si pauper, est Opulentia. Si inanis, est Plenitudo. Si pusillus, est Magnitudo. Si angustus, est Latitudo. Si debilis, est fortitudo. Quid est Iesus? est sitienti fons; esurienti panis; mærenti solatium; laboranti præmium; currenti brauium; nauiganti portus; peregrinanti patria; pugnanti corona; erranti Via; credenti Veritas; morienti vita; per-

Martius, cunti salus. Quid est Iesus? Est prodigium Naturæ, miraculum Gratiæ, opus omni ex parte absolutissimum ; in quo elaborando singulæ Dei perfectiones, se totas conatu toto impenderunt. Quo nihil Sapientia mirabilius, nihil Bonitas meliùs, nihil Majestas augustius, nihil ipsa Dei Charitas ad amorem potentius potuit effingere. Nihil addam ampliùs, quia quidquid de illo dixerim, perinde est, ac si siluerim.

III. Cùm igitur, talis, ac tantus est Iesus, qualem, ac quantum iam legisti, sed nunquam satis intelliges; potesnè meliùs, & vtilius impendere, & superimpendere omnes & ingenij neruos, & industriæ vires, & Animi facultates, & corporis membra, quàm in colendo, & amando eum, à quo ut posses amare, accepisti facultatem, Iesum? Omnia quæ sunt à Deo condita, si possent humana voce resonare; quid aliud monerent, vrgerent, clamarent, quàm ut ametur Iesus? Non hoc fugiebat Augustinum, hinc illa eius verba: *Cælum, & terra, & omnia quæ in eis sunt, ecce vndique mihi dicunt, ut Te amem, nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles.* Et quomodo ego, pro quo Verbum factus est, Caro, excusabor? imò quomodo ego à cælo, & terra non accusabor, si viuens in terris, te non amem super omnia; per quem propter me facta sunt omnia? Tanto plus Tibi debeo, quàm meipsum: quanto tu Iesu maior es meipso, qui pro me Incarnatus dedisti teipsum; & toties dedisti nascendo, viuendo, moriendo, resurgendo, & corpore toto me alendo. Pro beneficio tuo quod mihi dare potes minimo, ut tibi dignas agam gratias, non sufficit tota æternitas: quid faciam, ut satisfaciam pro beneficio, cuius magnitudo est infinita, amplitudo immensa? fac saltem, ut totum, quod tuum est creatione, & restauras Incarnatione, faciam ego totum tuum amore. Te enim solum intelligere, & diligere sufficit ad salutem. Sic pia modulante auenâ Poëta:

Si Iesum discis, satis est, si catera nescis:
Si Iesum nescis, nihil est, si catera discis.

Digitized by Google

26. DIES MARTII.

Quid est bonum? rerum scientia. Quid malum? rerum imperitia. *Seneca epist.* 31.

Martius.

I. BOna Naturæ, & fortunæ, quæ non sunt hominis, quia extra hominem, bona esse larvata, bracteata, personata, sive admodum nulla, adeoque è catalogo Bonorum expungenda, non digito leviter ostendimus, sed rationibus solide convicimus. Quod porrò tam perniciosè hallucinemur in discrimine bonorum, & malorum, causa est, quam innuit hodierna tessera, Bonorum, & Malorum ignorantia. Hinc malorum tanta multitudo, bonorum tanta solitudo. Vertex itaque Christianæ philosophiæ, est illa scientia nostri Messiæ, scire, reprobare Malum, & eligere Bonum. O Bonum à paucis benè intellectum, quia à multis ut intelligatur, neglectum. Vestigia boni sagaciter odoremur, quia percepisse naturam & pretium Boni, erit pretium operæ. Vnum tibi sit hoc consilium, & animi propositum, ut tantum expendas temporis, & impendas laboris, ut acquiras verum Bonum; quantum hactenùs, ut acquireres verum Malum. Fac tantum, ut Animam serues; quantum pleriq́ue ut Animam perdant. Cucurristi per falsissima bona ad verum Malum; nunc ito per mendacia mala, ad verum Bonum. Hucusque per mala plurima, hoc est, vitia, sectatus es summum Malum; nunc per totidem bona, hoc est, virtutes, sectare summum Bonum. Sed qui prius Mali genium, & ingenium detexeimus; Boni indolem perscrutemur. Boni natura inuestigatur.

II. Nihil homini est bonum, nisi quod eum potest promouere ad summum Bonum. Quidquid vsquam vel spectabile est in terris, vel inaspectabile in cælis, omnia à Deo condita, possunt te manuducere ad ipsum Conditorem. Itaque illorum bonus vsus, tibi erit salus; abusus, erit interitus. Sed nos illa, quæ Deus vidit postquam fecerat esse valdè bona, nos mali, quia vtimur malè, facimus, ut nobis sint valdè mala. Quasi crimina forent Dei beneficia: nos illis vtimur, ut instrumentis, quibus offendamus Benefactorem, ac si benefaciendo deliquisset. Deus dedit nobis multa, & magna; imò supra numerum plurima, vltra meritum maxima: & nos perfidi, Deum offendimus multitudine supra arenam maris; magnitudine supra vastitatem montis contemptuum, & scelerum, certantes

vincere

Martius. vincere nostris sceleribus Dei beneficia. Ecce data est tibi ab eo, qui in principio creauit cælum,& terram,potestas omnis in cælo,& terra, ut omnibus, quæ cæli terræque ambitu constringuntur,pro arbitrio vtaris, ut quidquid volueris, de illis facias præter hoc vnum, amare ea. Vt tu dares te Deo Deus dedit tibi omnia creata, ut tu servias illi, illa seruiunt tibi: ut tu maneas, illa fugiunt:ut tu subsistas, illa corrumpuntur: ne pereas tu, pereunt illa:at tamē non cupiunt amari à te;cupiunt,ut illum ames,à quo illa sunt:& tu,ut possis amare, accepisti facultatem. Dolent illa in summa ara Dei, hoc est in corde tuo,poni simulacra sui, ex nimio in illa affectu:de se sæpius cogitari, quàm de Deo, sibi immolari non animalia, sed animam tuam.

III. Tu cogis Dominum Dominantium seruire in peccatis tuis: quia es causa,ut Deus faciens oriri solem, & pluens opportunis temporibus,lactans fructus terræ,coquens poma arborum, condiens pascua pecoribus, seruiat gulæ tuæ. Facis, ut conflans metalla in terræ visceribus, auaritiæ tuæ ministret. O scelus!facere Deum seruum seruorum,hoc est scelerum. Facere illum,qui est ipsa Libertas,captiuum iniquitatum: facere omnium Conditorem, promum condum facinorum: facere magnum illum Patrem familias, æconomum malignitatum. Vt sit summa Creatoris tui iniuria,tui ignominia,victimam metalli rufi,aut albi,aut honoris caduci,aut voluptatis momentaneæ,facis animum cælestem, & in hoc Gratiam Diuinam,& ex hac Gloriam æternam.Sic cuncta, quæ Deus fecit valdè bona, vsu illorum malo,abducunt te à summo Bono.Quasi tibi à Deo fuisset irrogata iniuria;quia tot in te erogauit munera.Ne ergo tui exitio, nimium tuo indulgeas genio, in hoc impendas omnes neruos tui ingenij, ut comprehendas omnium rerum genios,quia ob rerum imperitiam, multi pereunt.Nullus tibi plus nocet, quàm tu ipse tibi dum nocitura eligis, profitura reiicis.Omnia tibi erunt innoxia,si ipse tibi peccando non noces.Quid enim tibi,si fueris innocens,nocebit,quandoquidem:

Quod nihil,& nulli nocet,vtique non nocet vlli?

Digitized by Google

27. DIES MARTII.

Bona temporalia ne putentur mala, dantur & bonis: & ne putentur magna bona, dantur & malis.

Martius.

Augustinus ep. 70.

I. ADhuc scrutamur auream venam boni, ne decepti bonorum larvis, reddamur mali. Illa, quæ vulgi imperiti sensu existimantur non mala, & æstimantur ut bona, dantur bonis, ne natura sua iudicentur mala: sed ne peruerso iudicio censeantur bona magna, dantur & iis, qui coram Deo non sunt magni, id est, malis. Illud vnum perenni ab omnibus fletu est deplorandum, ut cùm illa bona dantur malis, illis toto affectu consecrati, eum deserant, à quo omne Bonum, siue ipsam Bonitatem. Quid si Monarcha, totius terræ Dominus, designaret diem, quando, & locum vbi vellet communi omnium procerum cultu, & adoratione inaugurari, & ad hoc in dictis iam comitiis, toto magnificentiæ suæ apparatu in throno consideret, expectans in publico concessu, sibi addictum cultum, & si cum populo Dynastæ omnes spreto Cæsare, eique obuerso tergore, non Cæsarem, sed Cæsaris impolitum aliquod simulacrum venerarentur. Imò si non eius simulacrum; sed in qua nulla illius foret similitudo, notam vestigij eius colerent, & proni adorarent. Quis foret illius sensus? quæ excandescentis animi indignatio? Hæc de te non est fabula, nec parabola, sed historia.

Creata bona sunt tantum Dei vestigia.

II. Bona creata, quæ sunt vestigia Creatoris; bona mutila, & informia, quæ sunt rudia lineamenta infinitæ Bonitatis, bona peritura, inquam, deperis, illa tibi sunt in loco primo, in pretio summo, quæ sunt nauci, & flocci; illa tota corporis, & animi contentione sequeris, & prosequeris, ut assequaris, & Deum, ex quo, in quo, per quem omnia bona, solitarium relinquis. Tu illi, à quo, & propter quem procreatus es, stupente cælo, indignante terra, obuertis tergum, & illi præponis lutum: imò quis non deficiat præ dolore, hoc audiens? præfers cænum Divinitati, ut cænum attollatur in Deum. Quid tibi ô Anima imponis, ab aliis imponi finis? Nosce bona creata non esse nisi Creatoris rudes imagines, multum dissimiles similitudines. Cur placet vmbra, & displicet viuum Archetypum?

Martius. pum? Quid si peregrino ex itinere fatigato proponas hinc equum viuum, inde sculptum? quid aget, ut commode peragat iter? an relicto vero & viuo equo, insiliet in fictum & sculptum? an, ut equiter, accipiet statuam equi, quâ onustus fatigabitur magis equum portando, quàm subleuabitur ab equo portatus? Bona creata tibi peregrinanti ad illam, quæ sursum est Ierusalem, magis sunt oneri, quàm vsui: sunt emortuæ statuæ Bonitatis viuæ. Propone homini immaniter esurienti panem verum, & pictum: annè, ut pellat famem, accipiet pictum panem? Hæc tua ipsissima est stoliditas, clamas cum Prodigo: *Fame pereo*; & vbi ne pereas, habes panem viuum, qui de scendit de cælo; ambitiosè prehensas, ut pereas, panem pictum, hoc est, vmbras æternæ Bonitatis.

Luc. 15.

III. Panis pictus non satiat; sed figura est eius quod satiat: sic bona creata non satiant insatiabile cor; sed imagines sunt illius, qui vnus satiat omnes, Dei. Congere vnum in cumulum bona omnia creata, & creanda, non plus poterunt voluntati satisfacere, quàm gelidam manum pictus ignis calefacere. Prunarum ardentium pictura, est ad oblectationem luminum, non ad calefactionem manuum. Tauri dum fœnum habent in cornu, diuertuntur, & illuduntur obiecto pallio, aut alia re, quàm innoxiè sine hominis periculo impetant: tu obiice grassanti cupiditati summum Bonum, ut à creatis bonis illam diuertas, in quod cum fructu ruat, atque in eo impetum desiderij sistat, quo ipsa consistit. Quid in hias stillæ extra te, cùm habeas salientem fontem intra te? Quid vis cum Lazaro micis satiari, cùm possis in cœna illa magna splendide epulari? Quid vis impleri atomo, cùm habeas quæ totum te impleat ipsam Plenitudinem? Si auaro postulanti nummum argenteum, offeratur aureus, illo reiecto aureum arripiet; quia in hoc argenti valor non tantum includitur, sed exceditur. Sic Cupiditati anhelanti opes, & delitias, illum obiice, qui & hæc, & alia omnia infinito suo complexu continet. Itaque si tibi vis consultum; audi, & sequere Poëtæ consilium:

Factum factori summo præponere noli.

Digitized by Google

28. DIES MARTII.

Celerem res habituræ finem, quæruntur sine fine. Martius.
S. Hieronymus epist. ad Demet.

I. BOna temporalia accusauimus ut non bona, nunc etiam condemnamus ut mala. Bonum, & integrum idem æstimo: Ergo bonum erit sine defectu. Quomodo sine defectu erunt, quæ defectura ipsa sunt? Itaque cùm & semper deficiant omnia temporalia cum tempore, & deficient, necesse est, ut illa te relinquant. Cur tu potiùs illa priùs non relinquis? Quæ hæc hominum improbitas? Nati sunt, & procreati ad possidendum Bonum, quod caret fine, & illa cupidissimè sectantur, quæ ipsa celeritate celeriùs currunt ad sui finem; & festinant, ut desinant: præcipitant, ut non sint. Illi igitur, qui tanquam fascino excæcati, siue in inconstanti concupiscentia, siue in fallaci, & fugaci bonorum conditione infelicem statuunt felicitatem. Sicuti hæc veluti reciproco maris fluctu, nunc dantur, nunc tolluntur: sic etiam ipsi, dum recipiunt, felices sunt; dum amittunt, infelices gemunt: nam in instabilibus instabilem reperiunt, vel lætitiam in bonis datis, vel mærorem in donis ablatis. Hinc Nazianzenus maris instabilis multiplices contemplans motus, ita dicebat: *Hic & lapilli, & algæ, & buccinæ, & leuissima ostrea extrudebantur, & quasi exponebantur: nonnulla etiam reciprocante fluctu rursus arripiebantur.* Sic reciproco veluti maris exæstuantis accessu, & recessu, homo nunc gaudet, nunc mæret, flet, ridet, cantat, plorat, plaudit, plangit, consistit, succumbit: concinit nunc epicedia, nunc epinicia: tenet manu nunc victricem lauream, nunc sepulchralem taxum: spirat, suspirat, expirat. Denique totus humanæ vitæ status, nil est nisi perpetuus casus. Bona extra Deum sunt peritura. *Orat.* 28.

II. Hæc bona triuola, & eorum si expenderis defectum, animo deficies, intelligens hominum animos illis tanquam nunquam defecturis adhærere. Quod si sursum oculos attollas ad perennem omnis boni fontem, inuenies omnes mundi reculas, non esse nisi illius immensi Oceani tenues stillulas. Stellæ quia à sole mutuantur lucem, coram eo non apparent, quasi desiissent esse. Sic creata omnia, quæ adorat humana cupiditas, quia acceperunt, ut essent, ab eo, qui solus est, ideo sunt quasi nihilum. Et illa, quæ sunt nihili, facis maximi. Potius contemne contemptibilia: & dole aliquem

Martius. pum? Quid si peregrino ex itinere fatigato proponas hinc equum viuum, inde sculptum? quid aget, ut commode peragat iter? an relicto vero & viuo equo, insiliet in fictum & sculptum? an, ut equiter, accipiet statuam equi, quâ onustus fatigabitur magis equum portando, quàm subleuabitur ab equo portatus? Bona creata tibi peregrinanti ad illam, quæ sursum est Ierusalem, magis sunt oneri, quàm vsui: sunt emortuæ statuæ Bonitatis viuæ. Propone homini immaniter esurienti panem verum, & pictum: annè, ut pellat famem, accipiet pictum panem? Hæc tua ipsissima est stoliditas, clamas cum Prodigo: *Fame pereo*; & vbi ne pereas, habes panem viuum, qui de scendit de cælo; ambitiosè prehensas, ut pereas, panem pictum, hoc est, vmbras æternæ Bonitatis.

Luc. 15.

III. Panis pictus non satiat; sed figura est eius quod satiat: sic bona creata non satiant insatiabile cor; sed imagines sunt illius, qui vnus satiat omnes, Dei. Congere vnum in cumulum bona omnia creata, & creanda, non plus poterunt voluntati satisfacere, quàm gelidam manum pictus ignis calefacere. Prunarum ardentium pictura, est ad oblectationem luminum, non ad calefactionem manuum. Tauri dum fœnum habent in cornu, diuertuntur, & illuduntur obiecto pallio, aut alia re, quàm innoxiè sine hominis periculo impetant: tu obiice grassanti cupiditati summum Bonum, ut à creatis bonis illam diuertas, in quod cum fructu ruat, atque in eo impetum desiderij sistat, quo ipsa consistit. Quid in hias stillæ extra te, cùm habeas salientem fontem intra te? Quid vis cum Lazaro micis satiari, cùm possis in cœna illa magna splendide epulari? Quid vis impleri atomo, cùm habeas quæ totum te impleat ipsam Plenitudinem? Si auaro postulanti nummum argenteum, offeratur aureus, illo reiecto aureum arripiet; quia in hoc argenti valor non tantum includitur, sed exceditur. Sic Cupiditati anhelanti opes, & delitias, illum obiice, qui & hæc, & alia omnia infinito suo complexu continet. Itaque si tibi vis consultum; audi, & sequere Poëtæ consilium:

Factum factori summo præponere noli.

28. DIES MARTII.

Celerem res habituræ finem, quæruntur sine fine. Martius.
S. Hieronymus epist. ad Demet.

I. BOna temporalia accusauimus ut non bona, nunc etiam condemnamus ut mala. Bonum, & integrum idem æstimo: Ergo bonum erit sine defectu. Quomodo sine defectu erunt, quæ defectura ipsa sunt? Itaque cùm & semper deficiant omnia temporalia cum tempore, & deficient, necesse est, ut illa te relinquant. Cur tu potiùs illa priùs non relinquis? Quæ hæc hominum improbitas? Nati sunt, & procreati ad possidendum Bonum, quod caret fine, & illa cupidissimè sectantur, quæ ipsa celeritate celeriùs currunt ad sui finem; & festinant, ut desinant: præcipitant, ut non sint. Illi igitur, qui tanquam fascino excæcati, siue in inconstanti concupiscentia, siue in fallaci, & fugaci bonorum conditione infelicem statuunt felicitatem. Sicuti hæc veluti reciproco maris fluctu, nunc dantur, nunc tolluntur: sic etiam ipsi, dum recipiunt, felices sunt; dum amittunt, infelices gemunt: nam in instabilibus instabilem reperiunt, vel lætitiam in bonis datis, vel mærorem in donis ablatis. Hinc Nazianzenus maris instabilis multiplices contemplans motus, ita dicebat: *Hic & lapilli, & algæ, & buccinæ, & tenuissima ostrea extrudebantur, & quasi exponebantur: nonnulla etiam reciprocante fluctu rursus arripiebantur.* Sic reciproco veluti maris exæstuantis accessu, & recessu, homo nunc gaudet, nunc mæret, flet, ridet, cantat, plorat, plaudit, plangit, consistit, succumbit: concinit nunc epicedia, nunc epinicia: tenet manu nunc victricem lauream, nunc sepulchralem taxum: spirat, suspirat, expirat. Denique totus humanæ vitæ status, nil est nisi perpetuus casus. Bona extra Deum sunt peritura. *Orat. 28.*

II. Hæc bona triuola, & eorum si expenderis defectum, animo deficies, intelligens hominum animos illis tanquam nunquam defecturis adhærere. Quod si sursum oculos attollas ad perennem omnis boni fontem, inuenies omnes mundi reculas, non esse nisi illius immensi Oceani tenues stillulas. Stellæ quia à sole mutuantur lucem, coram eo non apparent, quasi desiissent esse. Sic creata omnia, quæ adorat humana cupiditas, quia acceperunt, ut essent, ab eo, qui solus est, ideo sunt quasi nihilum. Et illa, quæ sunt nihili, facis maximi. Potius contemne contemptibilia: & doie aliquem

Martius. quem tuæ naturæ participem, Dei tam immemorem; ut quæ sunt nihilum, æstiment ut Totum. Itaque satage restaurare opprobrium communis naturæ, amando pro omnibus Creatorem omnium. Omnium amorum, quibus filij terræ amant terræ pereuntia bona; reum te crede, & satisfac amando perpetuò æternum Amorem. Omnium inclinationum, quibus res ad centra sua proruunt, debitorem te æstima; nec differas soluere: maiori cum impetu mentem, & amorem efferendo ad cælum, quàm saxum molare devolueretur è cælo. O quale! quantum bonum est illud, cuius vel vmbram tot conatibus amant creata omnia: ad quod aspirat, & concertat totus, & omnis omnium Amor. Tu omnes dispersiones inclinationum, omnes errores cupidarum, omnes inclinationes desideriorum, omnes propensiones appetituum, omnes amores cordium in te congregare labora, ut illis in Deum totus ruas, & corrigas obliuionem hominum.

III. Mendacia rerum sunt longè pernicioſiora mendaciis verborum: sic & mendacium vitæ, quàm linguæ. Et tamen cùm omnia sunt vanitas vanitatum, hoc est mendacium mendaciorum, sinimus illis nostros affectus abripi, nostros amores decipi. Vix præ ira possumus animum componere, si quis nobis impoſuit, stomachamur vsque ad excandescentiam: si quis in re futili, & inutili decipit; & tamen in negotio inæstimabilis momenti, seduci nos non tantum patienter ferimus, sed libenter volumus. Nolumus mendacium audire, vel dicere, & volumus mendacium esse, & viuere. O miseri! nec tamen miserandi, quia ambimus nostras miserias: ab aliis decepti, nostri ipsius sumus deceptores. Existimas grande piaculum, si quis exprobret te commisisse mendacium: & mendacia si raro dicis, perpetuò facis. Præferre cænum cælo, vitium virtuti, tempus æternitati; quo nihil est tibi familiarius, mendacium est operis, quod non excusat silentium oris. Vt per omnes superos fatearis te id non præstare, & iure iurando id confirmes: mentiris strenuè; quia facta probant te, id facere, licet neget lingua. Sicut igitur facta, qualis sis, probant: ita necesse est, quis sis, prodant. Nimis enim quàm verum est:

Arbor vt ex fructu: sic nequam noscitur actu.

29. DIES

Digitized by Google

29. DIES MARTII.

Omnia sub sole vanitas: Proinde supra solem veritas. Martius.

Paulinus epist. 4.

I. QVidquid est sub sole, & infra lunam; non solùm est instar lunæ inconstans, & fugax; sed fallax, & mendax: imò non est nisi mendacium. Iugiter & decipimus, & decipimur, adeoque sæpè sumus decepti, semper deceptores. Quis nisi cæcus, pluris faciet oculum, quàm Animum? Et tamen quilibet ægerrimè ferit decipi oculum, perfert decipi animum. Quàm cautus est homo, quàm prouidus, quàm solicitus, ne erret oculus in selectu lapidum, ne sibi virrum comparet pro adamante: ne lapilli adulterinus color, loco veri, pupillæ imponat. Exigit ab eo, qui vendit, cautionem. Imò quod verus sit lapis, cogunt eum adiurare. O præclari, scilicet rerum æstimatores, qui maximam pro minimis, minimam pro maximis curam gerunt. Quorum industria se occupat circa lapillos, & capillos, & fritillos, circa res friuolas, res nihili, pro quibus nihil non agunt. De rebus vero summis, vbi de summa rei agitur, cura non tantum est vltima, sed nulla: & qui flent decipi oculos; rident decipi animos. Iniúque feras te esse iniquum, & seduci ab iniquis: doleas seductam esse mentem, non oculos. Nefas existimas decipere amicum. Quis te tibi amicior, & fas existimas te decipere? Supra sold quæren.tũ bonum.

II. Magno hominum damno, quin & multorum exitio, veritas ejecta videtur ex communi hominum societate, & hinc supra stelliferos glebos euolasse. Hinc nihil sub sole, nisi vanitas. Pauci sunt, quibus, ut mulieri Apocalypticæ, est luna sub pedibus. Multi sunt, qui Patritij Romani gerunt lunulam in pedibus: imò quibus est luna in capite, verè lunatici, vtpote stulti, qui, ut luna, mutantur. Et ideo quia infra lunam totum est vanitas; nihil est intra hominem, qui est infra lunam, nisi fatuitas. Honoramus nostra damna, affectamus pericula. Si quis in loculis nostris loco pecuniæ poneret siliquas, interpretaremur prorsùs inexpiabilem iniuriam; & falli in bonis virtutis, & gratiæ, autumamus gratiam: nec dolemus, sed cum patientia, imo lætitiâ sustinemus nos habere fictas virtutes, fucatam fortitudinem, adulterinam Patientiam, spuriam Humilitatem, illegitimam Mansuetudinem, bracteatam Constantiam, personatam Prudentiam, larAnoc. 12.

Digitized by Google

Martij. uatam Temperantiam, hoc est, inanes virtutis vmbras, non expressas formas. Vitia in nobis sunt vera, virtutes falsæ. Hinc multi sunt fronte Catones, mente Nerones: vultu Gratiæ, animo furiæ, exteriùs Charites, interiùs Eumenides: coram hominibus toti formosuli, coram Cælitibus toti sordiduli.

III. Itaque cùm omne id quod est infra sphæram lunæ, sit infra dignitatem hominis, adeoque nihil nisi vanitas, fatuitas, iniquitas, mendacium, nihilum: ut tibi ab alto affulgeat veritas, mens efferenda est non solùm supra solum, sed vltra solem. Cælum, Veritatis natale est solum. Est in Deo, & ex Deo: Deus enim ut est Charitas: sic & Veritas. Vna Veritas, lex est omnium virtutum, lux omnium morum, fax omnium scientiarum, Dux omnium agendorum, norma omnium affectuum. Quantum ergo æstimas tui felicitatem; tantum æstima Veritatem. Imo si amas tranquillitatem; si expetis pacem cordis: si ambis illustrationes mentis, Veritatem ama, sic tibi perennabit Virtus, stabit pax, perstabit felicitas, & inter omnia infelicia tibi ipsi semper constabis. Plus oblectat intellectum minima Veritatis obscure allucentis scintilla, quàm oculos sol totus cum toto suæ lucis, splendoris, ac euibrantium radiorum apparatu. Illa duce, & illius luce discernes falsa à veris, mala à bonis, humana à Diuinis. Vnde Veritate nihil est amabilius, sic nec quidquam speciosius. Helena fuit omnium oculorum, ob formæ elegantiam, illecebra: illa tamen comparata cum Veritate, Helena videbitur deformior Hecuba. Accinit mihi Diuus Augustinus: *Incomparabiliter pulchrior est Veritas Christianorum, quàm Helena Græcorum: pro ista enim fortiùs nostri Martyres aduersus hanc Sodomam, quam pro illa mille Heroes aduersùs Troiam dimicarunt.* Itaque ut sapias, sape, & quære quæ sursum sunt, ibi est Veritas: spernas quæ deorsum sunt, ibi est Vanitas, ut fias cælestis, eleuate supra terram. Enim verò:

Epist. 9.

E re terrenâ requies remouetur amæna.

Digitized by Google

30. DIES MARTII.

Animi affectio inhærentis incommutabili bono, proprium, & primum est hominis bonum.

Aug. de lib. arb. l. 2 c. 19.

Martius.

I. PErsto adhuc. Bonum quærere pertinax quod vel post immensos labores quæsitum, ac tandem repertum erit salus reperientis. Tessera hodiernæ diei Bonum hominis proprium, & vnicum digito ostendit, quod est, cum omni alio bono incomparabile, videlicet, Bonum, cui quis affectu inhæret incommutabile. Sub sole non tantum totum est Vanitas, sed Mutabilitas. Tametsi oraculo Veritatis, *Terra in æternum stat*, terrena tamen nunquam sunt in statu, semper in motu; & dum se perenniter mouent, nos vtiliter monent, ut illis bonis, quæ transeunt *tanquam nuntius percurrens*, nuntium remittamus. Terrena omnia in hoc solùm stabilia sunt, quod semper sint instabilia: & in hoc semper sistunt, quod nunquam sistant. Hoc ipsum debemus Diuinæ prouidentiæ, quæ rerum instabilitate nos stabiles in Dei amore, & firmos in eius obsequio reddere studuit. Hinc nullus nisi vecors ea volet deperire, quæ semper pereunt. Et quo pacto poterunt illa menti conferre quietem, quæ omni destituta quiete, nũquam quiescunt? Quomodo stabilem reddent animum possidentis, quæ ipsa stabilitatem non possident? Nullus non mentem in terrenis figeret firmius, si radicem illa figerent firmiorem.

Solum est bonum, quod est incommutabile.

Eccles. 1. 4.

Sap. 5. 9.

II. Mens planè illi est amens, qui velit contumaciter in ea amore ferri, quæ semper ad interitum & ferunt, & feruntur. Quid miraris mortalia mori, peritura interire? Pertinaci volubilitate vertitur fortunæ rota; & nunc se auream, nunc ferream pariter exhibet; ut quæ hodie sunt summa, cras fiant ima; & nunc prospera, paulò post mutentur in aduersa. Tali in rota circumuoluti sunt Dives epulo, & vlcerosus Lazarus: hic enim paulò post ex infimo loco elatus est in sinum Abrahæ; hic depressus vsque ad cẽtrum gehennæ. Nemo igitur fortunæ perfidæ adhibeat fidem; plerunque immodica, modicum durauerunt: Omne lætum, tandem admiscet fletum. In orbe nihil constat, nisi Inconstantia. Vix momentum intercedit, inter cælum sudum, & vdum. Eadem hora mare est vndis placidum, & ventis turbidum. Itaque sæpè fallit illud prouerbium: *Semper feliciter cadunt Iouis taxilli.*

Digitized by Google

Martius.

taxilli. Fronti nulla fides. Venit sæpè fortuna renidenti vultu, tanquàm Comica; discedit furenti, tanquam Tragica: sic soccos mutat in cothurnos; pœana in lessos; rosas in spinas. Si cum aliis est sæua, tibi est blanda, suspectam habe clementiam, nam moræ vsuram exiget, & te è circo felicitatis abiget. Multi mortales non sunt suæ felicitatis patientes; sed cum illis bellè est, quasi bellum indicunt fortunæ, eique ianuam obstruunt; non, ne exeat, sed ne introeat: non nescij, illam non raro eos redigisse ad vltimam inopiam, quibus præbuerat Cornucopiam.

III. Ne ergo susque, deque perpetuo instar pilæ datariæ voluaris, & revolvaris, & constanti vertigine, instar turbinis, omnem in partem verseris; desere, à quibus brevi desereris, quæ sunt infra lunam, bona: & toto amoris conatu adhære illi bono, quod est incommutabile, ut ipse fias immutabilis. Deus semper est vnus; illi ergo adhærens, nunquam eris etiam inter multa, multus: Deus semper est sui similis; illi coniunctus, nunquam eris tui dissimilis: Deus est constans; illi vnitus, inter omnia circa te cadentia nunquam non tibi constabis. Si adhæreas malo nauis, fluctuum pondere, & ventorum turbine, naui in varias partes inclinante, & tu pariter inclinabis. Si adhæreas columnæ, semper stabis immota mente, ut illa suâ mole. Vnde si homo adhæreat mutabilibus fortunæ bonis: nullus vertumnus, & Chamæleon est tam mutabilis; quàm erit voluntas illius hominis. Nullus Euripus, tot ac tantis fluctuum commutationibus agitatur; quantis affectionibus illa reciprocabitur. Nullum horologium, quod destituitur curatore, tam est rotis, & partibus suis dissolutum, atque in horarum significatione præposterum. Nullum Oppidum, in quo vilis plebeculæ seditio grassatur, tam est confusum, & cladi opportunum. Nihil est illi procliuius, quàm ruere, prosterni, iacere: nihil operosius, quàm attolli ad magna. Vt auicula vno pede illigata, paululùm evolat è terra, mox relabitur; iterùm exurgit, mox cadit, & reciproca illa contentione fatigatur. Sic Animus est quasi arundo inanis, Austri, Boreæque ludibrium: quæ vicina quatit, se elidit, & deiecto vertice immaturè siccatur: nunc est cum Castore in cælo: nuuc cum Polluce in Orco: iam nectare, & ambrosiâ victitat: nunc è stygio fonte potat. Illa tanta secum discordia maximè est euitanda. Sic nos hortante Poëta:

In totâ vitâ, tibi discors viuere vita.

Digitized by Google

31. DIES MARTII.

Omne bonum aut Deus, aut ex Deo. *Augustinus de lib. arbit. l. 3. c. 13.* Martius.

I. BOnum à te tanto quæsitum ambitu, tandem reperisti nullo tuo quæstu, immenso fructu. Est Bonum non aliquod, sed omne; non mutilum, sed integrum; non partibus divisum, sed totum. Est bonũ, quod tibi non tantum adest, sed inest; quod non modo tibi est proximum, sed intimum. Fluit per venas tuas, insidet fibris, latet in visceribus, inclusum est præcordiis, residet in corde, insinuat se per artus, permeat omnia membra: denique totus, quantus es; si non es Deus, certè es Dei. Omne Bonum, est Deus, & omnia bona ex ipso, & nullum bonum sine ipso. Hic ergo sta Viator, tenes metam; contrahe vela, occupas portum; desiste à cursu, habes bravium; cane receptui, obtinuisti lauream. Quid quæris supra, vel extra, vel vtra Deum? Ipse cùm sit Bonum summum, est votorum omnium summa. Quo cum melius esse, quàm cum illo esse, quo cum æternùm esse, est beatum esse? Potesnè vel momento ab eo abesse, à quo solo tibi datur esse? Molestumnè tibi sit cum summo Bono esse, cuius deliciæ sunt, tecum etiam vilissimo esse? Cur te Deo subducis, qui te ad omne Bonum manuducit? Solus Deus est bonũ.

II. Adest tibi, cùm illum cogitas, cùm desideras, cùm amas; non iam tantùm per naturæ necessitatem, qua abesse non potest, sed per Gratiæ benignitatem, qua abesse, nisi indignis non solet. Evola igitur ad Deum tuum mente, quod potes; adhæresce affectu, quod debes; qui ne à te vel Corpore abesset, admirabili amoris artificio, illud sub Sacramento condidit. Quid iam indigniùs, quàm anhelantem ad te Deum declinare, qui fugientem à te votis revocare omnibus, & totis sequi desideriis debeas? Tu ille es, quisquis peccator es: desiderat te Deus tuus, & tu fastidis Deum tuum? Colisnè eum, quem vnum colere Maiestas eius exigit, Dignitas eius monet, Beneficentia eius meretur, officium tuum postulat, exemplum omnium monstrat? Colisnè humilitatis tuæ obsequiis? patientiæ victimis, Resignationis tuæ holocaustis, Gratitudinis officiis, laudum encomiis, precum votis? Ita quidem si Deo tuo seruieris, seruiture brevi, æternùm obtinebis, fiesque ex servo vnius, Dominus omnium. Quid dubitas ei servire, qui ipse magis tibi servit,

Martius. servit, cum sit tibi ad tuum votum, omne quod potes optare bonum? Bonus est Pater filio, quem cadentem erigit; bonus est Dux peregrinanti, quem errantem in viam reducit; bonus est Magister discipulo, quem ignorantem instruit: bonus est famenti panis, sitienti potus, algenti ignis, ægrotanti medicina, egenti pecunia, pereunti salus. Hæc bona per varia sic dispersa, Deus habet in se collecta: Deus est totum hoc solus, & amplius cuilibet homini.

III. Nunc igitur cùm sit hæc indoles Voluntatis, ut toto pondere, hoc est amore (nam pondus eius, amor eius) ruat in bonum: & Deus sit omnibus vnum, & primum, & summum Bonum; quidquid amoris in te habes, & ex te effundere potes; sic vires amoris, aliis impende, vt redundet in primum Amabile: & quidquid è cæteris amatur, eius vnius gratiâ ametur, qui solus omnibus amandi dat potestatem; qui vnus amoris omnis est Auctor & hæres, solosque sui amoris amatores, patitur cohæredes. Amandi ordinem suggeram, dum tradam methodum primo declinandi à malo, deinde faciendi bona, vt malus esse desinas, & bonus esse incipias, donec summo Bono à te possesso gaudeas. Amandi artem docebit te, qui vnus in cælesti Academia est Amoris didascalus Spiritus Sanctus. Amandi facilitatem hauries ex frequenti amoris vsu, & exercitio. Amoris fervorem mutuaberis à quotidiana summi Boni meditatione. Vnum in hac Amoris palæstra cave, ne vllum amandi statuas terminum, nec definias tuum amorem certis limitibus temporis, qui amori æterno es conditus. Sic amore temporis, fœneraberis amorem Æternitatis: sic nundinaberis amando ipsam amabilitatem, hoc est, Amorem omnium Amorum. Quotidianam Amori tuo annonam è cælo suppeditabit tibi quotidiana tessera; vt qui amori es devotus, tibi perenne sit amandi non tantum desiderium, sed exercitium. Ne fis illi in redamando ingratus; à quo, vt possis amare, accepisti gratiam. Enimverò est verum illud Poëtæ pronuntiatum:

Est amor ingratus: cum non sit amator amatus.

Digitized by Google

1. DIES APRIL.

Aliis tempora desunt; alij temporibus supersunt. Aprilis.

Valerius Maxim. l. 8. c. 7.

I. ENitêre hocce, quem Deo auspice ordiris, mense; sic vtaris illius tempore, vt sis ex numero potiùs illorum, quibus tempore desunt, quàm qui temporibus supersunt: hoc est, sic vtere tempore, vt nullum tibi effluat illius momentum sine meriti acquisiti fænore. Tempus de omnibus triumphat. Nihil est tam firmum, quod non vi temporis imminuatur: nihil tam sanum, quod non marcescat: Nihil tam solidum, quod non frangatur: nihil tam benè custoditum, quod non corrumpatur: nihil tam sincerum, quod non adulteretur. Denique tempus in omnia, & omnes dominatur, præterquam in æternitatem. Quid ambigis, quin & in te, qui es spolium, & in vitam tuam, quæ est ludibrium temporis, dominetur. Itaque tempus edax, imò vorax, ne dicam rerum omnium vorago, hoc mense tibi adimet triginta dies: forsan ante vltimum illius mẽsis diem, obibis diẽ extremum. Nunc igitur extremum adhibe conatũ, ne hisce, quæ tibi Dei munificentiâ, indulgentur triginta diebus, vivas more Barbarorum in diem; sed ritu Christianorum in annos æternos. Sic mensis huius tempus impende, vt in fine mensis, ita impensi temporis nec pudeat, nec pæniteat. Cum hoc mense germinent flores, esto flos campi.

II. Hic mensis non est tibi datus ad otium, sed ad laborem: non ad pacem, sed ad bellum. Ne frustra sis: non potest otium ex otio nasci: nec voluptas ex voluptate gigni. Error hic est non modo stolidus, sed noxius. Laborandum est, vt quiescas: flendum, vt rideas: pugnandum, vt vincas: vincendum, vt coroneris. Mensis Aprilis dictus est ab aperto tempore: quia iam sinus terræ aperitur, vt varios protrudat flores. Flos, tui est symbolum: sed non quilibet flos. Audi loquentem Iesum Nazarenum, totum floridum: imo florem ipsum Naturæ, & Gratiæ: *Ego flos campi.* Flores, quos ager effundit, non possunt effugere ventorum turbines, imbrium tempestates, cæli iniurias, solis ardores, pecudum morsus, prætereuntium conculcationes. Vis talem florem videre, Christum intuere. Hunc dæmonum, ac Iudæorum implacabilis furor, tanquam immanis quædam tempestas invasit: hunc invidentium ardor, tanquam solis æstus, est conatus *Cant. 2, 1.*

Digitized by Google

Aprilis. exurere: hunc iniquorum maledicta, quasi infestis sunt conata decerpere. Fuit igitur flos campi: non horti, cuius aditus bestiis, & armentis excluditur: non flos lectulo aspersus, qui suo à culmo recisus, nullum ampliùs à radice succum, quo sustetetur, accipiat.

III. Age vero, hic flos campi, ferarum morsibus, tempestatum iniuriis, viatorum pedibus expositus, quosnam comites circa se habet? num molles, num segnes, num timidos? nihil minus, sed fortes, sed impigros, sed animosos. Ille strenua purpuratorum agmina ducit, instruit, hortatur, in armatorum hostium copias impellit. Ipse in sua palæstra in primis edocet sudando, algendo, laborando, plagas accipiendo, & pro iis gratias referendo, ad veræ laudis culmen eniti. Cæteri, qui labores detrectant, qui aciem, puluerem, solem, dum standum est in armis, effugiunt: nec Ducis sui exemplo acuuntur: perinde faciunt ac miles, dum somni nescius vigilat Imperator: dum aciem contra hostem educit, signa confert, prælium init: ille nec imperium accipiat, nec ad arma confugiat, neque è tabernaculo prodeat: sed altiori somno oppressus, molliter in culcitra cubet, vel in herba stratus, otiosè recumbat, vel plumis insepultus oscitando stertat. Talis, si iure cum ipso agatur, non tantum non donabitur vt emeritus miles, donativo: sed mulctabitur vt infamis supplicio. Quapropter, dum cum Aprili aperitur terra, vt germinet flores: esto vt flos campi, non horti: iniurias, quas perferas potiùs speres, quàm formides: mala, quæ patiaris, magis expetas, quàm horreas: aduersa, quibus premaris, ambias, non fugias. Memor, maximum esse malum, non posse pati mala: certus, nihil esse malum, nisi quod te efficit malum. Semen tristitiæ; erit tibi seges lætitiæ. Si velis esse æquus arbiter; quos subis labores, debes interpretari esse Dei fauores. Quo impensior fuerit, qui præcessit labor; eo suauior erit, quæ sequetur quies. Sic suffragio Poëtæ:

Charius est charum, si prægustatur amarum.

Digitized by Google

2. DIES APRIL.

Initium bonorum, est abstinentia peccatorum. *Ambrosius in enar sup. Psal. 1.* Aprilis.

I. QVod docuit David, dicendo: *Declina à malo, & fac bonum.* Et quod fecit Filius David, noster Emanuel, scilicet, *reprobare malum, & eligere bonum*, hoc vt facias, suadere incipio, persuadere satago. A, sive principium omnis Boni, est ω sive finis omnis mali. Tunc incipis esse bonus; dum desinis esse malus. Non inclinabis in bonum: nisi priùs declines à malo. Itaque à malorum fuga, sumendum est initium; antequam in virtutum incumbas exercitium. Ratio est in confesso. Sicut Gratia Naturam non destruit, sed perficit: ita Gratia in hominis, dum illum in spiritu parturit, *donec formetur Christus in eo*, regeneratione sedulò æmulatur. Eâ ergo lege, qua mater natura, quamvis primò intendat generare, quàm corrumpere: priùs tamen corrumpit, quàm generat. Vnde conspiranti assensu Philosophi asserunt: *Generationem vnius, corruptionem esse alterius.* Sic in hodierna tessera, tametsi initium salutis nostræ, sit generatio bonorum, sive Virtutum, præmittit tamen abstinentiam peccatorum, hoc est, vitiorum corruptionem. Adumbrabant hoc documentum, vt Petrus Cellensis tradit: duo Cherubim collocati in lateribus Arcæ: nam sic Philosophatur: *Duæ partes oraculi, sunt remotio Malorum, & adoptio Bonorum. Vnusquisque propitiatorij Cherub, est in latere vno, qui fugat mala à nobis: alter in altero, qui acquirat bona nobis. Totum enim, quantum ad nos officium Angelicum est, vt defendant nos à malo, & conseruent in bono.* Duo igitur vt sis bonus, & quod sequitur, beatus, requiruntur; primum, remotio malorum, deinde adeptio bonorum.

Initium boni, est recessus à malo. *Ps. 36. 27. Isa. 7. 15. Gal. 4. 19. l. 1. Myst. ex pos. Mosaic. tabernac.*

II. Illi accinit D. Basilius, dum comparat pietatis exercitationem scalæ à Iacob visæ. *Quemadmodum in gradu scalari, prima est ascensio, ab humo recessus: sic in exercitatione Diuinæ conuersationis principium profectus, est discessus à malo.* Nec enim terminum, ad quem perfectionis attinget: qui terminum, à quo imperfectionis non relinquet. Basilij æmulator & D. Ambrosius, ad eandem scalam Iacob, alludit per quam vidit Angelos ascendentes, & descendentes: vbi ab imis ad summa ascenditur; & à peccatis, ad virtutem progressus fit. His ergo te admonet verbis: te vrget stimulis;

In homil. sup. Psal. 1.

Aprilis. *Supra citatus,*

mulis, te pungit aculeis. *Ne fastidias, ô homo, primum illum velut vilissimum gradum. Ille primus ascensus te à terra separat: aërem calcas, vbi ab humo eleuaueris vestigium. In virtute positus, surgendo liquisti terram: Terram relinquis, si culpam declinas. Exordium ergo processionis ad virtutem est, abstinere à peccato.* Sic itur de virtute ad virtutem: sic fiunt ascensiones in corde: sic videtur Deus Deorum in Sion, & sic devictis vitiis, perdomitisque animi affectionibus, scalas nobis faciemus, per quas ad virtutis fastigium, ad Beatitatis præmium, ad amarantinam, immarcessibilemque coronam, & ad cælestem gloriam ascendamus.

III. Nunc igitur, ut quod tanto conatu investigasti Bonum obtineas, incipe mala deserere, ne te priùs iam malum deserant. Plus Deus optimus odit mala tua, quàm tu pessimus nunc odisti, vel priùs amasti. Plus Deum precare, ut abluat tuas culpas, quàm ut remittat pœnas: nec tam flagites pœnæ indulgentiam, quàm culpæ veniam. Opta quantum tibi fas est optare, omnium creaturarum desideria, posses in vnum cogere: & velis omnia simul desiderare, ut vindicet eius Iustitia tua scelera. Si in Deum verecundia cadere posset: nullius rei sic eum pœniteret, nisi quod tam horrificum, & abominabile monstrum, qualis est homo peccati letiferi reus, conseruet in mundo. Vnde plus meretur, quàm locum tartari: meretur esse extra omnem naturam, ne dehonestet illam, qui dedecorauit decus eius, occidit, quantum in eo fuit, Patrem eius: abstulit coronam creaturarum de capite eius: contemnendo Auctorem, singulas creaturas dehonorauit: ideo deberet esse scopus odij omnium, qui peccando confudit omnia. Fuit enim dedecus naturæ, iniuria Gratiæ, irrisio Divinæ voluntatis. Aspicis hic tui imaginem, quæ est omnium turpitudinum, ac monstrorum complexio. An adhuc tibi non displicent malatua? festina, sed non lentè, declinare mala, quia periculum, ne dicam exitium est in mora. Subscribit mihi dicenti, Poëta, dum ita scribit:

Prorsus, & absque mora, mala declinare labora.

d by Google

3. DIES APRIL.

Malus, etiamsi regnet, seruus est tot Dominorum, quot vitiorum. *Augustinus de Civit. lib. 4. capite 3.* Aprilis.

I. QVicunque exposa est seruitus, ut eam evadat, sit vitiorum Dominus. Propone tibi compedes, manicas, vincula, remiges, & quidquid arctiori seruitutis iugo ingenuum potest addicere, nihil inuenies tetriùs, nihil serviliùs, & humiliùs, quàm hominem vitiis ancillantem. Porrò quidquid servilis conditio patitur, ad triplex referri potest caput malorum. Primùm, servus non facit, quæ vellet. Secundò, quæ nollet, facit, & patitur. Tertiò, tam diu, & tanta patitur ab eo Domino, cui se non à natura, sed à fortuna subiectum videt. Hæc singula patitur vitiorum servus. Primùm enim non facit bonum, quod sæpè à Conscientia monetur facere: & quò, antequam vitio est obsecutus, conscientia erat religiosior, eò post stimulus est acrior, vermis mordacior, status animi calamitosior, cùm hinc ad bonum trahitur, inde retrahitur. Hoc porrò cruciatu caret quivis alius servus, qui licet pro arbitrio suo, non omne quod vellet, agat, potest tamen si velit, semper benè agere, semper Deum diligere, semper propter ipsum pati, quod est bonorum omnium optimum. Vitia vitanda, quia inducunt seruitutẽ.

II. Deinde servus vitiorum, quàm multa præ aliis servis, quæ nollet, patitur! Quanti metus, quanti angores, quanti stimuli, quantæ angustiæ, vel ab omni generatim vitio, vel particulatim à singulis, quibus singillatim annexæ sunt suæ pungentes spinæ, suæ mordaces curæ, suæ subsequentes furiæ. His, qui famulantur, meritò appellaveris servos servorum: Dici servum servorum Dei, est prima, in Ecclesiastica Hierarchia gloria, at esse servum servorum dæmonis, est vltima ignominia. Ipsi enim sunt servi servorum, servorum. Ipsi servi, quibus serviunt aliis, qui serviunt. Singuli amatores exteriorum binos Dominos habent, qui singuli sunt servi: vnus Dominus internus, alter externus. Irrationalis, brutusque appetitus, cùm adversus rationem insurgit captiuam illam facit: sequae captiuum simul cum illa tradit his externis heris, mancipii sque fortunæ. Quin & hæc potens Domina impotenti sui libidini servit. At quod propudio-

pudiosum magis est, istud nostrum multiplex servitium liberum, aut libitum est nobis. Improborum herorum iussa servi etiam improbi invitè exequuntur, nos libentes exequimur ea, quæ improbus appetitus cum damno nostro imperat, & post externa fugientia impellit.

III. Denique non tantum vt plurimum, vni tantum seruit Domino, qui alteri seruit: sed vel non servit omni loco, vel non omni tempore, vel solis tantum hominibus: à quorum statu non multum distare potest, cùm sit ipse homo. Sed peccator, ut ostendi, tot seruit Dominis, quot vitiis: vbique, & semper suæ servit libidini: vel si non semper, hinc graviùs dolet. Quinam verò sunt Domini, quibus servit, quàm abiecti, quàm viles: quàm longè ab hominis Christiani dignitate remoti, nempè appetitus naturales, qui animum impetunt, quibus se belluis similem reddit, quibus se dæmoni subiicit, qui se infra peccatum, quo nihil detestabiliùs, se tamen infra, ponit, qui peccato servit, quia Domino servus est inferior. Potestnè cælum intueri parem seruitutem, qua carni subiicitur spiritus, ratio concupiscentiæ: Deus mundo, Christus Dæmoni, & Æternitas momento? His accedit, quod eo servitus est durior, quia liberior. Ideo enim suum sibi servum ligat strictiùs, & torquet sævius. Nam si postea pertæsus intolerabilem quam serviebat servitutem, sic se ab ea velit eximere, mirum quantum ex seipso crucietur. Tunc enim volet, & nolet: tunc placebit vitium, & displicebit, tunc ita fiet amara iucunditas, vt quia iucunditas est, semper ametur, quia vero amara est, sic semper amari doleat. Qua sibi oppositi, & contradicentis animi repugnantia, quid amariùs, quid crudeliùs? si nemo suffragio ipsius Veritatis potest duobus Dominis servire, quomodo poterit sexcentis, & pluribus? Accipe pensum meum:

Deficit ambobus, qui vult seruire duobus.

4. DIES APRIL.

Aprilis. **Nihil magnis consiliis tam inimicum est, quàm celeritas.** *Livius l.* 31.

Vitia contra prudẽtiam: primum, est celeritas.

REcensurus, cathalogum vitiorum, ordior ab illis, quæ mores spectant: hæc inter primùm est, quod adversatur primæ inter Morales Virtuti Pruden-

Prudentiæ, videlicet Imprudentiæ; cuius ut pessimi oui, pessimus est pullus, Aprilis. Præcipitatio, quæ opponitur rectæ consultationi. De salutis, hoc est, summo quod tractas negotio, delibera cum otio. Qui præceps est, is nec finem, qua par est tranquillitate animi, constituit; nec media ad finem suis, ut decet, momentis librat: hinc nec vnquam à metu est liber. Nam inconsulto quodam impetu abreptus, vniuersum reliquum progressum, incondito tumultu, ac tenebris, seraque tandem pœnitentia, & malo exitu complet. Scelera impetu, bona consilia morâ valescunt. Hinc melior est consulta tarditas, quàm inconsulta temeritas. Præcipitando destitues rem, restitues cunctando. Quisquis in deliberando est præceps, proximus est præcipitio. Ideo qui fugit in rebus magnis hallucinari, quem pudet pœnitere: illi prouidendum est in primis, cùm ad deliberandum de rebus magnis accingitur, hoc est de fine, siue mediis, ne illo insitæ cogitationis quasi æstu abripi se sinat: sed mature cum otio, sedate cum consilio omnia præmeditetur.

II. Vt in arboribus: sic in tuis operibus erit quædam quasi sideratio, nisi illa præcedat prudens consideratio. Hoc est negotiosum illud otium, quo negotia diligenti, & attenta consideratione, nec non singulari cum Deo communicatione prius expenduntur, quàm expediuntur. Sic enim vel ante opus præcogitando quid, aut quomodo fieri debeat, rationem quodammodo suis impertit operibus: vel post opus recogitando quid actum sit, ex ipso suo opere rationem elicit, & disciplinam, qua illud ipsum opus aliàs perfectiùs operetur. Ad hæc autem opus est otio, siue ut singula diligentius pertractentur, siue ut intricata explicentur, siue ut difficilia explanentur. Ad hanc sedulam considerationem nos moueant infinita, quibus circumsepti sumus, pericula. Immensa est corruptæ naturæ imbecillitas, quam infinitæ difficultates legis obseruandæ circumsident. Nos quasi per rupes altas semita peranguſta iter facimus, præcipitiis hinc inde horrentibus, & nimium quantum profundis, in quorum vel solo aspectu caligent oculi, vertigine mens capiatur. Circumeunt nos iugiter aëreæ potestates, dæmones, quibus mille nocendi sunt artes, tot ingenia, tot perdendi nos machinationes, tam ferox animus, qui in saturabili cupiditate in perniciem nostram immineant. Tot inter pericula hostes, insidias, machinas, laqueos. Quis sine prudenti cautione, & perenni industria, & acri diligentia, potest declinare calamitatem, consequi salutem?

III. Casura omnia extant, omnibus manet exitus: siue à cælo, siue à terra, siue ab homine, siue à dæmone, certè à tempore. At iusti imminentia pericula prouidentissimè subodorantur, & velut è specula prospiciunt,

Aprilis. & imminentia mala solerti anteuertunt notitia, & præsaga casibus occurrunt sapientia. At qui est præceps imminentes sibi calamitates, nec prudentia præcauet, nec solertia præuidet, nec consiliis eludit. Gratiora sunt sunt medicamenta, quæ præuertunt morbum, ne infester, quàm quæ leniunt, dum infestat. Nemo in ipso conflictu expectat armari: veniat iam miles in aciem cum lorica in pectore, & galea in vertice, & gladio in dextera. Ante ictus fortunæ præmuniendi sumus. In ipsa securitate periclitemur, quantum in pericula possimus. Turbat repentinum vulnus, percellit telum non præuisum, occupat improuisus dolor, resistit sensus non priùs mollitus præuisione. Itaque ad vtramque fortunæ manum adornemur, & armemur, & cuique operi præmittamus exploratores cogitationes: quales exitus eueniant, quales euentus obueniant, quales interueniant casus. Eosdem tibi potiùs expecta, quàm timeas. Amentis est sponte, sine causa, gratis periclitari. Semper periclitatur, qui agenda non præmeditatur. Quapropter velim hanc gnomam omnibus inscribi floribus, imo singulis inscribi mentibus:

Peruigili curâ semper meditare futura.

5. DIES APRIL.

Attende quæ vides; crede quæ non vides. *Augustinus l. 50. homil. 32. c. 4.*

Inconsideratio. I. SEquitur alterum, quod prudentiæ repugnat vitium, Inconsideratio, siue nulla rerum ad salutem spectantium Attentio. Hinc tanta illa in plerisque hominibus intellectus cæcitas, & voluntatis peruersitas: quia nec attendunt, quæ vident: nec credunt, quæ non vident. Plerique non ignorant, quid facto sit opus: sed præ affectus deprauatione, intellectus cæcutit, id est, actu non exeritur lumen rationis: quod præsertim in rebus nostris solet contingere, ob ardentiorem affectum, à quo spissior, & tetrior fumus subuehitur, vnde iudicij obcæcatio. Ut igitur toto animi nisu ad æterna contendas, hæc pauca attende. In hac vita, positus es veluti in via ad patriam, in cursu ad metã, in palæstra ad præmium, in naui ad portum, in mundo ad experimentum, in carne ad tentationem. Iterum hæc attende, & expende. Primùm elementum salutis est, Rectè sentire: alterum, sincerè velle: tertium, perfectè exequi. Attende ergo cur viuas, & qua

ratione

ratione velis viuere, non ut libet, sed ut licet, & expedit. Age, ut vita tua sit non mendacium sine honore, sed artificium sine errore: cuius magistra, sit veritas, disciplina sanctitas, fructus felicitas. Aprilis.

II. Rectè senties, fide docente, Ratione discente, sapientia æstimante, Prudentia consulente, scientia dirigente. Ut scias, multa leges, plura audies, plurima considerabis. Paucis deest sciendi curiositas, plurimis intelligendi studiositas. Mirum orbe tam erudito, tam multos esse inscientes, & inertes. Nulla non die, nulla non in Typographi officina sudant præla, feruent operæ: sciendi nulla satietas, scribendi nullus finis, & tamen agendi non tantum parua, sed nulla est cura. Multa leguntur, sed lecta non seliguntur, vel selecta non attenduntur. Legere quæ scripta sunt, legentis ferè beneficium est: scribentis præmium est. Verùm cur tot inter scriptores tam rari actores, tot inter lectores, tam pauci imitatores? Quia quæ legunt, delibant oculis, non expendunt animis. Non consideramus consideranda. Alia omnia cogitamus præter cogitanda. Caute fecit Natura, quod cerebro frontem obduxerit: nemo hominum est, quem non vehementer puderet cogitationum suarum, si in conspectum venirent: & singulæ velut in theatro personam suam sustinerent. Nemo profecto sit: licet sapientia Plato, & grauitate Cato, qui auderet cogitationes suas aperire, tam sunt futiles, inanes, insipientes.

III. Quid non molitur phantasia? quid non designat? Nulla communior phantasiæ vanitas, quàm quod quisque velit esse faber fortunæ suæ. Quot machinæ? si manus ad exequendum tam essent promptæ, quàm promptus est animus ad excogitandum: tot ferè haberemus Cæsares, quot sunt homines. Stulta est phãtasia eorum maximè, qui sibi sapientes videntur. Nunc arces, nunc muscas insipiens capit: modo in Chimæras, mox vertitur in hircoceruos, ridiculâ cerebri momentis singulis penè per phãtasmata Metamorphosi. Cogitationes, cui rei sese affixerint, eius protinus formam assumunt, & cultum. Expende nunc quibus obuoluta sit tenebris, quotque laboribus exposita rerum, præsertim Dei naturalis inuestigatio. Quanta Gentiles contentione laborârunt, ut rationem assequerentur in maligna luce discurrentem. Quàm rari eo sunt solo naturæ lumine progressi, ut scientiæ de Auctore naturæ particulam aliquam attingerent. Plurima sunt sensuum ludibria, vana est multorum experientia, vtu ipso nonnulla creantur præiudicia, multa circumstant, quæ fucum faciunt. Nos interim Appetitus nostros audimus ut Oracula: cùm tamen nihil nobis suggerant nisi mendacia. Qui audit adulatores, quorum vnum est studium placere hominibus, plurima falsa opus est credere: sic qui passim audiet blan-

Aprilis. blandientem sibi suum amorem, passim decipietur. Radix vnde pullulat, omnis hæc in rebus grauissimis deceptio, est mentis inconsideratio. Nemo prope est inter omnes, qui quid egerit, respicit, quid agat, aspicit, quid acturus sit, prospicit. Igitur audi malè consulte egregium tibi consultorem.

Rem præcedentem videas, & cerne sequentem.

6. DIES APRIL.

Leuis est malitia; sæpè mutatur non in melius, sed in aliud. *Seneca epist.* 47.

Inconstantia. I. INconstantia, quæ est tertius eiusdem ordinis defectus, dicit cassationem à recto iudicio semel susceptо, quod continuatum oportuerat, & alterius, saltem practicè falsi, subinductionem. Alioquin si de eo, ad quemcunque reflatum dimoueamur, & velut arundines vento quocunque agitari consilia sustinemus, malè in consultandâ, & inuestigandâ veritate locatus erit labor. Vti leuis est malitia: sic & leuissimi sunt mali, ut qui desultoria leuitate mutantur raro in melius, sæpè in deterius, plerunque in aliud, quia semper ab iis qui fuerunt, sunt alij. Nihil est humana voluntate mutabilius, nihil quod in bono fluctuet magis, coloremque, & naturam sæpius mutet. Nec Chamæleon de corio suo ita ludit, ut de moribus homo: neque aër, elatæque nubes tot sumunt effigies diuersarum rerum, quàm ille diuersitatem affectuum. Vnum Proteum excogitauere fabulæ, in genere illo famosum: nos infinitos propè videmus Proteos, de quibus quid paulò post futuri sint, nemo liquide pronuntiare, ac ne ipsi quidem posse videntur, cùm mutatitio in Euripo iactentur. Qui heri ex adamante factus videbatur, Martio pectore, magnanimus Heros, hodie est omni muliere imbecillior, fractus in libidinem, delitiarum cupediis effæminatè mollitus.

II. Quæ maior inconstantis animi leuitas excogitari potest, quàm cùm modò cum Deo pepigeris de Diuinis legibus obseruandis, post paulò tui degener, oblitusque Dei, in vitium ruas, & infanda voluntate pium Numen violes? sic consistere in gradu honesti, & innocentiæ, non dico ad annum, sed mensem, sed vnum diem non possis. An non hoc ipsum indicat, hominum mentem omni pinna ventorum indice leuiorem, propè ipsis auris

auris mobiliorem esse? Propone tibi hominem aliquem, qui tibi amicam Aprilis.
hodie explicat frontem, cras auersam à te contraher: manè lachrymis madebat, vesperi risu dissoluitur: horæ intervallum est inter amorem Oresteum, & Vatinianum odium. Sunt non pauci illius indolis homines, qui ab animi mobilitate toties, quoties horologium sonat, aut potiùs ventus, nunc in bonum, nunc in malum deflectunt. Homines diarij, imò horarij. Vnica lectio, sæpè legentis est mutatio, sæpissimè perditio. Verbum lascivius, contuitus cupidior, societas nequior, illos in transuersum agit: vno eodemque die est Angelus, & dæmon: Nero, & Plato: leo, & lepus: aquila, & noctua. Sic ut nihil sit in homine, nisi perennis quædam, ac reciproca animi agitatio, & circumrotatio, & fluctuatio; quasi omnes Ixionia in rota pendulos videremus, continua vertigine vagos, nunc imos, nunc subito deinde altos: vno verbo, semper mutabiles.

III. Hinc in nos quadrat illud Regij Vatis: *Ascendunt vsque ad cælos, & descendunt vsque ad abyssos.* Vita nostra nihil est aliud nisi ascensus, & descensus; & continua mutatio ab innocentia, ad malitiam, à libidine ad continentiam, à prudentia, ad stultitiam, à summis cæli, ad ima terræ. Ut igitur semper inter dissimilia sis tui similis, ut in eodem immobilis consistas statu, persistas gradu; Deo, ut basi nitere, qui est ipsa immutabilitas. Fultus hac firmitate, non eris infirmus. Affixus vni Deo, semper eris vnus, nunquam alius, nunquam non idem. *Qui adhæret creaturæ, cadet cum labili.* Creatura omnis obnoxia est casibus, cum illis, eris caducus, sustentare te non potest, quæ ipsa nequit stare, vtpote in casum non modo prona, sed præceps: itaque laberis cum labente, deficies cum deficiente, peribis cum pereunte. Quod si Deo adhærescas, non viuendo nisi in illo, in quo, & per quem omnes viuunt; propter illum, euades immobilis, velut Acroceraunia rupes, quæ mole sua stat. Sine Deo ruunt Gigantes, qui ut Ahenei montes videbantur, nullis machinis mouendi: sine illo omnis nostra contentio in medio cursu frangitur. Ille, qui in se immobilis, dat cuncta moueri; dat & cuncta instabilia stare. Sine illo ergo nulla constat constantia. Illius, enim (si Poëtæ credis.)

Virtutis munus præstare potest, Deus vnus.

Ps. 106. 26.

Tho. A. Kemp.

7. DIES APRIL.

Aprilis.

Remittere animum, quasi amittere est, *Musonius.*

Negligentia.

I. INter Imprudentiæ vitia, non est vltimum, Negligentia: quæ cùm animum operantem ad ferias cogit, & remittit; perinde est, quasi amitteret. Hæc disconuenit cum præcipitatione, & Inconsideratione, quod illa duntaxat sit circa Consultationem, cum impetu susceptam; hæc vero circa solum iudicium de re aliqua oscitanter, & leuiter obitum: Negligentia autem sit torpor voluntatis refugientis laborem suscipiendum, in vestiganda latente veritate agibilium. Quod dixit Hyginus de somno; nimirum ex Nocte, & Erebo satum esse; id æquius de Negligentia, & Torpore dixeris. Fœtus gemelli sunt monstrosi, ex Orco nati, in quibus vnum grande, tumidumque est caput sine cerebro, nictantes oculi, putre pectus, manus adstrictæ, pedes propè nulli, inanes, & radentes humum cogitationes circumuolitant. Dedecori, & Ignominiæ quotidie litant, Magistro Epicuro gloriantur, protodidasculo satana, & pro symbolo gentilitio ferunt: *Nihil agere*: Negligentiam, Erebi esse prosapiam, inde coniice, quod nihil magis sit repugnans Deo, quàm ignaua, & somniculosa, & abhorrens à præstanti vitæ conditione cessatio. In Deo enim inesse perpetuum motum, necesse est, inquit Aristoteles: vnde qui tollit actionem à Deo, tollit ipsam Divinitatem, quæ fons omnium actionum est; cùm ipsa actio, cura sit ipsius Dei: atque ut ita loquar anima vnde & dicitur Actus purus.

L. 2 de cel. c. 3.

II. Nunc autem sicut Deus est semper agens; sic in omnem, quam condidit naturam, motionem quandam, & impetum ad agendum impressit; qui perenne testimonium est conditionis, & prædicatio Opificis. Hinc videmus, quæ in hac rerum vniuersitate sunt perfectiora, & Deo viciniora; eo magis vim agendi, motumque participent, quadam veluti Diuinitatis imitatione. Liquet in Angelis, in quibus est iugiter agilis, viuida, & quietis expers motio; ac indefessa, nec vnquam interrupta operis functio. Mouentur autem vel in orbem cum summi Boni, ac summè pulchri illustrationibus, principio, ac fine carentis coniunguntur: quæ est diuinissima motio; vel directo eunt cursu, cùm videlicet inferioribus consulendi

ſulendi cauſa, iuuandique prodeunt, & recta omnia perficiunt. Hæc eſt pulcherrima politia Angelorum; à quibus cùm diſceſſeris, nihil inuenies animo noſtro auguſtius, & ſimilius Deo: hinc in eo perpetua etiam motio animaduertitur. Vnde Tullius ex Ariſtotele dixit: *Animum eſſe, quaſi continuam quandam motionem, & perennem.* Eſt verò tam proprium Animo moueri, ut ne in ſomno quidem, cùm iuſtitium veluti quoddam eſt, quieſque iuſta, poſſit eſſe otioſus, niſi luxu, & intemperantia quodammodo conſtrictus, atque obrutus in abdomine conſepeliatur. Maneat igitur certum, eſſe à Deo impreſſam in naturis rerum vim agendi, vt veſtigium Diuinitatis, omnia mouentis, & excitantis, *in quo viuimus, mouemur, & ſumus.* Aprilis. 1. *Tuſc.* *Actor.* 17.

III. Errant igitur, vt Deo quàm diſſimillimi, homines deſidiosè inertes, qui à corporis, animique contentione abhorrentes, ut glires ſomno, & quiete pingueſcentes, languidis liquefacti voluptatibus in deſidia conſeneſcunt: ſic itur ad Orcum. Callis ad aſtra eſt ſalebroſus, & arduus. Deus laboribus omnia vendit, felicitatem maximè. Quo carius venit, eo carior venit ſalus: proponitur vt corona, certandum: eſt vt merces, laborandum; vt bravium, currendum. Quæ ſine labore, non eſt ſine periculo vita. Aquæ ſtagnantes facilè putreſcunt. Otio fatigatur animus, iuxta ac corpus nimia felicitate. Quid ajo felicitate? Nulla eſt in corporis voluptate, felicitas. Deus bone, quot inde mala! in corpore, quot morbi, in animo, quot vitia? Age, quid agimus pro promiſſo præmio? Etiam vnius horæ in cælo gloria, meretur æternitatem laborum. Inertia, meritorum eſt tinea. Si deſideas, neceſſe eſt continuo, & mæreas, quia nihil merendo cogeris portare pondus diei, & æſtus. Imò miſericordiam, & profuſam liberalitatem Dei compeſcit negligens: in maximos peccatores, Deus maximè eſt liberalis, & erga prodigos filios, tantùm non prodigus eſt Pater: at erga negligentes, quaſi auarus, & parcus: illis non dat, quod aliis donat. Imò Deus, qui omnibus dat, à negligentibus aufert: talenta, quæ dederat, aufert à pigro. Quid magis noxium, quàm quod non ſinit, quatenùs in nobis eſt, Deum beneficum eſſe? Quid magis malum, quàm quod Deum non ſinit nobis eſſe bonum? Itaque fuge inertiam, & cum Deo operante operare, iuxta vulgare mettum:

Eſto laborator, Deus eſt tunc auxiliator.

8. DIES APRIL.

Aprilis. Si quãndo fatuo delectari volo; non est mihi longè quærendum, me video. *Seneca Epistola 36.*

Astutia. I. SEquuntur iam Prudentiæ quædam veluti simiæ, ac imitatrices, cuius fuco, ac specie inani comuntur, & larua teguntur. Has inter tenet primas, Astutia, quæ cùm ad malum vsum assumitur, & ob eum omnia molitur; non est, nisi personata prudentia, quæ vocatur *Prudentia carnis*, quæ est stultitia apud Deum. Nulla enim est imprudentia mentis, quàm prudentia carnis. Hanc si calles, fateor, es callidus: sed nec illud diffiteor, vel ideo es fatuus. Hinc si tibi volupe est cum fatuo agere, non est quærendus apud Garamantas: non tantum est apud te, sed tecum, imò in te, quia es ipse tu. Qui hac prudentia callent, sunt veteratores callidi, versipelles, fraudum opifices, astutiarum fabri, in machinis construendis vigiles, in parandis insidiis prompti, in dissimulando belli, in simulando arguti, in nocendo infames. Vident quidem in tractandis mercimoniis, in parando breviſſimo honoris choragio, in litibus ad fallaciam struendis, vias omnes, rationesque norunt augendæ rei suæ: possunt etiam ingenij vi, & scelerata machinatione illudere aliorum luminibus, & incautos in fraudem inducere: si expugnanda aliena impudicitia, si vicini fraudandi, si rependum ad potentium gratiam, si aspirandum ad dignitates, si domus iniustè ornanda, nullæ deficiunt artes, sunt ex historiis, Lyncei, è fabulis, Argi: vbique centoculi.

II. Sed illi ipsi, qui sunt in negotiis terræ perspicaces Aquilæ: sunt in negotiis cæli cæcutientes Noctuæ. Non cognoscunt legem Domini, quam singulari audacia violant: non intelligunt imperantis, minantisque Dei potentiam, & seueritatem, quam despiciunt; non turpitudinem vitij, quam ignorant: non eximium decus Honestatis, quam pensi habent: non præmia bonorum operum, quæ vilipendunt, non beatarum mentium societatem, de qua nunquam cogitant. Est lippitudo in oculis: in mente caligo: in iudicio tenebræ: & quia omnia illorum studia, consilia, vanæ, & importunæ cogitationes in negotiis mundi occupantur: planè in cælestibus caligant: & dum splendor dignitatum, quæsitique inter homines honoris illudit:

ludit; dum sensuum lenocinia, & blandæ vsura voluptatis, aut nummi fulgor, & inanissimi lucelli aura, quatit animum; tenebris innubilatur acies mentis, & cæcâ quâdam caligine circumfunduntur. Illi sunt negotiatores terræ, fucatæ prudentiæ amasij; qui in humilibus, abiectisque negotiosi, viuidi, igneique; in cælestibus, & Diuinis stupent. Ex hac prudentia carnis oriuntur in familiis noxæ, in foro malitię, in pactis, conuentisque doli, in amicitia præstigiæ, in agendis rebus circumscriptiones, in probos calumniæ. Aprilis.

III. Iactent se licèt, & se pulchros, ac beatos putent Filij huius sæculi; quod exquisitâ industriâ, & subtili artificio ad pinguia beneficia peruenerint; quod floreant indies magis, opesque parent iam cumulo, & magnitudine inuidiosas; quod Magistratu, aut aliis honoribus potiantur; quod familiam locupletauerint: in litibus inuicti, in mercimonio strenui, in agendo fortunati; si tamen Dei metu, & Christianâ careant prudentiâ, Dei Filius, hoc est Increata, & Incarnata Sapientia, eos stultos vocat. Hæc stultitia in omnes propè homines grassatur. Elige hominem, qui in Academia, est quasi sapientiæ Antistes, scientiæ oraculum. Hunc si videres in theca pretiosa seruare lutum, aut fimum; & inde abiicere gemmas, & adamantes: hunenè prudentem æstimares, nonne insipientem existimares? Et quomodo prudentem iudicas, qui non semel; sed semper cor suum implet ambitione honoris, cupiditate opum, aviditate voluptatum; quæ omnia arbitratur Apostolus' non nisi stercora? contra verò flocci facit Diuitias Gratiæ, promissa Gloriæ, possessionem cæli, merita Christi, perfectiones Dei; ac ipsum denique rebus omnibus postponit Deum. In hoc vnum intendunt filij huius sæculi; vt spernant illa, quæ perstant per omnium perpetuitatem sæculorum: satis est, si hîc turgeant fastu, & polleant astu memores illius:

Astu vincit homo, cuncta creata solo.

9. DIES APRIL.

Aprilis. **Deus sic curat vnumquemque nostrûm, velut solùm curet; & sic omnes, tanquàm singulos. *August. l. 2. Confes. cap. 11.***

Sollicitudo nimia in temporalibus.

I. ASstutiam subsequitur Solicitudo, quæ tunc prudentiæ opponitur, dum totam Rationem absorbet excessu cogitationum de rebus temporalibus. Quid te angit, imò solicitat solicitudo; cùm tantum tibi vni invigilet tota Dei providentia, ac si in tota hac rerum vniuersitate esses solus? scilicet Rex, qui omnibus providet, qui sibi sunt à manibus, à pedibus; à literis, ministris, colonis, agasonibus, mancipiis; imò falconibus, canibus, equis, felibus; Filium suum primogenitum, vnigenitum, Regni hæredem, sceptri successorem; quem vnum gerit in oculis, alit in fibris, habet in delitiis, destituet rebus ad vitam necessariis? Expende hodiernæ diei tesseram, & mitte de rebus perituris curam superfluam. Sed vna est hominum solicitudo: nescio, an deploranda Heraclii fletu, an explodenda Democriti risu? quæ tota vergit ad terram, & quæ sunt terræ; ad corpus, & quæ sunt corporis. Pro quæstu pecuniæ labor maximus, cuilibet est levis: pro auctu Gratiæ, labor minimus, cuivis est gravis. *O grauis corde!* verè excordes, & væcordes. Septem annos impendimus pro politioris literaturæ scientia: vix totidem dies, pro excolenda, & expianda conscientia. Litigamus pro vmbra asini: vix ad diem laboramus pro regno Dei. Vbi agitur de re nauci, vt omnia perspiciamus, sumus oculis Lincei; vt laboremus, manibus Centimani; vt curramus, sumus pedibus Mercurij. Vbi agitur de æternitate felicitatis, sumus toto & corpore, & animo paralytici, tepemus, languemus, iacemus, desidemus.

Psal. 4. 3.

II. Quæ negligi sine periculo poterant, certatim quærimus: quod apprimè curandum erat, contemptim negligimus. Vt sit fertilis ager, vt domus composita, vt officiosus servus, vt solicitus procurator, vt splendida vestis, vt nitidus equus, vt pulchra vxor, vt compta ancilla, vt cultum corpus, nemo non strenuè laborat: vt sit cultus animus, cura non tantum est postrema, sed nulla. *O ciues, ciues, quærenda pecunia primùm, virtus post nummos:*

sic

sic est hodie, sic erat Flacci sæculo: sic erit temporibus nepotum, & pronepotum. Sed (ut res eunt, indies peiora coniicio, quamvis iam peiora vix possum nedum timere, sed fingere) certè sic viuitur: eoque criminum, ac furorum ventum est, ut procedi vlteriùs sine publico præcipitio non possit. Nunc, nunc impletum est, quod Satyricus ante tempus dixerat *Omne in præcipitio vitium stetit.* Enitimur tamen pro viribus, ut semper aliquid accedat vesaniæ, & malitiæ: nec vnquam à Maioribus traditæ licentiæ finibus contenti erimus. Nunquam committemus, ut mentitus videatur Horatius, vbi ait: *Ætas parentum peior avis tulit nos nequiores, mox daturos progeniem vitiosiorem.* Aprilis.

III. Certè si duodecimam partem curæ quam impendimus, ut pistor nobis bonum panem faciat, impendissemus pro nobis, ipsi iam pridem boni essemus, ut de annulis, de calceis, de calamistris fileam. Sic est proculdubio, sic erit: semper curabuntur superuacanea, semper negligentur necessaria. Nos reformidamus pati pro veritate in salutem, quæ alij affectarunt pro vanitate in perditionem. Nauseamus ad antidotum, & inhiamus ad toxicum. Percurre ampliſſimarum ciuitatum vicos, considera artes humanâ industriâ excogitatas, animaduerte ingenia, solertiam, perspicaciam, & quære, quid sibi velint earum artium Auctores: & vero verius reperies omne oleum in nocturnis lucubrationibus, omnem operam in diurnis laboribus, omnem industriam in studiis, omnes neruos ingenij in excogitandis artibus, expendi, ut ea in hac vita mortali conquirantur, quæ sunt mortalia, fluxa, caduca, peritura: pro æternis, cælestibus, Divinis, non tantum nullus est labor, sed nec desiderium laboris. Nunquam feriantur nostra studia, ut comparentur etiam nobis noxia. Audiatur hic vox S. Gregorij: *Filij huius sæculi, pro temporali gloria vsque ad mortem desudare appetunt: pro spe perpetua, nec parum quidem laborare subsistunt. Pro terrenis lucris quaslibet iniurias tolerant: & pro cæleſti mercede, vel tenuissimi verbi ferre contumeliam recusant.* Caue ab his futilibus curis, ne consenescas, & incanescas nugis; quia ut Poëta l. 19. Mor. c. 16.

Cura facit canos, quamvis homo non habet annos.

10. DIES APRIL.

Aprilis. **Primum scientiæ vestibulum, scire quod nescias.**
S. Fulgent. Mythol. 1.

Ignorantia. I. INter vitia, quæ oppugnant Prudentiam, claudit agmen; ex quo, velut ex equo Troiano, egreditur malorum agmen, Ignorantia. Quidni in eam, ut in quoddam inauspicatum portentum Satyricè inuehar cum Satyrico Misoponero. *Apage à me omnes, quos saxificum illud monstrum, Ignorantiam dico, stupefacit, quibus oculi sunt instar talpæ, velo obducti, aures surdi, garrulitate obtusæ, nares lutulenti animalis obesæ, Scarabæi gustatus assiduo fimo vitiatus, & stupidus torpido frigore tactus ostreorum.* Quàm multi hoc exitiali Ignorantiæ morbo laborant! si quid illa sit, quæras, intelligere, non erit labor. Auctore Platone: *Inscitia est, quando quis falsa opinione decipitur, circa res plurimi faciendas.* Quis, quantumcunque sit ingenij subtilis, ab hoc malo est eximius? si aues augustum subire scientiæ sacrarium, hæc tibi sit prima lectio, in eius vestibulo scire, te nihil scire. Ignorantia tam est vulgaris, ut non tantum occupet vulgus, & plebeia capita, sed mundi Oracula, & ingeniorum fastigia. Quis, quæ sunt supra lunam, & vltra solem, intelligit? Nónne de cælestibus interrogati, eadem esset nostra, quæ olim Socratis responsio: *Quod supra nos, nihil ad nos?*

In Satyr. c. 5.

Protagor. p. 248.

II. Vtinam, quæ vel intra, & infra, & circa nos sunt, caperemus, non tot essent mente capti. Inter ea, quibus Filij vanitatis turpissimè hallucinantur, non vltimum est, quod omnes omnem per diem operam, per noctem ad lucernam oleum impendant in cognoscendis siderum proprietatibus, planetarum influxibus, orbium cælestium motibus: se vero cognoscere negligunt. Si intelligeremus corruptionem, ex qua formati, immunditiam, de qua generati, molestias innumeras, cum quibus nascimur, laborem infinitum, quo alimur, dolores incredibiles, cum quibus viuimus: & quod caput est, periculum vltimum, momenti vltimi quo moriemur, futurum esset, ut hac cognitione illustrati, mille causas mortis optandæ, ac ne vnum quidem reperiremus, vitæ prorogandæ. Versentur Filij vanarum scientiarum multos annos in Academiis, atque ibi Rethoricam discant, in Philosophia se exerceant: Platonem legant, audiant Aristotelem, ediscant Homerum, versent Ciceronem, scrutentur Ptolomæum, occupentur in

Digitized by Google

in Xenophonte, auscultent T. Liuium, A. Gellium volutent, Ouidium percalleant: Nunquam illi cum tanto scientiarum omnium apparatu efficient, vt non verum sit, quod dixit, & scripsit doctus ille, in Christi schola, idiota Thom. A. Kempis: *Melior est profecto humilis rusticus, qui Deo seruit, quàm superbus Philosophus, qui, se neglecto, cursum cæli considerat.* Expendis cælorum cursus; & non attendis, quàm sis tardus in curriculo ad cælum. Aprilis. l. 1. c. 2.

III. Scitè pronuntiavit Æschines, non minimam, sed maximam esse Philosophiæ partem, scire ad quid homo natus sit. Si penitùs inspiceret, quid rei sit homo; plura intra se inueniret, quibus ad modestiam inuitaretur, quam quibus ad superbiam incitaretur. Nos hac nostra, qua degimus, ætate, non possumus, quod de priscis multi poterant, queri. Nam Veritas, quæ teste Gellio, *est temporis filia*, luculentè, & errores omnes, à quibus caueamus, & scientias veras, quas amplectamur, demonstrauit. Quid reliquum est ad videndum, quod visum non sit? quid restat patefaciendum, quod non patefactum? quid legendum, quod non lectum? quid scribi, Potest, quod non scriptum? quid denique cognosci, quod non sit cognitum? Nemo igitur potest ignorantiam excusandæ culpæ prætexere: omnes quippe sciunt, omnes legunt, omnes discunt, sed inter omnes quot sunt, qui ad hoc conferunt scientiam, vt sint meliores, honestiores, benigniores? sed proh dolor! nunc passim homines si quid norint, ad nihil aliud prodest, quàm ut callidius lucrum faciant, vt proximo imponant, vt iniquè possessa tueantur, vt pactiones luculentâ conditione faciant, ut nouum aliquod fœnus excogitent; ut nequitiis suis pallium obducant. Melior est quævis ignorantia, hâc scientiâ. Itaque, vt sis potius melior, quàm doctior; non mundi, sed Christi. l. 1. c. 2. 11.

Audi doctrinam, si vis vitare ruinam.

11. DIES APRIL.

Aprilis. **Qui volentes iniustè vtuntur bonis; iustè volentes cruciabuntur malis. *Sanctus Augustinus epistol.120.capit 23.***

Iniustitia. *Ethic.l.5. c.1.*

I. SI Aristoteli fides, hîc prodit in scenam; non vnum aliquod vitium, sed tota simul vitiorum vniuersitas. Sic enim ipse: *Iniustitia vniuersa Iustitiæ oppositæ, non pars vitij est, sed vniuersum vitium.* Hoc vitium subsequitur Imprudentiæ vitiis; quod ad alia latissimè se diffundit, & præ omnibus per omnia dominatur. Quis, sit licet eximiè præcellens, ab huius labe est eximius? Hic, pecuniarum inhiat prædis: alter, proximo dolos texit; alius, lites consuit, ius deprædans; alius, ex periurio opes corrogat; alius, invidiæ telis proximum impetit: alius, intulisse iniuriam, interpretatur gloriam; & potuisse nocere, reputat potentiam. Plerique se iustos arbitrantur; dum scitè, & callidè norunt excusare suam Iniustitiam. Sæpius, inquiunt, hæc aliàs, & ab aliis factum: sed non quia non prius peccatum est, propterea peccata vetera cumulanda sunt novis. At contra, nunc cæteris imponenda est necessitas ita faciendi talia, sicut lex iubet, à te sumpto initio. Tu igitur, ne dicas, hoc sæpè esse factum; sed illud decuisse ita fieri. Neque enim, si quid aliter, quàm leges iubent, factum est, idque tu imitatus es; ideò iure absolueris, sed potiùs ex iure condemnaberis.

II. Tanta est atrocitas Iniustitiæ, vt iniuriâ affici præstet, quàm afficere: alterum enim est improbi; alterum infirmi. Et cùm turpe sit vtrumque, tanto tamen inferre iniuriam est peius, quanto turpius. Deinde illud proprium malum est, hoc alienum. Hoc tamen quid vsitatius? Forum ingredere, illic videbis, quàm tetra scelerum ex Iniustitia enatorum tibi proponetur facies, quàm fœda vitiorum colluuies. Illic inter ipsas leges, quæ vetant peccata, peccatur: inter iura, quæ prohibent delicta, delinquitur. Innocentia, nec illic, vbi defenditur, reseruatur. Lites inseruntur litibus, mugit forum altercantium vociferationibus: nec vsquam minus viret Oliva pacis, quàm inter togatos. Iudicum tribunalia, sunt quasi maleficiorum latibula. Quis in huiusmodi tribunalibus subveniet innocentibus, Advocatus? sed is advocat omnes strophas, congregat omnem

nem vafritiem, vt circumveniat. Index, in quo, si quæ sit Iustitia, est venalis? Qui deberet scelera punire, committit punienda. Ardet vbique iniquitas, & habenas laxat Iniustitia. Hic testamentum subiicit; ille falsum capitali fraude conscribit: hîc arcentur hæreditatibus liberi; illic bona donantur alienis. Aprilis.

III. Quàm verè Anacharsis, Forum ad fallendum invicem, atque ad dandas Auaritiæ manus, destinatum locum esse dicebat. Plutarchus vocat *Impuram regionem*, quæ Veteratorum hominum fraude, & malitiâ redundat. Tribacissima sunt forensium ingenia, & multis iam erudita sæculis ad excogitandas machinationes, quibus legum, & iudiciorum religio polluatur, vt aliquando forum à publico latrocinio parum distet. Nam de Iudicibus, multi non tam ad libram Iustitiæ, quàm ad plenam aurificis stateram, sententias suas expendunt, & Advocati nihil nisi aureum loqui volunt, aut cum Simonide argenteum. Appositè sanè Isidorus Pelusiota: *In iudicijs, quò*, inquit, *vergit aurum, illuc propendet iudicium.* Vetus id malum est, & per omnes propè ætates omnium sæculorum fusum, & propagatum. Quod deplorat D. Augustinus in hæc verba: *Vsque adeò inolevit malum; ut quasi ex consuetudine vendantur leges, corrumpantur iura, sententia ipsa venalis sit, & nulla iam causa possit esse sine causa.* Vix in foro tam vili pretio veneunt quæcunque merces, quàm leges: imò vix lutulenta sus, quàm sacrum Ius. Sic quod olim fuit fabula, hac ætate est historia: *Terras Astræa reliquit.* Hinc & tam pauci è terris petunt astra. Nemo non iam satagit nocere Innocentiæ; quia vix vllus est, qui sit, non dico, seruans, sed amans Iustitiæ. Est igitur hæc mea fixa sententia, metro brevi, sed neruoso circumscripta: *l. 1. ep. 101.* *Serm. 19 de verb. Domi.* *Ouid l. 1. Metam.*

Multis maior equi cura est, quàm Iuris, & æqui.

12. DIES APRIL.

Illata cuilibet iniuria, non accipientis, sed inferentis est miseria. *Boëtius libr. 4. de consol. prof. 4.*

I. NVllus alteri vel minimam irrogat iniuriam, quin sibi sit maximè iniurius. Vnde qui iniuriam infert, dignior est misericordiâ, quàm iracun- Iniuria.

Aptilis. iracundia, iniuriâ affecti. Nec opus est, ut hic, qui iniuriam accepit, cogitet de vindicta; iam satis se alter vindicavit, dum contra Iustitiam peccavit. Fusissimè spatiantur iniuriæ: aliæ enim inferuntur rebus externis, nempè bonis fortunæ; idque vel furto, re alienâ clanculum acceptâ committitur, vel Rapinâ, quæ idem facit apertè, & per vim; vel damno, quod infertur famæ, & Honori; vel Corpori, homicidio, vel membrorum mutilatione. Nos hîc generatim agimus de Iniuria, quocumque modo illata. Ad iniurias inferendas, homines non tantum sunt proclives, sed præcipites: non modo ad eas cursu feruntur, sed impetu rapiuntur. Vnum illis est studium, aliorum patientiam lacessere tum dictis asperioribus, tum factis atrocioribus. Qui nihil ab aliis neque pati, neque audire; omnia à se volunt pati cæteros atque audire: ferendarum contumeliarum impatientes; inferendarum cupidissimi: quibus præterea benè non est, nisi aliquo ad singulare certamen vocato, vires suas, pugnandique dexteritatem ostentent. Dicas timere eos, ne rubigine obductus gladius, inutilis efficiatur, si tam diu vagina conditus delitescat.

II. Illi cum aliis altercandi occasioni iugiter inhiant, quàm & sagacissimè quærunt, & si non inveniant, faciunt: aliena, bono etiam animo facta, sinistrè interpretando; leviſſima quæque aliorum verba colligunt, eaque in se dicta, suoque officere honori conqueruntur: omnia quæ proferuntur, contumelias arbitrantur: si quis eos obliquo oculo intuitus est, si liberius locutus, si minus, quàm sibi deberi existimavit honoris, si plus alteri, quàm sibi detulit: statim in manibus arma, in ore minæ, in oculis ardor, in corde furor. Prima cogitatio, & manè dum evigilant diluculo, & vltima, vesperi dum decumbunt in crepusculo, est de sumenda vindicta. Quasi diem illum non satis exigissent probè, nisi quis eorum vires, atque nocendi vim, animique impotentiam fuisset expertus. Illud mirum, non tamen nouum; omnia in hominis corpore consenescere, excepto interiùs corde, exteriùs linguâ. Semper enim cor ad cogitanda mala, quæ vel sibi, vel aliis inferat, est vegetum: semper lingua ad contumelias, & convitia, est apprimè idonea.

III. Vel ideo oporteret te cavere ab iniuriis alteri inferendis; quod acceptæ iniuriæ acerrimus in accipiente sit sensus. Etenim facilius vnusquisque flagellis, ac verberationibus vltro susceptis, plurimum à se sanguinis exprimet, quàm, vt ab altero, vel digitulo quidem vno, se tangi permittat: facilius ipsemet, se hominem improbum, sceleratum, ac pœnâ, supplicioque dignum fatebitur, quàm, ut ab altero minimam in existimatione sua plagam accipiat, facilius, se vilem faciendo, ad omnem animi demissionem

nem proiiciet; quàm, ut ab altero in aliquod vile, abiectum, seque, & genere suo dignum, compelli patiatur; faciliùs bonis ipse suis se exuet, quàm, ut aliquid sibi terrore litium, vel iniquo iudicio abradi sustineat. Si hoc non moveat; illud saltem iniquus sibi persuadeat, semper se sibi plus nocere, qui infert iniuriam; quàm alteri, qui patitur. Ita ut maxima sit pœna, impunitas iniuriæ: Vnde ipsa sibi infensa est malignitas. Designa aliquod vitium, & invenies, sibi intollerabile, severiùs Rhadamanto se punire: designa invidiam, amantem licet proprij commodi; videbis iniquam: designa Iram cum sua dulci vindicta; invenies acerbissimam. Etiam ipsam Iniustitiam iniustissimam dices. Itaque qui iniuriam irrogat, adversus seipsum armatur. Ipse non tantum est sui carnifex supplicij, sed ipse sibi est supplicium: non est, quod extra se quærat vltorem, ipse sibi est pœna. Hoc demum esto loco Colophonis, & altæ scientiæ: Aprilis.

Qui facit iniustè, pœna est semper sibi iusta.

13. DIES APRIL.

Malevolæ suspiciones sunt calumniantium: beneuolæ suspiciones sunt gubernantium. *D. Chrysost. hom. de Susanna.*

I. PRima, inter iniurias quas alterius inferimus famæ, est suspicio. Hæc est, dum Intellectus, duobus sibi propositis ut incertis, assentitur alteri parti, sed cum aliqua fluctuatione, & vacillatione, absque magna firmitate. In hoc argumento, illud obseruandum: tam boni, quàm mali, malè aliquando suspicantur. Quamvis bonorum suspiciones bonæ sunt: malorum malæ, quia hi mala malè suspicantur ad calumniandum; Illi vero mala quidem, sed benè, solùm ad prouidendum, & gubernandum. Talis enim suspicatur malum, sed optat invenire bonum. Qui benevolè suspicatur; vinci cupit: quia gaudet se erasse. Tametsi boni parcissimi, & temperatissimi sint plerunque in suspicando: quia vix aliquos posse fallere credunt. Et quia ipsis amica est veritas, mentiri neminem putant. Quid mirum, si putent neminem posse mentiri, qui omnes solent suo pede metiri? Libenter credunt, quod ipsi sunt; neç possunt suspectum habere, quod non sunt. Suspicio.

Aprilis.

II. Exemplo sit S. Ioseph. Intumuerat sponsæ ipsius uterus; Ioseph ignarus mysterij, animadvertit, quod vix potest credere, videt indubitate, quod dubitat tamen esse. Rem videt, nescit modum: Imò scit Virginem tam puram, tam innocentem, & tam alienam ab eo, quod videt; ut vix credat oculis suis, & credat potius se non videre quod videt; quàm credat Virginem, non esse Virginem. Sed tamen illa fert uterum; quomodo gravida potest esse virgo? Quomodo possem accusare innocentem? sed quomodo etiam possum excusare prægnantem? Hæc inter se pugnantia, mirum quantum angebant Iosephi animum. Et certè, nisi in suspicando fuisset sui potens, præcipiti impetu gravius aliquid moliri poterat, sed iudicium suspendit. Rationem servat, æquitatem tuetur, Deo confidit, & locum relinquit Iustitiæ, ut dum occultè demittet coniugē, nec innocentē prodet, nec rei incognitæ consentiendo, se reum faciet coram Deo. Non audebat aliquid sinistri de ea suspicari, in qua tot observaverat virtutis decora, ob quæ impellebatur eam suspicere.

III. Itaque plus debent habere ponderis multæ virtutes, ut bonum de proximo persuadeant; quàm leue aliquod argumentum delicti, ut persuadeat malum. Seidlle est peruersus hominum genius: minus confert perspecta excellentia ad famam, quàm suspicio inanis ad notam. Homo virtutis, iuxta ac vitij, non æquus est Censor: quippe corrumpitur agnata ingenij peruersitate, & alieni dedecoris libidine. Quæ à leviſſima, & malignè elaborata suspicione obiiciuntur, indubia fide credit, quæ à virtute pro se allegantur, non videt: quasi non solùm libertate arbitrij, sed quodammodo etiam iudicij polleat arbitrio. Arbiter causæ, vbi causa est anceps, pro nutu dirimit. Sed humana iniquitas, causam pro arbitrio reddit ancipitem; imò adhuc ancipitem non reddit, sed contra oculorum evidentiam pro inani coniectura, & leviſſima suspicione sententiam dicit, & sic sæpè Innocentiæ bellum indicit. Sic non criminationibus tantum, sed suspicionibus impellimur, & vultu, risuque alieno peiora interpretati, innocentibus irascimur. Nullus æqua rationis trutinâ aliena facta examinat, sed pro iudicij temeritate profert sententiam, & sic sæpè infert iniuriam. Contra fallacem suspicionem evidentiſſima militant argumenta: suspicio, nullâ ratione, vel ad speciem fucatâ nititur, & tamen dum invidia, & malevolentia suspicioni suppetias ferunt, etsi infelici victoriâ, Veritatem triumphant. Quapropter suspende iudicium, vbi non est certum rei indicium, & sit tibi hoc effatum, in cautelæ præceptum:

Suspice nequaquam sed despice suspicionem.

14. DIES

Digitized by Google

14. DIES APRIL.

Cito accedimus opinioni, non coarguimus. Aprilis.
Seneca Epist. 13.

I. SVspicioni agnata est opinio, quæ nihil est aliud, quàm vehemens suspicio, quæ debiliter assentitur Opinio firmius, sed cum aliqua tamen formidine. Hinc maior iam in proximum redundat iniuria, dum minori cum formidine, maiori cum certitudine profertur sententia. Ita porrò se gerit Opinio circa homines, sicuti circa res alias, quæ sunt extra hominem. Opinio circa res, ut sæpissimè, sic & gravissimè errat: nunc enim res iniquis convitiis condemnat; nunc iniustis elogiis commendat: aut quæ bona sunt, mala, aut quæ mala sunt, bona æstimans. Primus error perperam nos angit, affligit, & fluctus animi auget inani formidine. Horret animus, quæ nihil in se habent horroris, timet optabilia, fugit amabilia, deceptus perverso Opinionis testimonio: tum falsorum multiplicatione malorum, multiplicantur timores veri, hosque consequentium ærumnarum vulgus, & turba miseriarum. Hæc est igitur astutia Opinionis, substituere pro auro plumbum, pro gemmis silices, pro argento ferrum, pro bono, inquam, malum. Fingit, effigiatque omnia Opinio nostra instabili charactere. Ipsa itaque Opinio aut pericula creat, aut est. Qui ex præaltis despiciunt speculis, aut turribus, deficiunt viribus, ut collabantur. Nemine in præceps trudente, nisi cogitatione sua. Nos quoque Opinione nostra periclitamur: illa sævius sauciat nos, quàm ipsa damna. Opinio.

II. Sicuti opinio circa res: ita & circa homines malè iudicando hallucinatur, dum malos malè absolvit, & bonos non benè accusat: in illis videns boni simulachrum, in his mali imaginem. Tu ipsa tui pectoris non potes penetrare adyta, alieni quomodo penetrabis? Non potes tua discernere bona à malis, vnde ille in te discretionis spiritus, ut aliena non tantum cernas, sed discernas? Sed plerunque qui in foro totâ die otiosè feriantur, circa alios toti occupantur, & illorum nomen dicteriis inobscurant: sic qui se, & sua non aspiciunt, alios despiciunt. In rebus spectabilibus, quæ oculis sunt iugiter obviæ, quæ fucis sunt illitæ, sæpissimè decipiuntur sensus, quasi homines in his essent insensati: quanto pronius errabunt

Aprilis. bunt in iis, quæ non modò non patent in conspectu, sed abdita latent in recessu, quæ oculis sunt subducta, ab omni sensus perceptione remota, soli Deo cognita, quæ à libero dependent arbitrio. Quamvis conspicua videantur argumenta siniſtræ suspicionis; non oportet, quia potes decipi; imò nec decet, quia sæpissimè deceptus es, siniſtrè opinari.

III. Remedium corrigendæ opinionis, idem est circa homines; sicuti circa res extrinsecas. Non leue adversus hanc momentum est, cognosci, & cognoscere. Invidus mordet, fama tacet, nummus deest, supellex perit, domus flagrat, filius obit, vota illudunt, spes fugit, discrimina pendent, damnum impendet. Omnia ista si te afflicturа conveniunt, si aceruatim in te ingruunt, fixo te siste pede, & crede: Non ista sunt, quæ me cruciant mala, sed opinio, quâ censeo illa mala, si illa mala non censerem, nullus in me foret doloris sensus. Res sunt innoxiæ, nec bonæ, nec malæ: itaque sunt opiniones meæ, quæ pessimè de me merentur. Horreo humilitatem, quia opinor horridam: at læta fuit Antonio, accepta Francisco, affectata Francisco de Paula, iucunda Ignatio. Contumeliis incessor? Vnde perturbor? cur percellor, nisi quod malum existimem? Fuit verbum, non saxum, fuit vox, non fulmen: cur terreris raucæ voculæ strepitu, ut soles audito è nubu tonitru? Opinio te terruit propria, non vox aliena. Idem sit præsidium pro opinionibus circa homines. Habeas, licet luculenta, quibus de illo malè, & illum malum opineris argumenta, alij illum, ut talem insimulant, pessimè tanquam de pessimo loquuntur, nulla tibi occurrit, quo illum absolvas, ratio. Hæc tibi sufficiat ratio, ne malè opineris, posse te errare opinando, non posse te errare, nihil opinando. Iudex non potest condemnare reum, nisi constet de culpa: cur tu sola opinione tua incerta, audebis damnare eum, qui fors melior te est, & à quo iudicandus est? sit tibi ad cautelam, hæc Epigraphe:

In fraudes multas, adduxit opinio multos.

15. DIES APRIL.

Solus Deus potest iudicando non labi; qui solùs in cognoscendo, non potest falli. *Sanctus Augustinus epistol. 54.* Aprilis.

I. TAndem intellectus à suspicione, & opinione, actu formidante progreditur ad assensum plenum, omni hæsitatione carentem, secum pronuntiando hoc est; & illud est Iudicium. Quod si occurrant Intellectui motiua assensus, commensa perfectioni Iudicij, quod fertur; tunc assensus est rectus, & rationi conformis, nec vllum ex eo Iniustitiæ periculum, aduersus bonam de alio existimationem incurrit. At si deficientibus argumentis, iisque non satis firmis, ut assensum extorqueant, feratur tamen iudicium aliter, quàm bona de altero existimatio postulat; admittitur Iniustia, quia alteri fit iniuria, & est Iudicium temerarium. Quod debet nos de huiusmodi iudiciis deterrere, potissimum illud est, quia excepto Deo, quilibet iudicando potest labi, quia in cognoscendo potest falli: adeoque seuerissimè erit iudicandus, qui de rebus, ut apparent, iudicat. Is enim in re maximi momenti vult vltrò decipi: quod hinc liquet. Nihil prorsùs in humanis est rebus, quantumcumque sit paruum, ac propè nullum, in quo velis vltro decipi. Si quid audis, si quid quæris, vellesnè falsum tibi responderi? si quid emis, quantâ satagis solicitudine, ne aliud, quàm fortè putes, & merito, & pretio tibi tradatur. Iudicium temerariũ.

II. Nunc igitur, si tantillis in reculis, vnde tenue emergit damnum, nunquam te velis decipi, quàm sis graviter arguendus, & seuerè iudicandus, & iustè condemnandus; si in illa re, quæ est omnium maximè momentosa; qualis est Dei cultus, & Animi salus, te vltro, & gratis velis illudi, decipi, & circumveniri? præstat in rebus aliis omnibus desipere, quàm in hoc vno non sapere; in aliis decipi semper, quàm hic semel. At verò, qui de rebus ut apparent, iudicant, in re hac graviſſima volunt decipi. Nónne tu sic iudicas? Fare, quid censes de paupertate præ diuitiis? de humanis miseriis, præ temporalibus commodis? de abiecta viuendi sorte, præ sublimi, & fortunata? Quid de prolixiori vita, præ immatura morte? Quid de infirma valetudine, præ firmis viribus? quid de amicorum, aut seruorum

Aprilis. ingenti copia, præ solitudine? Nónne paupertati præfers divitias? Nónne miseriis delitias? nónne honores calumniis? nónne potentiores infirmis? nónne vno verbo, vitæ præsentis commoda, tam longè anteponis incommodis? quàm longè vulgus anteponit, & præferenda iudicat. Sed nónne tum sic postponenda anteponis, tibi ipsi in re gravissima gravissimè imponis? Vnde enim tale iudicium? Non à Deo, non à Christo, non à veritate, non ex Scriptura, non ex Euangelio, cuius sunt alia de illis rebus pronuntiata. Vnde nam nisi ex apparenti rerum facie, quia sic res videntur oculis, sic sensu percipiuntur; sic opinione dicuntur; sic humano iudicio æstimantur.

III. Tales igitur, cùm velint decipi, & auidè id ambiant, ipsi seipsos iudicant, seipsos condemnant. Sicut porrò errant iudicando sic de rebus, quia iudicant prout apparent: sic & sæpè errant iudicando homines, quia Dan. 13. iudicant secundùm speciem. De quibus dici potest illud Danielis: *Species decepit te.* Vnum hoc agit illa species, ut decipiat, & decipiat animum, decipiat intellectum, & voluntatem, decipiat iudicium, & affectum, decipiat verò non in temporalibus, & politicis; sed in æternis illis, quorum iactura, est iactura animæ. Quàm porrò illud graue! Cor, inter membra corporis est Metropolis, quasi in Regno hominis. Princeps autem cætera loca Regni sui, aliis iudicanda, & regenda tradere solet: Metropolim autem ipse inhabitare, regere, & in eo iudicare cupit. Deus, sibi soli cor iudicandum reliquit; ille solus scrutator est cordium. Hæc est venatio Principi reseruata, in qua animalia insigniora commorantur, quæque ipse tantum scrutari valet. Qui igitur alios temerè iudicat; se plus quàm Deum pronuntiat: quia licet Deus iudicet omnes, tamen omnia nuda sunt oculis eius, & infinita pollet sapientia; vnde iudicando nequit errare: at iste, cùm sit homo, & insipiens, & occulta illi sint hominum corda, præsumit de omnibus iudicare; præsumit ergò saltem opere, tantum posse suam stultitiam, quantùm Dei sapientiam. Quæ gravior in Deum iniuria; quæ atrocior contra Deum blasphemia? Quare si me audis:

Ne temerè alterius sis Iudex, nam vetat hoc lex.

Digitized by Google

16. DIES APRIL.

Nihil habet natura humana, calumniatrice lingua deterius. *Nicetas in Manual. Commentar. numer. libr. 3.* Aprilis.

I. NOn tantum interiùs iudiciis malignis, sed & exteriùs verbis acerbis aliena fama violatur. Porrò peccata externa, quibus ius ad illam infringitur, possunt esse aut contra famam tantum, aut contra Honorem tantum, aut contra vtrumque, inter quæ ingens est discrimen. Graviorem enim esse iniuriam, qua fama læditur, quàm eam, qua Honor impetitur, constat ex eo, quod reuera fama est maius bonum, quàm Honor, & famæ violatione acerbior aculeus infigitur. Inter has iniurias tenet principatum, infamatio per falsi criminis impactionem, quæ Calumnia propriè dicitur, omniumque acerrimè pungit: cuius malitia explorata est ex hodierna tessera. Ea est calumniatoris natura, in crimen vocare omnia, probare nihil. Si boni quidpiam de altero audierit, silet, & est Arcopagita taciturnior: sin malum aliquid arripuerit, Iliadem ex eo, & Odysseam facit. Quorum multa neque audiuerit, neque sublegerit, sed finxerit ipse, & contexuerit: eaque sutoribus, & sartoribus, & tonsoribus deblaterando inculcat. Huic accedit euulgatio alieni probri, veri quidem, sed tamen latentis. Quamdiu probrum est occultum, perstat in altero ius famæ, quod violant quicunque apud eos, quos ex officio, aliavè idonea causa non interest commonefieri, occultam maculam, publicam faciunt. Calumnia.

II. Id naturæ corruptæ vitio est omnibus insitum, ut gaudeat quis clanculum, cùm plenas suspicione criminationes audit. Ita enim aures calumniis suaviter titillantur, ac si pennis confricarentur. Quid porrò est facilius, quàm in hac arena vincere, vbi nemo repugnat, nec vim repulsat: sed qui audit, vltro se dedit; qui verò accusatur, insidiarum est ignarus. Certè is, cuius vita inimicorum, ac Sycophantarum libidini est exposita, ille in vita ipsâ quodammodo caret vitâ. Calumniis autem non modò priuati aliqui homines, sed integræ subuersæ sunt familiæ, & ciuitates funditus perditæ; Patrum in liberos, fratrum in germanos: liberorum in Parentes, amantium in amatos, furor est excitatus. Quapropter illud

in

Aprilis. in confesso est, non posse vnquam calumniatorem, esse virum bonum: quomodo erit bonus, tot auctor malorum? Nam bonorum est virorum, eo quod amicis benefaciunt, non eo quod inimicos criminantur benè audire. Deinde quem fugit, nullam ex multis, quæ apud homines vigent, deteriorem inueniri posse iniuriam, quàm indicta causa reum condemnare, iuxta illud Poetæ: *Ne litem dirimas, quin primùm audieris ambos.* Quod tamen molitur calumniator, qui quem accusat, audientis iræ indefensum subiicit, & accusatione clancularia defensionem invertit.

III. Tu verò, si te velis palam prodere germanum Christi discipulum, hæc sit tua iugis occupatio, in omnibus operibus tuis, etiam bonis, te accusare, & in operibus alienis, etiam malis, alios excusare. Si amares Deum, & eius immensam bonitatem, omnes propter Bonitatem amares: amares bonos, quia boni sunt, & ideo amore digni: amares malos, quia boni esse possunt. Non tantum ob pretium admirandum est aliquod artificium, sed & materiam ex qua fieri potest. Ex malis fiunt boni: non oportet igitur illos odisse, vel calumniis incessere. Si Bonitatem Dei amares in Deo, velles, ut omnes amarent Deum, & ad hoc omnem operam tuam conferres. Diversus est Zelus amoris humani, & Divini: Bonitas humana exiguis circumscripta est cancellis, & non sufficit omnibus, nec potest satisfacere, multis, quin singulis minus respondeat: ideo zelus hominum est, ne alij ament, quod quisque diligit. At quia Bonitas Dei est infinita, & plus quàm sufficiens omnibus: & amor noster limitatus, & tantæ Bonitati nequeat satisfacere, ideo zelus Divinus est, ut cæteri etiam ament illum, & approbent nostrum amorem, & coadiutores sint, ut soluant; & magis satisfaciant Bonitati, quam æquare non possumus vllo amore. Imprudenter, imò impudenter amas Deum, nisi velis, ut omnes ament eum: nam debes amare plus quàm te, te autem, cùm pessimus sis, vis, ut omnes ament, cur optimo Deo minus desideras? Quantum abest ab hac charitate calumniator, qui est fratrum suorum iniquus accusator. Sed hoc sit tibi, qui pateris calumnias, in solatium:

Non quiuis sordet, quem dente calumnia mordet.

Digitized by Google

17. DIES APRIL.

Detractor, & libens auditor, vterque diabolum portat in lingua. *Sanctus Bernard. in serm.* Aprilis.

I. GNauiter, & grauiter D. Bernardus detraxit Detractori, dum illius in lingua dixit sessitare diabolum. Sed grauiùs illi detraham, dum non modo ostendam; sed conuincam esse in corpore humano diabolum. Per detractionem infertur alienæ famæ iniuria exteriùs verbis: quæ facillimè fit. Quia teste S. Augustino: *non lingua frustra in vdo est, nisi quia facilè labitur.* Dæmoni verò quàm simillimus est ob genium illi non dissimilem. Dæmon, *tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Omnia circumeunt, & perlustrant, etiam lustra, & fornices, dæmones, ut nocendi, perdendique ansas inueniant. Nullus venator circumit diligentiùs, ut feram rapiat; nullus vrbis alicuius obsessor, ut vrbem obtineat; nullus Zelotypus, ut riualium, & competitorum aliquem in delicto flagranti deprehendat, circumcursandi studiosior. *Ita in circuitu impij* Detractores ambulant; gyros mille faciunt vno die, & in orbem eunt, redeuntque centies vna ferè hora, ut rumusculum audiant, ut aliquid deprehendant, ut vel vmbram videant. Detractio. *In Ps. 38.* *1. Petr. 5.* *Psal 11.*

II. Dein totam vrbem pererrant, in plateis, vicis, compitis, foribus, portis, omnia de omnibus percunctando; per omnium domus circumcursant; transeunt de domo in domum; de curia in Curiam, de asceterio in asceterium, & noctu, interdiu totis ædibus, quid mussitando, omnes angulos perlustrant, omnia euerrunt, & rimantur; in omnia, & in omnes, & ex omnibus inquirunt, ac suscitantur, & tantum non quæstionibus, & equuleis vtuntur, ut nihil alienæ infirmitatis ipsis incognitum sit, non ut medeantur, sed ut opportunè in commodum suum, aliorum vero incommodum abutantur, & ruinis aliorum erigantur: scarabæorum instar, nunc his, nunc istis equorum excrementis, ad sui incrementum insident: vel ut muscæ quædam malignæ vulneribus; vel ut lupi, & vultures cadaueribus: non ut apes floribus. Centoculi sunt, & centum aurium, & centum narium, ut omnia olfaciant, audiant, videant, Tanquam ardeliones curiositate, & malignitate ducti, simpliciores, & minus suspicaces discutiunt, concutiunt, atque excutiunt de se, de aliis, de magnis, de paruulis, tantum

Aprilis. ut prodant, & euertant oblatâ occasione: sic cognita reponunt altâ mente, ut tela bello futuro reseruata in panoplia.

III. Audi Detractor, quin & Detractoris Auditor, ut desinas detrahere, incipias diligere, hæc pauca, seu monita, seu consilia. Cui detrahis, est tuæ consors naturæ; est frater, quia tibi, & illi idem est Pater, qui est in cælis: est alter tu, quia vterque ad imaginem, & similitudinem Dei, Si detrahendo offendis illum, in illo delinquendo offendis Deum; est enim Deus non tantum cum illo, sed in illo. Debes illi non minus, quàm tibi: cui, si quid deest, quod tibi supersit, tu tibi tertius, ille secundus est. Ne porrò ei desis, vide quæ debeas, quæ possis, quæ præstes, quæ neges, quibus prodesse possis, quibus obesse soleas, quid necessitati tribuas, quid commoditati. Paris artis est proximo viuere, & cum proximo. Optimè viuit proximo, qui sibi perfectè moritur: seque rectè vtitur, qui sui vsuram proximo commodat, non eam commodat, qui eius famam maculat. Si soli tibi viuis, & illi mortuus es; neutri viues. Non illi viuis, dum lacerata eius fama, priuas eum ciuili vita; sed & tu, cui detractum est, noli detrahenti tibi, retrahere, ut iuues, manum. Redde illi bonum pro malo, ne duo mali sitis. Propone illius mali malignitatem, depinge fæditatem, ostende pericula, ominare perniciem; sed & media euadendi suggere, precibus succurre, exemplo præi. Compatere, non indignare, illud potes, hoc non debes, aut culpæ, non personæ indignare. Si te tangit, non iubeo, ut non sentias, sed feras, quod si recusas, malum alienum, tuum facis, & ex vno duplex. Abstine, quo posset ille offendi, sustine, quo tu lædi. Cor gere erga illum beneuolum, manum beneficam, linguam amicam, faciem benignam: absentis famam, præsentis vitam conserua. Verbo: tu illius vice, tua illum substitue:

Hoc facito, viues proximo, tibi, Deo.

18. DIES APRIL.

Nec malam conscientiam sanat laudantis præconium, nec conuulnerat conuitiantis opprobrium. *S. Augustinus cont. Petil. l. 3.*

Conuitiũ. I. DEtraximus Detractioni, iam faciemus conuitium Conuitio, dum probabimus esse infame, & enorme vitium. Detractio, clanculum

lùm famam alienam imminuit; Convitium apertè: quod idcirco homini læso, eiusque famæ est magis iniurium. Convitium hìc intelligo, impudentem alienæ famæ lacerationem; illo ipso, cuius fama conspurcatur coram adstante: fereque adiunctum habet maledictum. Hoc tempore, quo nulla vix vlli est cura de alterius nomine, omnis propè sermo, est maledictio. Hæc tria in plurimis concurrunt: proximo malè velle, malè facere, malè dicere. Sic in proximi vel ruinam, vel iacturam impiè conspirant voluntas, Manus, Lingua. Si proximo irascimur, prima irarum tela sunt maledicta. Sic quod non possumus imbecilli, optamus irati: quod nequimus defectu facultatis, supplemus malignitate voluntatis. Cùm desint nobis indignantibus, quibus proximo noceamus, arma, vtimur malis votis, vel certè amarulentis verbis, pro armis. Hinc omnia convitiorum plena: hinc illa præclara encomia, cùm alter ab altero luscus, lippus, tardus, bardus, stupidus, stupor, stipes, truncus, canis mortuus, mastygiarum Corypheus, nebulonum Alpha audit. Aprilis.

II. Nulli porrò crebrioribus impetuntur convitiis, quàm qui præ aliis, vel Naturæ, vel fortunæ, vel Gratiæ eminent donis: illi enim quasi signum ad sagittas sunt expositi. Turres enim præaltas fulgura feriunt; humilia tecta prætereunt. Tametsi non est, quod hisce angantur boni: quia malis displicere, laudari est; nec vllam auctoritatem habet, vbi qui damnandus est, damnat. Itaque convitia cùm sint contemptibilia; non aliàre magis sunt digna, quàm contemptu: nam audire convitia, quid ipsum per se est? an malè audies, quia hæc audis à malo? Adsta lapidi, eique convitiare. Quid proficiet? si quis ergo, ut lapis audierit, quam è suis maledictis fructum referet, qui maledicit? imò quod non damnum sibi inferet? Imò is qui incessitur convitiis, potest, si velit inde haurire emolumentum: quia vel verum est convitium, vel falsum? si verum, quid ringimur, & sæuimus? malum aliquod nobis retectum est, antea fors ignotum: si falsum est convitium, nihilominus ferendum est, cùm nihil nobis noceat, si nolimus nocere. Paucis: si verum est convitium, quia in te est vitium, corrige, si falsum, quia alterius est mendacium, despice: sic corrigendo, & despiciendo, fies omnibus suspiciendus.

III. Si quis tibi ostendit lutum adhærere vesti, non reiicis in illum, sed abstergis: eodem prorsùs modo, si quis convitiator næuum ostendat in moribus; non regerendum est convitium, sed abstergenda labes. Cùm Platoni amicorum aliquis retulisset esse nonnullos, qui ipsum convitiis insectarentur: At ego, ait, ita mores componam, ut convitiatoribus fides nulla habeatur. Quanta est amentia, timere ne te opprobriis lacerent a-

Aprilis. mentes, & improbi; ne infameris ab infamibus. Nunquid te facient malum, quia loquuntur de te mala? si tibi bona sit conscientia, quid tibi obe-runt malorum convitia? Habebit mercedem tua patientia, si obliuioni de-tur illata iniuria. Sicut nihil est deformiùs, quàm respondere furiosis: ita nihil vtiliùs, quàm tacere prouocantibus. Nullus erit finis inimicitiis, nisi ad tempus obtemperemus iratis. Hoc pacto, è duobus alterum procul-dubio consequeris: aut inimicum tuæ mansuetudinis exemplo mitiorem reddes; vel certè, si despexeris, acriùs illum vindicabis. Quid enim aduer-sario duriùs esse potest, quàm se contemni à te: id fiet, cùm te videbit ani-mum gerere conuitiis omnibus altiorem; nec te plus curare illius linguæ petulantiam, quàm molossus catelli latratum. Quid mirum est, si malè de te loquantur, qui sunt mali, qui bene loqui nesciunt: faciunt illi, non quod mereris, sed quod solent. Denique qui conuitiatur, vel te ridet, vel te mo-net: si monet, profuit; si ridet; modò velis, non obfuit. Summa documen-torum tota est in hac Epigraphe:

Si vitio careas; reprobi conuitia spernas.

19. DIES APRIL.

Genus vltionis est; eripere ei, qui fecit, contume-liæ voluptatem. *Seneca de Constant. Sa-pient. capit. 17.*

Contume-lia. I. VIolationi famæ, succedit violatio Honoris; quocunque modo fiat, vno nomine Contumeliæ indigetatur: eo quod alterius Honor non proteratur absque contemptu, à quo dicta videtur contumelia. Cer-tè omnium gentium literæ Contumeliam ita pingunt, & tam tetris colo-ribus adumbrant, ut nihil eâ videatur contemptibiliùs. Ex mente Pauli-ni: est *importunum vacui culicis murmur*. Suffragio Synesij: *est Cinæderum su-surrus*. calculo Pindari: *est vulpium gannitus*. Iudicio D. Chrysostimi: *est mus-carum bombus*; & alibi ait esse *scarabæorum sonitus*, aliàs, *garritum satana*. Hæc sunt egregia pigmenta, quibus exprimuntur huius furiæ lineamenta. Quid igitur, illis detestabiliùs, qui convitiis, maledictis, contumeliis, in alios ia-ciendis, ut Mithridatis venenis pascuntur? qui hominum nomen, atque famam impunitâ licentiâ lædunt, linguaque dentatissima rodunt, Colli-gunt auidè rumusculos omnes è tonstrinis otiosorum, è circulis impuden-tium,

Paul. Ep. 1.
Synes ep. 44.
Pindar. Pyth. odij. 2.
Chrysost. ho. 2. de Proph. obes.
Id. in Psal. 49.
Id. in Psal. 100.

tium, è triviis ganeonum, è conventiculis Hæreticorum, è famoſis libellis, & perditorum hominum volantibus chartis; tum addunt de ſuo, interpolant, & conſuunt, & malitiæ fœtum coagmentant. Aprilis.

II. Sed ſi velis illi, qui fecit contumeliam, eripere illius, quam inde expectat voluptatem, & ita egregiè vlciſci factam tibi iniuriam, oppone illi tuam, quâ æquanimiter feras, patientiam. Tunc illa non ſecus retundetur, quàm telum aliquod in petram duriſſimam libratum, & obtuſum. Concidet enim ibidem irrita opera, & ſubinde repercuſſum in eum, qui emiſit, reciproco impetu ſæuiet. Nempe idcirco quis te lædit, ut doleas; quia fructus dolentis, in dolore eſt læſi. Ergo cùm fructum eius euertis non dolendo, ipſe neceſſe eſt amiſſo fructu, doleat. Hinc Diogenes, dicentibus. *Hi te rident*, reſpondit; *Ego autem non rideor.* Id ſibi perſuadere debet iratus, non ſe contemni; ſed potius cum, à quo læſus eſt, eſſe contemnendum. Hinc & Lyſander, cuidam peregrino contumelias in illum coniicienti, dixit: *Crebro iſta dicito, dicito abſque intermiſſione, ſi fortaſſis animi tui mala, quibus plenus videris eſſe, poſſis egerere.* Talia ergo cùm audis, non quid illum dicere, ſed quid te facere deceat, attende. Quid, quod plerunque, iuſto Dei iudicio, contumeliis, qui alios afficiunt, ab aliis, & ipſi afficiuntur. Itaque multi, cùm alios infamant, ab aliis infamantur.

III. Accipe quædam è multis. Iphicrates, Hermodio ignobilitatem exprobranti, reſpondit: *Mei generis nobilitas à me incipit, tua autem in te deſinet.* Simile quid repoſuit Anacharſis, cui, cùm Atticus quidam obiecisſet, quòd eſſet patriâ barbarus, vtpote Schyta, dixit: *Mihi quidem probro eſt patria, ſed tu patria.* Sic Androchychas increpitus à quodam, quod in aciem claudus deſcenderet: *Pugnare, non fugere, propoſitum ſibi eſſe*, reſpondit. Sic aliquando percuſſum telum contumeliæ, in auctorem repercutitur. Adeoque non raro confunduntur, qui alios volunt confundere, quivè ſarcaſmis amaris, ſeu conuitiis, & ſibilis, aut quibuſcunque linguæ venenis eos aſpergunt. Vt Olympiæ porticus vocem acceptam, arte ſepties reddit; vnde heptaphonon oppidani vocant: ſic quoſdam, ſi vno tangas conuitio, ſexcenta regerunt. Nulla enim eſt pars corporis, quam lingua, ad nocendum promptior, ad frenandum difficilior. Sic non ſolùm in ſeruo, verum eſt illud Satyrici: *Lingua mali, pars peßima ſerui.* Sed in pleriſque etiam liberis, quibus nihil peiùs dedit Natura, quàm linguam. Bella, doli, adulteria, corruptelæque omnes penè ceſſarent; niſi lingua, malum ſemen & ſpargeret, & foueret. Interim dum aliorum laceraris contumeliis, impeteris opprobriis, ſit tibi in ſolatium illud, quod panxit felici venâ poëta metrum.

Lædere nulla probum poſſunt, mordentia probra.

Digitized by Google

20. DIES APRIL.

Aprilis. **Non est prudentis odisse errantes ; alioquin ipse sibi odio erit.** *Seneca epist. 99.*

Odium proximi. I. QVia ex Iustitia debetur proximo Amor: hinc oppositum illi est vitium Odium. Est porrò odium, partus furiarum; virus pacis; matrix discordiarum; ciuile naturæ bellum; officina ærumnarum, contages scelerum; gymnasium maleficentiæ, aluearium fellis; parricida charitatis, proditio vniuersi. Nec tantum est vnum malum, sed syllabus malorum. Per odium, sacrilegio offendimus naturam contra fas, & ordinem mundi, cuius membra omnia Sacramento amoris consistunt, & se quasi amando sustinent. In primis, elementa, licet æmulis ferantur incursibus, se tamen diligunt: ne sibi noceant, recedunt in remota; ut sic, quoad possint, rixæ occasionem vitent: malunt loco cedere, malunt fugere, quàm repugnando vincere. Ignis omnium acerrimus, vltro, ne pugnet, ne rixetur, exulat: fugit ferè nostrum orbem, ne vicina vi lædat, sed remota foueat. Terra humillimo libenter gaudet loco, ut imperturbatum æthera relinquat. Aqua non grauatè, decedit de sua sede, & sidet, ut terram conspicuam cælo exhibeat, & ignem securum. Ipsa Natura, dulci omnia copulauit amplexu, amatoriâ colligauit catenâ. Nectit in primis, elementa, amicâ quadam qualitate, instar annuli annulo cohærentia: dein suauissimam istam catenam per animalium corda duxit; amore, & similitudine omnia constringit: stellarum choreas in cælo, volucrum examina in aëre, armenta boum in pratis, greges pecudum in montibus, cateruas ceruorum in nemoribus; turmas ferarum in syluis, amatorius quidam spiritus cogit.

II. Solum, istam venerandam naturæ catenam, rumpit odium: istud violat sanctum pacis fœdus, ipsis cælis maximè venerandum. Omnis in charitate fundata Natura est, odit solum odium. Illud tamen, quod naturæ sic aduersatur, homini, qui est primùm decus naturæ, quàm est familiare? Cùm tamen nihil sit nisi vnum, quod odio est dignum, si quæras, quid illud sit? Est, quod omnes fugiunt, & tamen omnes consectantur, Malum, sed nihil in natura est malum, & nemo natura sua facit mala. Ipse Deus, perspicacissimo lustrans obtutu vniuersum Naturæ censum, omnia vidit

vidit valdè bona: Igitur extra naturam, malum est, & est contra ipsam, contra ordinem suum, contra harmoniam, quam ratio dispensat. Cùm porrò nullum sit verè malum, nisi peccatum, præter illud nihil est odio dignum; quia illo nihil est indigniùs. Istud duntaxat nos lædit: istud est fulmen præposterum, ab Inferis emissum, istud est exilium mentis, quo à se exulat, istud ipsam exanimat animam, istud stupor mundi, istud horror naturæ, istud monstrum rationis, istud odij scopus. Aprilis.

III. Hic tamen cautè vtendum odio, ne abutaris. Peccauit in hoc Timon, qui omnes homines oderat: malos merito dicebat se odisse, quia mali, cæteros, quia malos non oderant: peccatum censebat non odisse peccantes: Error fuit, si quis velit odisse peccantes, ipse sibi necesse erit, sit odio. Oportet hic subtiliter discernere malitiam, à malo. Quare in alienis peccatis, minus, vel cautiùs est indulgendum odio, ne indignaturi factis humanis, indignemur hominibus. Nunquam amandum est alienum scelus, sed nunquam tamen odio habendus est sceleratus: dignior est miseratione, quàm indignatione, quo magis sceleatus, non est magis odio dignus, sed misericordiâ. Qui magis ægrotat, est magis miser. Quod si transferas in homines odium, certum tibi impendet exitium: subito enim odium subit, importunè manet, lentè, aut vix exit: magna vi euelli opus est, fortissimas radices agit. Quare, ut coram Deo sis reus, non opus est, armes ad pugnandum manus: vel quæras, ut hosti noceas toxicum: satis est, vel animo concepisse odium. Vnde si Gregorio fides: *Non potest hominem odisse, qui Deum amat, nec potest Deum amare, qui hominem odit.* Proclivè est malos odisse, quia mali sunt: rarum autem, & pium, eosdem ipsos diligere, quia homines sunt. Vis tuum sit cælo, & cæli Domino acceptum odium? Accipe odij rectè vsurpandi artem ab Augustino: *Oportet, ut oderis in te opus tuum, & ames in te opus Dei.* Hanc igitur altè animo recondе sententiam: *l. 10. Mor.* *Tr. 12. in Ioan.*

Proximi amans odium, te reddit cælo odiosum.

3. DIES

21. DIES APRIL.

Aprilis. **Non amas in inimico, quod est; sed quod vis, ut sit.** *Sanctus Augustinus Tractat. 1. in epistol. Sancti Ioann.*

Inimicitia. I. EX odio, dum inter duos est reciprocum, nascitur, velut ex pessimo ouo, pessimus pullus, Inimicitia. Hanc quisquis in animo diu fouet, proximus est exitio. Quia illi, quibus ita occalluit vitium odij, ut nunquam velint deponere inimicitias, semper volunt odisse inimicum, nunquam sepelire offensas, nunquam ignoscere offendenti, & parcere offenso, semper vindictas spirare, donec ferè expirent: qui sunt tam immisericordes, non est, quod in novissima hora sperent misericordiam, est quod timeant Iustitiam. Nimis est arduum, & ideo rarum, vbi per omnem vitam æternis homo assueuit odiis; tunc cùm desinendum est viuere, desinere odisse: tunc simul, & semel simultates ponere, maleuolentiam abiicere, & redire cum eo in gratiam, quem paulò ante diris omnibus, diro animo deouisti, illum admittere in amicitiam, quem antea morti destinasti victimam: tunc, cum ipse morti cadis victima. Difficile erit eo articulo exulceratam mentem, & priuatæ vltionis desiderium exuere, qui hanc artem nunquam didicit, imò nec discere voluit, etiam iussus, & quidem cum interminatione mortis æternæ. Est hæc, sæculi huius corruptela, ut quisque in sua causa velit esse Iudex, imò & vindex: eumque qui offendit, qui nocuit, etiam qui videtur nocere voluisse, ad priuatum tribunal raptum, ex præcipitato vetitæ vltionis imperio condemnare, furore non semel in vulnera, ac cædes erumpente.

II. Vlteriùs progreditur odium. Non pudet homines (placidissimum naturæ genus) efferari in rabiem, & verbulum asperius, acerbiorem risum, leuiorem sannam, alterno sanguine expiare. Gratissimum passim est spectaculum homini, mors hominis. Quanta verò mala oriantur ex hoc fonte, ostendunt tot tristes exitus, funestæ tragædiæ, lamentabiles catastrophæ. Multos enim perdidit ira, quàm temporis diuturnitas fouit: inimicitiæ cùm figunt radices, fiunt implacabiles. Atque, ut gratiæ deflexus facilis: ita odij ad gratiam difficilis consueuit esse transitus: præsertim in morte,

Digitized by Google

morte, si per omnem antea vitam, roboratus est vindicandi affectus: neque docta mens offensi, per vsum ignoscentiæ, mitigari offendentibus. Quapropter nemo sibi laqueum ponat sub ea fiducia, quasi vindictam omnem, tum animo suo velit excludere; tum cum offendentibus reconciliationem admittere; tum iniurias æternâ obliuione delere; tum condonare alienos errores, quando cum morte erit abeundum hinc, neque ampliùs erit vlciscendi occasio. Hæc persuasio, est dæmonis manifesta illusio. Semper mala est doctrix vitiorum, consuetudo; maximè per multos vitæ annos roborata. Si tunc nolis de inimico vindictam sumere, quando debes hanc vitam deserere; non tu vindicandi cupiditatem, sed te illa cupiditas deserit. Aprilis.

III. Quomodo, qui charitatem proximo nunquam exhibuit, ad Deum, qui Charitas est, præsumet accedere? Iustus hic metus, omnes illos debet invadere, quibus mos est, post iniuriam coquere longas iras, nutrire in senium inimicitias, æternas vindictas meditari. O! quot, quantosque mortales, hoc vnum in morte sua perdidit, voluisse diu alios perdere, assueviſſe per omnem vitam gravibus odiis, nec didicisce ignoscere. Leonibus manum innoxiè magister insertat; tygrim custos suus osculatur; Elephantem minimus Æthyops iubet subsidere in genua, & ambulare per funem. Nimirum, facilia sunt imperia cicuratis iam feris. Nos, si per omnem vitam domuerimus brutos, & ferinos affectus iracundiæ, odiorum vltiones; nihil morientibus turbabit præteritarum memoria iniuriarum: erit ab ea parte, quâ plurimi tam intricantur, nobis via libera, & expedita ad cælum. Claudo cum D. Augustino, auctore hodiernæ tesseræ: *Opta Inimico, ut habeat tecum vitam æternam. Opta illi, ut sit frater tuus. Non enim amas in illo, quod est; sed quod vis, ut sit*: vis enim, ut sit bonus; ama in eo bonitatem. Denique:

Nullum habeas inimicum, & erit tibi Numen amicum.

Digitized by Google

22. DIES APRIL.

Aprilis. **Hoc sit propositi nostri summa; quod sentimus, loquamur; quod loquimur, sentiamus.**
Seneca epistol. 75.

Simulatio. I. SImulatio tota ex veteratoria fraude contextâ Amicitiam, non ut Odium palam aperto Marte, sed clam clandestinâ arte, & quasi per cuniculos oppugnat. Illa, aliud loquitur, quàm sentit, & perpetuum est dissidium illi inter acta, & verba; inter linguam, & vitam. Quot ferè hominum in mundo, tot sunt & laruarum; nihil veri, nihil synceri, colorata omnia, fucata singula, personata vniuersa. Confidere in tôto vix vlli mortalium licet. Quæ enim fiducia? Audeo dicere inter tot hominum myriades, vix vnum par inuenietur, ut Orestes, & Pylades. Quem enim quisque socium, & amicum habet, non integrum habet; in alios enim sibi amicos, divisus est: hinc cùm vni secretum etiam sub rosa, vni amico credideris; ille occasione oblatâ, aut confirmandæ cum alio amicitiæ gratiâ, aut reconciliandæ, aut ineundæ, sub eadem rosa commendat alteri: vsque adeo, ut secretum sæpè publicetur, & ipse publicationis auctor nesciatur. Quasi ad fallaciam geniti sumus. Nihil certi nobis promittere à candore hominum possumus: adeoque nescimus, sentiant plerique, quod dicunt, an secùs?

II. Multi virtutem palam laudant, virtute nec minimâ præditi: amorem loquuntur, qui odia intus non moritura fouent: spondent opem prodige, ne fide: latet, ut plurimum in liberali sponsione dolus spondentis. Ostentant deinde se velle, quod nolunt, nolle, quod volunt: ambire, quod auersantur; auersari, quod ambiunt. Damnant improbos, ipsi damnandi propter improbitatem: laudant pios, pietatis inimici: modestiam vultu præferunt, omnis immodestiæ serui. Sic, ut modo quomodo cum hominibus agas, ipse nescias. Viri politici vnius dogma excipe auribus, ad cautelam, ne exprimas moribus? *Hæc sunt, quæ politicum decet expendere, non modo quid agendum, vel quid omittendum, sed quid etiam simulandum. Totus mundus fuco vtitur: cum vulpibus vulpinandum est. Pueri nucibus, viri iuramentis fallendi sunt. Nec est infame violasse iurisiurandi religionem.*

VVenceslai de Moruschania Haretici.

nèm. Fecerunt hoc nostri Principes, nos chariores habebunt, si non modo pro iis patiamur, & belligeremur, sed etiam peieremus. Dum crepundia vendunt institores vestri, simulant, mentiuntur, pro asse peierant, & nos id non faciemus pro regnis, & arcibus? faciemus, & quidem libenter. Quid videtur? quid cum talibus agendum? quomodo cum eis viuendum? Conniuendum autem necessariò, cùm inveniantur, qui iisdem vestigiis insistant, & omnia componunt, ut imponant. Aprilis.

III. Expedire nos, etiamsi prudentissimi, ab eorum lâqueis vix possumus, cùm omnia tectè adeo faciant, ut aut Ædipo, aut Argo opus sit. Clam oderunt, detrahunt, calumniantur, mille habent anfractus malitiâ implexos, quos tegit oratio. Quæ potest in eo esse Caritas Christiana, cuius cor ait, lingua negat? An non monstrum horrificum est hoc biforme, cælo inimicum, hominibus odiosum, in corde strictum habere gladium, invidiâ, & crudelitate politum, in lingua pacem, amoremque ventilare. Capræ lambunt arbores, & lambendo exsiccant, & cùm illas exosculari videantur, occultum venenum infundunt, quo pereunt: sic nonnullos ore blando, velut suaviari putes, & vim amoris exprimere, cum detestabili quadam machinatione insidias ponunt, & nocere velint. Multi puteos imitantur profundos: quorum latices puri, liquidique sint, an lutulenti; salubres, an venenati; salsi, an dulces, non cognoscas, nisi multo labore exhaurias: ita latentes in profundo sensus habent, arcanasque voluntates, proposita Rationi, & Deo adversa, integumentis simulationum obducta. Expiscari ab illis nihil queas, vel in apertum lumen educere, nisi penetres, ut in profundum alueum, in animi penetrale, & mentis cogitationes, qui est locus homini inaccessus. Illos versipelles cum pauo Tertullianus confert: qui multicolor, & discolor, & versicolor nunquam ipse, semper alius; & si semper ipse, quando alius. Sed pro clausula sit illud dignum Propylæo Delphico carmen: *Plin. l 3. c. 50.*

Pelle sub ouinâ latitat mens sapè lupina.

Digitized by Google

23. DIES APRIL.

Aprilis. Tolle invidiam, & tuum est, quod habeo: tolle invidiam, & meum est, quod habes. *S. Augustinus tract. 32. in Ioan.*

Invidia. I. O Dij frutex, est Invidia, cui proprium est tristari de alieno bono, & gaudere de alieno malo. Habet enim mens nostra, sublime quiddam, & erectum, & impatiens superioris. Hinc, qui se supra modum extollit, alterum, qui inferior est, premere, ac despicere creditur: Inde invident humiliores. Nam hoc vitium est eorum, qui nec volunt cedere, nec possunt contendere. Invidus, licet pudeat eum morbum, quo cruciatur, prodere, vultus tamen, index animi, eum detegit: oculi aridi intra palpebras tabidas, & extenuatas recedentes; supercilium contractum: ad hæc complodit palmas; digitos complicat; cogitationibus angitur; ex intimis præcordiis, doloris significantia ducit suspiria, iniucundus illi est proventuum fructus, acerba mensa, focus subtristis, paratæ, ac faciles aures obtrectantibus ei, qui secundâ fortunâ vtatur. At quænam morbi causa est? quod frater, nimirum, vel propinquus, vel necessarius, vel vicinus in prosperitate viuit. O novas iniurias! crimini dare, quod non aduersa fortunâ conflictetur ille, cuius rebus secundis dolet. Quid habes, quod de eo conqueraris, & crimini das? si ille corpore decorus; si eloquentiâ ornatus, si genere superior est, si aliquo Magistratu inito splendidus, ac magnificus in dignitate conspicitur; si propter prudentiam in verbis eius auctoritas ineſt: si ob liberos sibi placet, si vxore delectatur. O stulte! hæc omnia bona tua sunt, si tollas Invidiam.

II. Hæc labes antiqua est. Primùm enim hominem superbia: secundum, videlicet Cainum, infestauit Invidia. In infantia suâ mundus adolevit malis. Nec inter fratres secura Innocentia fuit, nec inter sacrificia, tuta pietas: ipsas aras profanavit Invidia, quæ religionis, ac naturæ violatæ rea, in proprium sanguinem audax, tertiam hominum partem trucidauit, quia vnus innocens fuit. Totus orbis mortalibus, alioquin vacuus, duos capere non potuit fratres, altero invidente. Nulla funestior, quàm Invidia pestis, dimidiam exhausit natorum partem, quos scimus

mus tunc vixisse. Invidia rudem adhuc, & virginem mortem erudiuit, & quàm primus hominum meruit, primogenitus fecit: Adam enim superbiens, mortem necessitate sua induxit; Cain invidens, voluntate sua intulit. Primus natus, mortem primus edocuit. Primus Filius, primus malus frater; primus homicida, & quod scelestiùs, parricida, fratrem per Invidiam occidens, ut quia superbia causa, & mater fuerat mortis, obstetricaretur Invidia. Quid miseriùs inuido, quem non modò mala propria, sed etiam bona aliena cogunt miserum esse? Quid scelestiùs, quàm minus dolere suis malis, quàm optare aliena? Quid iniustiùs, quàm bonis propriis non gaudere, & aliena mala appetere? Quid funestius, quã odisse omnes, se dolore afficere? Aprilis.

III. Insanabilis est Invidiæ morbus; nam & inuerecundus quidam pudor ægri, suum morbum celantis, & pessimi morbi qualitas, naturæ repugnat. Ab humana manu curari non potest vnquam', à Divina non solet semper. Hoc igitur malum non admittit medicum, spernit medicinam. Cui enim caput, aut membrum aliquod dolet; medico morbum aperit. Verùm, qui ægrotat Invidiâ, quid dicet! Angunt me proximi bona? Nam veritas hæc est. Attamen hæc quisque fateri erubescit. Quid quæso te affligit? proprium malum, an bonum alienum? Certè malum tuum incurabile. Itaque hic nullus medicinæ est locus, nulla medendi spes. Vnde fieri poterunt boni, qui sunt in bono mali? Aut quomodo eos punitura sunt mala sua, quos etiam bona puniunt aliena? Quis ei poterit subuenire, qui se sibi exhibet inuidendo carnificem? aut vnde sibi parabit salutem, qui de salutis materia, facit perniciem? Est vitium planè rabidum & caninum, quod alios mordet, & rodit, vel saltem aliis allatrat. Huic occinit Vates hoc effato:

Dum canis os rodit, socium, quem diligit, odit.

Digitized by Google

24. DIES APRIL.

Aprilis. Melius est nihil habere ; quàm multa habentem, nemini impertiri. *Sextus Pythagoricus.*

Immisericordia. I. PEdissequa Invidiæ, est Immisericordia, quâ, qui laborant, eos dicunt sapientes ; hominem ex homine exuere, & ad naturæ feritatem imminere. Feruntur autem quidam in eam labem vitio immitis, & malitiosæ naturæ ; quâ rebus aliorum aduersis, & calamitate lætantur. Quales sunt illi, qui nullo proposito emolumento ; sed tantum, ut prauitati suæ lenocinentur : iucundo animi sensu capiuntur, si videant vel hominem discerpi à feris, vel domos incendi, vel ab hoste diripi vrbes, atque agris vastitatem inferri, euerti palatia, pestem grassari. Alij in eandem inhumanitatem, vitiumque deducuntur auaritiâ. Itaque mori fame, & egestate paupetes, obæratos putrescere, multiplici iniuria vexari multos siuerint potius, quàm quidquam erogauerint de suo. Quos pungit hodiernæ diei tessera. Illud in hoc vitio in primis cauendum; ne vllum penitùs, qui miseriis conflictetur, pro ludibrio habeamus; neuè illius afflictæ fortunæ insultemus. Si iuuare non potes, aut non vis ; ne saltem obsis; ne sis vnguis in vlcere; ne canina musca, quæ sanie miserorum pascatur. Hoc faciunt, qui prostratis inopina calamitate sæuè nimis illudunt, & aduersæ fortunæ ictu laceratos, acie linguæ iterum cruentant, quos solari debuissent.

II. Quid quod aliqui tam sint immisericordes, ut de venatibus redeuntes, magis canum, quàm seruorum curam gerant. Vnde videbis, in aliquorum domibus, nitidos, & crassos canes discurrere : homines autem titubantes, & pallentes incedere. Audi Chrysostomum: *Canis tibi magna est cura, homo verò, imò Christus ipse, pro nimio hoc tuo in belluas studio, fame extrema deficit.* Obserua hodiernæ diei tesseram: satius est non habere; quàm multa habentem, non dare egenti. Consonat illud D. Ambrosij: *Non minus est criminis, habenti tollere, quàm, cùm possis, & abundes, indigentibus denegare.* Tot ergo immisericors tollit bona, quot posset præstare, si vellet : sic multi ornant parietes auro, & homines denudant. Clamat ante domum pauper, omnium egens, & nudus, & tu sollicitus

Ser. de malis à nobis auertend.

Serm. 81.

es,

es, quibus marmoribus pauimenta vestias. Panem postulat homo, & equus tuus, aurum sub dentibus mandit. Infelix, cui tot pauperibus succurrendi est potestas, & deest voluntas. *Totius vitam populi, poterat annuli tui gemma seruare.* Quot aliorum gemitibus, tu imples tua horrea frugibus. Quid igitur te miserius, qui aliorum ditaris miseriis? Non est tyranno dissimilis; qui solus habet, quod potest prodesse pluribus. Quid ni hic exclamem cum S. Zenone: *O quantarum neces animarum in phaleris pendent ornatæ matronæ.* Aprilis. *Ambr. de Naboth. c. 13.* *Ser. de Iustitia.*

III. Hoc facit Immisericordia, nihil ut suum credat esse, quod est publicum. Ut multa vnus possideat, multa multis, imò plurima plurimis denegat. Hinc si aliquis necessitate constrictus, rogare cæperit, vultum auertit, naturam non recognoscit; supplicis non miseretur; necessitatem non subleuat, fragilitatem communem non considerat, non precibus inclinatur; non lachrymis flectitur, non ciulatibus frangitur. Profectò si non das egenti, cum poscit, non accipies à Deo, cùm popoſceris. Iacet præ foribus tuis, Lazarus aliquis, laceris indutus panniculis, vultu pallidus, omnibus membris tremulus, & tu de foco calefactus, de ingestis cibis tunc tumefactus, vino rubicundus præteris, & non aspicis, imò supplicantem audis, & despicis. Quo non dignus es supplicio, qui sic contemnis supplicantem? Audi iterum Chrysostomum, non tàm è pulpito dicentem, quam è machina tonantem. *Is, qui est ad imaginem Dei creatus, tuâ inhumanitate sordescit, & squallet: malorum verò facies, qui coniugem vecturi sunt tuam, auro non modico fulget. Pelles insuper, & ligna, quibus tegumentum aliquod contexitur, vel si sedes paranda sit, aut suppedaneum auro, argentoque operitur: at Christi membrum, cuius ob gratiam è cælo descendit, & sanguinem fudit, necessariis alimentis, vestimentis destituitur.* Hic lubet cum Vate exclamare: *Supra.*

Tunc cultor Christi spernes in paupere Christum.

25. DIES APRIL.

Aprilis. Quæris, quid sit, quod nobis obliuionem acceptorum facit? cupiditas accipiendorum.
Seneca de benefic.

Ingratitudo erga homines. I. INgratus essem ipsi Gratiæ, nisi execratione omni dignissimam ostenderem Ingratitudinem: cùm eam omnium mortalium sermo accusset, & conspirantibus suffragiis, omnes condemnent. Sicuti contra, Gratitudinem, nulla barbaries gentium, nulla morum immanitas non laudabit. Tamen non est vitium aliquod, quod à tam multis verbo damnatum, tam multi rebus ipsis amplectantur, ac teneant. Quanquam è duobus eligendum potius ingratum ferre, quàm ingratum fieri. Omnis porrò Ingratitudinis triplex est causa: Invidia scilicet: quæ dum impensa aliis beneficia, suas ducit iniurias, in se collata non aspicit. Hinc istæ querelæ: hoc mihi præstitit, sed illi plus, sed illi maturius, sed illi libentiùs. Altera causa, est superbia; quæ vel se maioribus beneficiis dignam censet, vel præferri sibi aliquem indignatur. Nam se omnia meruisse existimat; nec satis suo pretio se æstimatum putat. Hoc mihi dedit, ait; sed quàm serò, sed post quot labores? quanto consequi plura potuissem, si illum, aut illum, aut me colere maluissem. Non hoc speraueram. In turbam coniectus sum. quasi vnus è multis iudicatus sum. Tam exiguo me dignum iudicauit; Honestius præteriri fuit.

II. Tertia causa, est Cupiditas: Hæc vix vllum patitur esse gratum, semper magno hiatu nouis beneficiis imminet. Hæc muneribus non lenitur, sed accenditur: & dum acceptis inhiat, non meminit acceptorum. Nunquam improbæ spei; quod datur, satis est. Eo maiora, & plura expetimus; quo plura admisimus: multoque concitatior, & inflammatior est cupiditas, in magnarum opum congestu collocata. Nemo agit de senatorio gradu gratias; sed queritur, quod non sit ad Consulatum vsque euectus. Nec illum nactus, interpretatur gratiam, sed quia Prætura deest, iudicat iniuriam. Nulla ei dignitas placet, nisi in ea non tantum sit, primus, sed solus. Vltra se ambitio explicat, & felicitatem suam: quasi pertæsus, non quid acceperit, attendit, sed quid accipere potuisset.

Digitized by Google

tuisset. Quid ergò mirum, si pauci sint grati post acceptas gratias, vbi nemo satis accipit? Quis igitur est istorum, qui huiusmodi, vel Inuidiæ, vel superbiæ, vel Auaritiæ vitiis laborant tam firmæ voluntatis, ac solidæ, vbi tuto apud eos beneficia deponas. Aprilis.

III. Alij ex aliis vitiis sunt ingrati: aliquos à reddendis gratiis auocat labor, quia illis molestum, alios impensa, quia sumptuosum, alios turpis verecundia, quia probrosum fateri se accepisse: alios ignorantia officij, qui nesciunt, quæ sint obsequia humanitatis, ex ingenita inurbanitate, alios pigritia, quia non lubet cum tanta difficultate, alios occupatio, quia non vacat istis officiis vacare. Sed nullus inter omnes est ingratior eo, cui totum beneficium memoria excidit, & altâ obliuione sepultum est. Nescias tamen, quis in hoc vitio sit potior: an ille, apud quem intercidit beneficij gratia? an, apud quem etiam memoria? Quis tam ingratus est, quàm qui, quod in prima parte animi positum esse debuit, & ut semper occurreret, altâ mente repostum ita sepositi, & abiecit, ut in ignorantiam verteretur? In confesso est, illum non sæpè de reddendo cogitasse, cui reddendi obrepsit obliuio. Tametsi ea tantùm obliuio fugillanda est, quæ liberè contrahitur, cùm possit facilè excuti. Vitium hoc, potissimum tumentibus animis est frequens; qui cùm plumbeas iras gerant, ut est apud Comicum, leviores tamen pluma gratias habent. Habes hîc summam ingratitudinis virulentiam, suis coloribus expressam; quam velis, remisque fugere, par est omnes; qui volunt apud homines, probrum, & ignominiam effugere. Itaque maneat altâ mente sepultum hoc metrum, ne Ingratitudinis incurras probrum:

Lex, & natura, & calum, Deus, omnia iura
Damnant ingratum, infausto quasi sidere natum.

26. DIES APRIL.

Aprilis. Gratiarum cessat discursus, vbi recursus non fuerit. *Sanctus Bernardus sermon. 1. in capite Ieiunij.*

Ingratitudo erga Deum.

I. INgratitudo in homines est vitium magnum, & intolerabile: in hominum Conditorem, est maximum, & incomparabile. Quis non stupeat, vel potius non horreat? Hominum aliàs pessimorum, perexigua beneficentia, nos mouet ad benevolentiam, & obsequiorum promptitudinem: & interim immensa Naturæ munificentissimæ beneficentia, ut gratissimus, nos non tantum non monet, sed nec docet. Quid hoc monstri? si homo nobis, vel oculum dedisset, imò vel datum vitio aliquo curasset; pro beneficio tantillo, totum, ut grati essemus, impenderemus & corpus, & animum: Deus totum hominem fecit, imò refecit, nec æstimamus eum beneficum. An naturam perdit aqua, quod in mari sit, non in exiguo poculo? An donum aliquod amittet naturam beneficij, quia Deus est auctor, cuius natura est benefacere? Purior est aqua in fonte, quàm in cloaca; sic & puriora sunt beneficia Dei, quàm hominum, qui plerunque corrumpunt naturam beneficij. Cur igitur munera amittent priuilegium, & reuerentiam suam, quod fiant à Deo: quæ si facta fuissent à vili aliquo homine multò minora; nisi grati essemus, non auderemus securâ fronte, esse coram hominibus, sed puderet nos: & tamen, quia facta sunt à Deo, impunè sumus ingrati, & coram Deo, & Angelis audemus sine pudore comparere. Estne ista infelicitas beneficij, factum fuisse à felicitate summa?

II. Forsan ignoras Dei beneficia, & ideo tardus es in referenda gratia. Nusquam, nec vnquam te potes mouere, quin vbique, & semper occurrant tibi Dei beneficia. Cælum nobis dat vitam, astra lucem, & calorem, nubes imbrem, aër motum, & benigam aspirationem, crystalla rupes, aurum montes, syluæ arbores, flores, odores, apes mella, oues, velleta, vites ambrosiam, ostrea vniones, maria gemmas, purpuram, pisces; blatam, vermes, multæ animantes, carnem. Totus mundus veluti horreum est suburbanum, quo, Diuina Bonitas hominibus, tanquàm Dominus providit ad beatæ vitæ propagationem. Cur igitur, non æstimamus tot dona? cur

cur non amamus tot donorum largitorem? Grati sumus erga latrones, quia non penitus spoliarunt nos: imò erga canes, quia latrando, vel mordendo custodiunt nostra: & ingrati sumus in eum, à quo accepimus non modò multa, & magna, sed omnia, & ne illa amittamus, perpetuò seruat? Grato in eum sumus animo, qui nobis in quacunque opitulatus est necessitate. Quæ maior necessitas, quàm nihil habere, nihil esse? Tunc Deus nobis subuenit, donando vitam, & esse, & tamen tanti beneficij obliuiscimur. Annè maior misericordia censebitur, opitulari quo viuamus, quàm dare ipsum viuere? Quanto quis magis eget, etsi parum detur, pluris æstimatur, quàm cùm plus donatur minus indigenti. Deus cum summè egebamus, vtpote, qui nihil habebamus, quia nihil eramus, non parum aliquid dedit, sed totum, quod sumus. Aprilis.

III. Vel ideo, quia vnico momento te in vita conseruat, licet pro illo millies vitæ iacturam faceres, non illi satisfaceres. Quod si pro beneficio minimo, sic Deo es obstrictus, ut te totum etiam infinities debeas; quomodo pro aliis maximis, & plurimis satisfacies? Te totum debes ei, quia se totum dedit tibi: te totum debes, quia in te impendit suam Omnipotentiam, occupauit Misericordiam, adhibuit Prouidentiam, fatigauit sapientiam, vsurpauit Bonitatem. Te totum illi debes, quia se totum tibi dedit, non inuitè, sed libenter, quia vltro, non rogatus, quia sponte, non coactus: quia dedit se amando, quia eligendo inter infinitos: quia dedit præuidendo post beneficia maxima te fore maximè ingratum. Si toties te illi debeas totum, ob vnicum beneficium: da saltem partem illi ob infinita beneficia; da saltem illi cor, à quo, ut posses dare, accepisti: & cùm singulis momentis te conseruet in vita, & præseruet à culpa: singulis momentis te totum, Deo infinities debes. Quod si tantum sit minimum Dei beneficium, ut toties te illi totum debeas, quid propter immensum beneficium Redemptionis? quæ tantum excedit Creationem, quantùm Deus excedit hominem, in Creatione enim, te dedit tibi: in Redemptione se tibi dedit, & te restituit. Sed quid dicam, quisque magis est cupidus beneficij accipiendi, quàm reddendi, iuxta illud:

Clauditur ad dandum vola, panditur ad capiendum.

27. DIES APRIL.

Aprilis. Plus persequitur lingua adulatoris, quàm manus interfectoris. *Sanctus Augustinus in Psalm.* 69.

Adulatio. I. NOn adulatur hodiernæ diei tessera Adulationi, dum pernicioſiorem pronuntiat Adulatoris linguam, quàm interfectoris manum. Ne tibi plus æquo placeant lenocinantis adulatoris blandimenta, aſpice, quæ hîc depingam eius lineamenta. Mos illorum eſt, lenociniis verborum, ſubtili artificio compoſitis, inſinuare ſe in potentium gratiam, & eorum aucupari bènevolentiam: congerunt laudes ſupra omnem fidem, qui aureus hamus eſt, quo prædam capiunt. In eo ſtudioſiſſimè elaborant, ut habeant in promptu exquiſita præconia, ad exornandas corporis, animiſque dotes. Si quem virum honoratum, quem auariſſimis ſuis votis obſident, cupidiorem laudis obſeruent, tum videlicet omnia vela politæ ſuæ dictionis explicant, & afflante aurâ impudentiæ, glorioſè in altum feruntur: ille enim auidiſſimè crepantes adulationum bullas audit. Si quid dixerit promptum ex natura rerum, de elementis, de mixtis, de animantium varietate, de fluxu maris, fontium origine, de aëre, grandine, fulminibus, eum eſſe dicent, à quo Plato, & Ariſtoteles, & reliqui Philoſophiæ Principes diſcere multa potuiſſent. Si quid publicè, & in cætu aliorum pronuntiauerit, Neſtorem vocant, cuius ab ore, melle dulcior fluebat oratio, nihil præ illo videri M. Tullium.

II. Neque in eo ludo malitiæ, & diſſimulationis, eſt tantum in laudando eruditus aſſentator, ſed etiam in vituperando, eſtque ſemper in ſtatione, ut quocunque ventus afflauerit, eo remis, veliſque rapiatur, in quo mirabilem verſuti ingenij mutabilitatem videre licet. Nam ſi fortè virum potentem viderint, quem aſſentatiunculis ſuis captare ſtudent: iratum in Titium, v.g. ob leuiculam erroris ſuſpicionem, tum palæſtram ſuam ingreſſi, maledicentiſſimæ, & petulantiſſimæ obtrectationis, nihil non mali in Titium conferunt, illum improbum, & furioſum, & bipedum omnium nequiſſimum dicunt, totam meritum, & tunicam mole-

molestam, quod immani sacrilegio Deum offenderit. Redeat in gratiam Titius, & à magno illo viro consuetâ benevolentiâ excipiatur, redit in theatrum adulator, novâ indutus personâ: iam Titius vir est omnium, qui sunt, aut fuerunt, optimus, & illius amore dignissimus, qui nutu suo, gratiaque potest fortunare alios, & propè in cælum attollere. Hinc igitur, nominati fuêre Chamaleontes, qui colores rerum omnium excipiunt, quibus adhæserint; à lilio, candidum, à rosa, purpureum, à beta, viridem, ab aliis, alium, toties alij, quoties alia contigerint: sic adulator in scenâ doctus inducere personam omnem, incredibili commutationum varietate, ad omnem se nutum, & aliorum voluntatem accõmodat. Aprilis.

III. Huiusmodi sanè homines, qui verborum vruntur lenociniis ad captandam gratiam, animosque titillandos, acriter perstringit D. Bernardus, his verbis: *Docuerunt linguam suam grandia loqui, cùm operentur exigua, largissimi promissores, & parcissimi exhibitores, blandissimi adulatores, & mordacissimi detractores, simplicissimi dissimulatores, & malignissimi proditores.* Magnum igitur, se inducunt in periculum, qui huiusmodi parasitorum ambiunt consortium, maius, qui expetunt contubernium. Quid enim expectandum ab huiusmodi hominibus est, quorum Princeps, & palmare dogma est, omnibus annuere, probare improbanda, dare verba, vendere fumos, modo gratiæ spes affulgeat, & fauoris, & lautæ mensæ, & aliorum commodorum? Quis velit assentiunculas inanissimas suæ salutis periculo mercati? quandoquidem acriùs in nos sæviant illi, crepantibus adulationum bullis, & fucatis laudibus, quàm vlli hostes ensibus. Hinc illud Augustini: *Leuius debet putari, quod gladio minante; quàm quod lingua adulante committitur.* Genus planè hominum potentibus infidum, sperantibus fallax. Oritur porrò hoc vitium ex animi pusillanimitate, & ingenij, ad nihil altum assurgentis seruilitate, ideoque excelsus animus, vereque nobilis, nunquam se ad eas ineptias demittet. De his ita Deum alloquitur S. Augustinus: *Qui laudari vult ab hominibus, vituperante te, non defendetur ab hominibus, iudicante te, nec eripietur, damnante te.* Non errauit Poëta, dum hæc annuntiauit: l. 4 de conf. l de Bapt. cont. Donat. l 10. conf. c. 36.

Nil dant mensipeta, nil portant prater Auete.

28. DIES APRIL.

Non est mendacium, cùm silendo absconditur verum, sed cùm loquendo promitur falsum.

S. Augustinus cont. Mend. c. 10.

Mendacij. I. NOn mentiar, si dixero mendacium, humanæ societati inter omnia vitia, maximum inferre detrimentum. Qualis enim esset hominum vita, sine veritate? aut quis status vniversitatis, sine illo Rationis, & Orationis decore; quod si tollas, non de mundo solem sustulisse, sed ipsum Bonum videare? quod Sol oculis, hoc veritas menti est: absque illa neque in priuatis domibus, Pax, neque in foro, Iustitia, neque in mercimoniis, fides, neque in artificiis, peritia, & cognitio certa vlla existeret: sine illa, omnis humana politia, ciuilisque, & mutua consuetudo nihil aliud esset, quàm obscurum in tenebris, & nocte prælium; vbi nequeat intelligi, quis amicus, quisue proditor alienæ salutis, cuius arma, aut iugulum petant, aut præsidium ferant. Sine veritate, medicamenta sunt venena, pietas, infanda superstitio; consilium fit exitium; significatio comitatis, & humanitatis, crudelis animi odium tegit. Denique extincta, & consepultâ veritate, priscum illud Chaos in mundum reuocatur, cum teterrima rerum omnium confusione: illa tamen mundo tam necessaria, tam est in mundo rara, ut videatur iam electa è communi hominum societate, supra stelliferos globos euolasse, atque adeò è terris migrasse.

II. Contra ex satu Mendacij pullulant in orbe terrarum versuti, & doli artifices, & iniusti, & deceptores, versipelles, è fallacia generati. Qui loquuntur mendacium: eorum os aperit dæmon, ait Origenes. Hinc benè S. Antiochus: *Necesse est ex hominu ore, nullum effundi sermonem, qui non veritate omnino nitatur, ut spiritus ille veritatis, qui idem Deus est, intelligatur in hac carne sibi delegisse domicilium, qui per hoc, apud omne hominum genus comperietur veridicus.* Vult significare vnumquemque accepisse Spiritum Sanctum ad loquendum, eumque inhabitare in domicilio pectoris nostri, ac vti nostrâ linguâ, ut sonoro plectro. Qui cùm sit idem spiritus veritatis, atque Deus, probrum, ac contumeliam infert Diuinæ Maiestati, qui mendacium concipit; cùm non nisi Deo mouente, atque moderante loqui debeat. Mendacium propterea tam fuit exosum etiam Ethnicis hominibus, tamen

Hom. 3. in Exod.

In Gen. c. 2.

Patri

Patri Mendacij autoratis, ut Periander inter leges, quas Corinthiis tulit, hæc vna fuerit: *Quisquis, aut vir, aut mulier in detrimentum alterius, mendacium dixerit, integri mensis spatio, lapillum in ore gestato. Non enim æquum est, loquendi libertate frui, qui in mentiendo efferus est.* Hæc lex, si vigeret inter Christianos, vix vllus esset sine lapillo in ore, quia mentiri, est apud omnes in more. Aprilis.

III. Sed quid est, quod nihil ægriùs feramus, quàm mendaces dici; nihil libentiùs, quàm esse. Omnis homo, est mendax non tantùm linguâ, sed vitâ; mentitur non tantùm verbis, sed factis. Pudet audire, quod mentiendo decipiamus, & placet viuendo decipere, & quod miraberis, placet decipi. In neminem maiori insurgimus stomacho, quàm dum nos arguit de mendacio: & interim, toti sumus consuti è mendaciis, frons, oculi, vultus, manus, pedes, membra omnia continenter mentiuntur. Quotus quisque non est fronte Cato; corde Nero: exteriùs, est comis, & grauis; interiùs crudelis & sæuus. Quoties quis specie est formosâ, ut Helena, pectore est rabido, ut furia. Pusilli animi est, tacere veritatem ob mortis minas: annè & propter mortem, aut vani honoris expectationem, velle decipi, & sibi imponere, honorificum erit? Ægyptij rationem vitæ, quotannis exigentes ab exteris, damnabant morte mentitos, rati indignos vitâ, qui de vitâ suâ falsum dicerent. Nosnè innocentiores erimus, qui vitam ipsam mentimur, & ne bene viuamus, decipimur? Ne putes mendacium solis verbis committi: est mendacium cogitationum, est rerum, est verborum, hoc est, est mendacium sensus nostri, & sermonis, & vitæ: Mendaces, mente sumus, cùm sequimur quà opinio, non quà veritas trahit: cùm species rerum non ipsas probamus; hinc contingit, ut etiam vera dicturi, peccamus: & quia fallimur, fallamus. Claudo cum Augustino: *Cauenda mendacia, rectè agendo, aut confitenda, pœnitendo.* Sed ne multus sis in mendacio, caue à multiloquio. Nec enim à sulco veritatis delirauit, qui hæc exarauit: *De mendac. c. 21.*

Multa susurrantes, mendacia sunt cumulantes.

29. DIES APRIL.

Aprili. Nunc nec promittendi modus est; nec promissa frangendi pudor vllus. *Petrarcha libr. 1. de Remed. Dialog. 110.*

Perfidia. I. EFfrontem oportet esse perfidiam, quæ audeat palam in omnium conspectu ostendere frontem, cuius tanta est fæditas, ut superet omnem fidem. Quæ, ut sit manifesta, illud obseruandum: in ea promissionis, ac fidei datæ simplici violatione, præter reuocationem iam iuris alteri collati, & acceptati elucet inconstantia, dedecens generosam mentem. Cedit itaque ea infidelitas in contemptum; non modo illius, cui promissum est, qui se idcirco delusum, & data pro rebus verba expostulare solet; sed etiam ipsius promittentis, quem nemo viri, sed pueri potiùs loco habeat; quod voluntatem habeat adeo versatilem, & tam desultoriæ leuitatis, ut tam turpiter priora sua verba veritate excidere velit; ita ut, quamvis cùm ea protulit, vera fuerint, spectata mente loquentis, cui supponuntur fuisse conformia, agnoscantur tamen fuisse falsa, spectato ordine eorum ad obiectum futurum, cum quo deformitatem habet, ob voluntatis perfidæ resultum, & fidei datæ infractionem, generosæ cuiuis menti exosam. Vnde in primis, Regium, & nobile censetur fidem datam seruare: ignobile autem, & plebeium, nec tam virile, quàm muliebre, vel etiam puerile, à fide data recedere. Hinc liquet, quanta sit in sæculo huius vilitatis, & ignobilitatis exūdatio; cùm passim in promissis seruandis, inter homines fides non tantùm sit rara, sed propè nulla?

II. Seruis nemo credit paciſci volentibus, quia non sui iuris. Quis igitur fidat hominibus; cùm plerique sint serui peccati, nec vlli minus sint sui iuris, quàm qui peccando amiserunt ius ad cælum: Pueris quoque lex non permittit contractum facere, tanquam infidis: neque mulieri apud Athenienses, nisi vsque ad hordei modium, propter consilij infirmitatem. Atqui, quid differunt à pueris, mali; quorum opera in conspectu Dei sunt magis puerilia, quàm puerorum, nisi quod illis antecedant potentiâ, & astutiâ: vnde illis potius minus, quàm pueris, est fidendum. Quin etiam malis mulieribus nihili sunt meliores viri praui. Differunt quidem sexu, sed

sed superant astu. Vnde in rebus magni momenti, parui plerunque momenti est illorum fides: licet enim quandoque à maleficiis abstinent; procliuis tamen ad naturam reditus est. Sicut enim efferatissimæ belluæ sunt cicures, & mansuetæ cùm dormiunt, suam tamen naturam non exuerunt, nec feritatem abiecerunt: sic & illi, ad tempus aliquod desinunt nocere, sed oblatâ occasione, redeunt ad genium, & ingenium. Lacon quidam, cùm quis cum eo vellet pacisci, iuberetque quamcunque vellet, fidem acciperet pro amicitia: vnam esse fidem dixit, ut si nocere velit, non possit, omnem autem aliam fidem stultam esse, & infirmam. Aprilis.

III. Pacta omnia licet firmentur testibus, omni exceptione maioribus, tabulis, chirographis, annulorum obsignatione, iureiurando, & nescio quibus non præsidiis, adhuc tamen fides promittentis, & pacisscentis fluctuat, & titubat. Quia omnes possunt fallere fidem, omnes timent perfidiam. Adeo non est vana hodiernæ diei tessera, qua sugillatur hominum perfidia. Quæ verè pestis est, quia non tantùm perniciem adfert perfidis, verùm & cæteris cum illis, maligna veluti contagione. Quod enim pestis corpus inuaserit, id primùm ad interitum ducit, tum proximos quosque mortifero afflat veneno. Non multo aliter, quibus nulla fidei cura est, non modo mortiferâ se polluunt turpitudine; verùm & illos, à quibus desciscunt, insidiis circumuentos impellunt in ruinam, atque adeo hominum societatem omnem confundunt. Si nullam ab altero speres fidem; cur in ciuitate, vel inter homines vitam agere malis, quàm in inuia solitudine, procul ab omnibus mortalibus? fide enim sublatâ, inter feras securior versabere, quàm inter mortales. Quàm est fides Divina necessaria pro salute animæ: tam est humana fides necessaria pro incolumitate Reipublicæ. Maneat altâ mente repostum illud, quod sequitur Metrum:

In quo nulla fides; in eo tu quomodo fides?

30. DIES APRIL.

Auarus nunquam habet: Prodigus nunquam habebit. *Seneca.*

I. DE Auaro postea, nunc de Prodigo. Is nunquam habebit opes, quia eas extra necessitatem, & contra Honestatem, improuidâ leuitate, Prodigalitas.

Aprilis. & væcordis animi stultitiâ, vel importunâ honoris cupiditate, prodigit. In eos quidem in donando profusos, & sine iudicio liberales, si quando Socrates incidisset, malè iisdem imprecari solebat: quod Gratias virgines, ut scorta prostituerent. Nimirum Gratiæ est conferre beneficium, deque aliis bene mereri: at improuido consilio, & puerili temeritate prodigere, non Gratiæ est, sed proteruiæ. Itaque virgines, & verecundas Gratias deuenustat, beneficentiæ, & donorum moderatrices, & ab honestis penatibus eductas in meretricium veluti ganeum inducit, ut omnibus iam prostare indignissimè videantur. Illi igitur asoti, decoctores miserandi, sunt perditi, & perdentes: perdunt enim se, sua, aliena; hoc enim vrgere, & festinare videntur, ut quàm promptissimè omnia sua inaniant, & profundant, cogantque Liberalitatem nepotari. Liberalis homo non dissolutus est nepos, nec discinctus, qui sine consilio ruat, & se, ac sua pessundet. Honestatis causâ facit omnia, donat vbi, quando, cui oportet: quibus luxuries ista helluonum caret. *Sapiens* (inquit Seneca) *habebit finum facilem, non perforatum, ex quo multa exeant, nihil excidat.* Vult iudicio dispensari omnia, non proiici. Quidquid habet, nec custodit sordidè, nec spargit prodige.

De vit. beat. c. 23.

II. Mala hæc ex illo vitio proseminantur. Ex illa continua profusione, necessariò consequitur, ut tandem opes exhauriantur. Neque enim pollent felicitate illâ Midæ; ut quidquid tangant, aurum reddant: nec fontes habent argenteos, qui semper exuberent. Hinc fit, ut bonis omnibus dissipatis in morem Euangelici nepotis, egere incipiant, & nudi à fortunis in molesta, & odiosa inopia versari. Hoc porrò vitium, non est vnum, sed varium; non simplex, sed multiplex, ex multis sceleribus compositum. Aristoteles binas illi adiungit comites, Intemperantiam, & Iniustitiam. Nã qui decoctor est patrimonij; & nimius in largiendo; est etiam ut plurimum in libidines sumptuosus, & cum gestienti lætitia feratur, in eo mentis, & modestiæ naufragio, ad scopulos dulcium voluptatum facilè adhæresci. Itaque passim conuiuia opipara frequentantur, & iucundæ comessationes, ludus aleatorius, pompa vestium, ludicra sumptuosa, omnium sensuum oblectamenta; vno verbo, Intemperantia adhibetur, ut opum, & familiæ moderatrix; cuius nutu, atque imperio omnia administrantur.

III. Hinc sequitur Iniustitia. Nam cùm rem omnem effusè profligauerit, & defecerint opes, quibus suæ luxuriæ blandiebatur: tum vi, aut fraude, & indignis, ac illicitis modis rapit alienum, quia non solet in vitæ cursu, boni, & honesti ratione duci; sed impetu quodam animi, se, & sua

non

non cogitantis: hinc repudiatâ virtute, non curat vnde, & quâ ratione ac- Aprilis.
cipiat. Vbi verò iniustitia, fraus, libido, maleficiumque dominatur; facilè intelligi potest, Numinis timorem abiici, conscientiam profligari, ianuam aperiri multis, & magnis sceleribus, quæ non modo infamiam, & miserandam egestatem concilient; verum etiam fulmen Diuinum euocent ad puniendum. Prudenter idcirco fecerunt Græci, apud quos, lege cautum erat, ut qui patrimonium prodegisset, sepulchro patrio non humaretur. Neque enim in dulci patriæ sinu condi illos oportuit, quam dedecorassent; nec parentibus adiungi, quorum manes profusione impiâ violauissent: nec eodem cum liberis poni tumulo, quos fortunis, & ipsa propè, dicam, vita spoliassent. In eodem deinde loco sunt prodigi, quo stulti; vtpote, ludibrium ciuibus, nomini suo macula sempiterna, & indigna familiæ calamitas. In eadem omnes vehuntur naui, cum pueris paruis, cum fatuis, cum furiosis: qui, nimirum, animo impotenti, nullius mentis, rationis, consilij, Curatoris ductum, & prudentiam requirunt. Quapropter quisquis timet bonorum, & facultatum naufragiū: declinet hunc prodigalitatis scopulum, & euitabit pereundi periculum. Fauebit hoc meum theorema:

Qui plus expendit, quàm rerum summa rependit
Non admiretur, si paupertate grauetur.

FINIS.

Digitized by Google

QUOTIDIANA CHRISTIANI MILITIS TESSERA.

PARS SECUNDA.

1. DIES MAII.

Omnes dies ſapiens tamquam vitam ordinat. *Seneca de brev. c. 7.*

Majus.

I. Eneſcimus tacitis non tantùm annis, ſed menſibus; utinam cum illis eneſcamus, & virtutibus. Quid exigit hic novus quem auſpicaris menſis, niſi novum ardorem novæ congregandæ meſſis? Attende: ut in flumine unda undam trudit, nec unquam revocas elapſam: ſic in tempore, dies diem, nec reparas amiſſam. In tempore tamen ſumus non tantum profuſi, ſed prodigi, cujus unius inter omnia ut laudabilis, ſic & utilis eſt avaritia. Si vis ut par eſt, tempus impendere, ſic illud oportet metiri, & diſpertiri, ut neque rationis quicquam ad bonè agendum deſit, neque libidini quicquam ad malè agendum ſuperſit. Nullum ſit ergo tempus, quod careat officio virtutis; nullum momentum temporis quod ſit vacuum merito. Tempus ſit licet breviſſimum, bene tamen peractum, & bene impendenti, immortalitati anteponendum eſt. Quid igitur cunctaris? quid ſemper in horas tricaris & moraris? Tempus niſi occupes, fugit; imò licet occupaveris, tamen fugiet. Itaque nobis conandum, & tantum non certandum eſt ut cum temporis celeritate, utamur ejus velocitate.

Tempus hoc menſe bene ordinandum.

II. Quid patimur nobis elabi tempus? ô theſaurum non ultrà repe-

QUOTIDIANA CHRISTIANI MILITIS TESSERA.

PARS SECUNDA.



1. DIES MAII.

Omnes dies ſapiens tamquam vitam ordinat. *Seneca de brev. c. 7.*

Majus.

I. SEneſcimus tacitis non tantùm annis, ſed menſibus; utinam cum illis ſeneſcamus, & virtutibus. Quid exigit hic novus quem auſpicaris menſis, niſi novum ardorem novæ congregandæ meſſis? Attende: ut in flumine unda undam trudit, nec unquam revocas elapſam: ſic in tempore, dies diem, nec reparas amiſſam. In tempore tamen ſumus non tantum profuſi, ſed prodigi, cujus unius inter omnia ut laudabilis, ſic & utilis eſt avaritia. Si vis ut par eſt, tempus impendere, ſic illud oportet metiri, & diſpertiri, ut neque rationis quicquam ad bonè agendum deſit, neque libidini quicquam ad malè agendum ſuperſit. Nullum ſit ergo tempus, quod careat officio virtutis; nullum momentum temporis quod ſit vacuum merito. Tempus ſit licet breviſſimum, bene tamen peractum, & bene impendenti, immortalitati anteponendum eſt. Quid igitur cunctaris? quid ſemper in horas tricaris & moraris? Tempus niſi occupes, fugit; imò licet occupaveris, tamen fugiet. Itaque nobis conandum, & tantum non certandum eſt ut cum temporis celeritate, utamur ejus velocitate.

Tempus hoc menſe bene ordinandum.

II. Quid patimur nobis elabi tempus? ô theſaurum non ultrà reperiendum!

riendum! fluit aſſiduè, & niſi in ejus uſura ſimus aſſidui, effluit. Et interim illic otio, illic alea, illic pila dataria perdimus: hinc tot homines perditi. Tempus nec Regis imperio, nec favore populi, longius ſe proferet: ſicut juſſit Deus temporum diſpenſator, à primo die præcipitabit, nuſquam remorabitur. Una æſtas ex hœdo hirſutum facit hircum: utinam vel una ætas hominem ex impio faceret pium! Navigamus omnes, dum vivimus, in corporis cymba quaſſa & debili: vix ſpatio loci diſtamus à morte duobus digitis, ne quidem duobus momentis, ſpatio temporis, & quod hinc ſequitur ab æternitate. Vita igitur hæc noſtra via eſt in prærupta æternitatis crepidine utrimque ſubjecta: certi ſumus nos inde aliquando lapſuros, incerti an ad dextram felicis, an ad ſiniſtrā infelicis æternitatis: & in hac tam brevi, & lubrica via, adhuc ſumus metu vacui, ſine cura ſecuri, ſine ſolicitudine imperterriti, ſine anxietate læti.

III. Nos tot ſumus circumventi periculis, quot modis, ac viis urgemur ad mortem, & æternitatem, hoc eſt innumeris: otiamur interim, oſcitamus, nugamur, torpemus, toti in captandis reculis. Non eſt momentum in vita, quo nobis non minatur finem vitæ: nulla tamen hujus rei eſt per omnem vitam vel cogitatio. Age quiſquis es ſanus, vegetus, florens, da mihi de tot tuis vel annum, quo certus ſis te à morte in Æternitatis chaos non demergendum: annum ſcilicet? da vel menſem, vel diem, quin horam dumtaxat: vel unicum de tot anni horis apicem, ac momentum: & dormis, edis, jocaris alacer in hoc rerum incerto, & lubrico, quaſi annorum certus, ac prope ſæculorum. Cur tam certa, eaque perpetua negligimus, quorum ſolâ nos ſuſpicione, atque umbrâ contremiſcere oporteret? Quàm pauci te, ô Æternitas, occupant! Cur non proſpicimus nobis, quid tandem futurum ſit, quamdiu futurus eſt Deus? Fugit vita, vires deficiunt, hebeſcunt ſenſus, opes, alimenta, commoda ſenſim, ac brevi nos deſerunt; nobis inquam quid tandem futurum ſit, in æternam tranſcriptis, deportatiſque Regionem, cur non aſſiduè, ſetiò, unicè cogitamus? Revoca igitur in memoriam hujus diei teſſeram, & ſic vitam ordina hoc menſe, ac ſi quelibet hujus menſis dies, imò & quævis diei hora, eſſet non hora vitæ, ſed tota vita. Jam quidem menſis eſt Majus, menſium omnium ob cæli, ſoliſque amœnitatem, & ſerenitatem jucundiſſimus. Sed audi Poëtam:

Non ſtat per menſes ſeptem, Majus redolentes.

Majus.

2. DIES MAII.

Avaro tantum deest quod habet, quantum quod non habet. *Theophilus Alexand. Epist. 3. contra Origen.*

I. VItia ne studiosè sequamur, ea ut antè, acerbè persequimur. In illorum alphabetò, Avaritia vitiorum est alpha. Quia porro fluxa fortunæ bona acquirendi, nullus ei est finis, mala sibi parit infinita. In diei hodiernæ tesseram, si digitum intendas, & ad verborum sensum animũ attendas, cognosces Avarum habere nihil, etiam cùm habuerit omnia. Quod magis paradoxum? bona illi desunt dum adsunt; caret, dum habet; eget, dum possidet. Inter omnia sua bona, nulli est bonus, sibi malus. Ut ejus tibi explorata sit conditio, non multis te obruam, paucis instruam. Primum, cui nihil satis est, nihil quoque non turpe est. Quid turpius? hinc pluris ipsi est auri sacra fames, quàm cura famæ. Quærens felicitatem, fit infelix; desiderio fortunæ, se reddit infortunatum: sæpè etenim necesse est alienum timeat ferrum, dum congestum possidet aurum; ubi enim multæ divitiæ, ibi multæ, ut tollantur, insidiæ. Dum possidet quæ cupit, ne quidem jam consecutus implet sua vota cupitis: sensum boni præsentis extinguit absens cupienti: hinc dum semper desiderat, nunquam gaudet: dum perpetuò concupiscit, nunquam conquiescit. Avaritia.

II. Habeat licet multa, imò plurima, ne dicam omnia, si desideret, quo caret, adhuc unum, non felix, sed miser erit. Quia plus animum pungent unum quo caret, quàm oblectabunt omnia quæ habet. Cùm igitur satis sit illi ad decumanam miseriam, cupere, & cupiendi illi nullus sit finis, aut modus, necesse est, miser sit supra omnem modum. In summa igitur copia, gemina est avaro inopia. Eget quas cupit divitiis superfluis, & eget rebus quibus non utitur necessariis. Non modò aliis, sed & sibi detestabilis: nam avarus, nulli magis quàm sibi est avarus, nec in miseriis, nullius minus, quàm sui cum miseret, cùm sordidè splendidus vix congestis utitur. Quamvis omnis cupiditas sibi sit adversa, maximè tamen opum vota anxia sunt, quæstus vilis, possessio periculosa, usus imprudens, jactura impatiens. Divitiæ maximum infelicitatis instrumentum. Quæ tamen propter felicitatem, per infelicitates appetuntur. Hinc omnis avarus cum infelicitate non tantùm habet commercium, sed contubernium: Miseria illi non tantùm est proxima, sed intima.

Majus. III. Habendo ardor habendi acquiritur, non extinguitur Auri custos, possessor argenti, quid habet nisi pervigiles noctes, anxios dies, solicita tempora, trepida gaudia, inquieta desideria? semper in æstu, nunquam in portu, utpote qui metum semper, ut domesticum secum portat. Itaque dives est magis malis, aut malorum metu, quàm bonorum censu. Quid indignius quàm unum hominem possidere multa, ex quibus possunt vivere multi? Væ illi, quia plagis vapulabit multis. Converte oculos ad nostrum, quod totis averſaris oculis, sæculum. Illud unde tam ferum, & ferreum, nisi ex cupiditate auri? Tolle aurum, nullum stringetur ferrum. Aperi divitum thecas, & apothecas, & claudes Martis januas. Imminue opulentis opes, & nullus per campum debacchabitur miles. Sola ad bellum avaritia canit bellicum. Nam propter pecuniam multi evomunt purpuream, sine purpura, animam: multi aut jugulant, aut jugulantur. Hoc vitium facilius ab omnibus arguitur, quàm expellitur. Utinam tanto illud prosequeremur odio, quantum meretur! Sed ne ego inolito penso desim, hoc adstruo theorema, quod canit Poëta,

Si studeas nummis, præfers mox infima summis.

3. DIES MAII.

Tres cruces in uno loco erant: in una latro liberandus, in altera latro damnandus, in medio Christus, alterum liberaturus, alterum damnaturus.

S. August. Epist. 48.

Crucis amor. I. CRux hodie inventa debet nobis esse fax, qua ardeamus eam invenire. Quisquis optat post nubila phœbum, post tenebras lucem; quærat cum Helena crucem. Sed cùm (uti monuit tessera) sint ternæ cruces, rejicienda est illa, in qua malus, eligenda altera, in qua bonus latro, sed & præeligenda etiam huic est ea, in qua pependit medius, inter homines, ac Deum mediator. Hîc anima medio tutissima pendet: ut libens sic pendeas, non illibenter hæc tecum expende. Tota Christi vita, à primo quo cœpit spirare momento, in utero matris, usque ad ultimum, quo expiravit in patibulo crucis, fuit perpetua crux. Non tunc tantum bajulavit crucem cum eam humeris ferret per plateas Jerusalem, sed cùm esset infans unius diei, cùm esset duodecim annorum puer, cùm esset in domesticis latebris Josephi,

phi adolescens; cùm esset matri subditus juuenis, cùm prædicaret regnum Dei, jam vir. Pependit igitur in cruce, non tribus tantùm horis, sed triginta tribus annis. Tunc tantùm defiit pati, quando incepit mori. Majus.

II. Vult ille, cujus voluntas, volendi est regula, ut & nos crucem accipiamus, eumque cruciferi sequamur, qui est via, si volumus lauriferi assequi, qui est vita. Quid est crucem ferre, nisi paupertatem divitiis, dolorem voluptati, ignominiam honori præferre? Hoc nos jussit facere, & quæ jussit ipse, fecit. Cogita paupertatem quamvis gravem, cruciatum quemvis acerbum, contumeliam quamvis indignam; omnibus quæ potes concipere, quin & fingere, majora sunt quæ Christus pertulit. Quidquid ergo jussit præcepto, perfecit exemplo. Itaque si ad credendum sæpenumero, magis quàm ratio, hominis ducit auctoritas, huc ubi Christus est docens, ubi Deus est imperans, omnium debet assensio totis viribus advolare. Deinde quis non debeat omnibus votis, tanquam votorum summam expetere, ut honoribus à Deo quantum potest maximis afficiatur? sed non habet honores Deus, neque celsiores, neque clariores iis, quos ipse sibi elegit, quibusque impensè delectatus est. Hi autem sunt paupertas, ignominia, cruces; atque in societatem horum honorum nos semper admisit: quos ad gloriam elegit, & unicè dilexit. Hinc nominamus, non pauci, non plures, non plurimi, sed ad unum omnes, *Omnes*, inquit Apostolus, *qui volunt piè vivere, persecutionem patientur*. Si vis ergo Christum sequi, debes persecutionem pati. 2. *Timot.* 3. 12.

III. Quòd si cupidus es honoris, & gloriæ, sita est in cruce, in qua pependit ille, cui soli debetur omnis honor & gloria. Si omnium ferè consensu, eò honoris, dignitatisque crux Christi processit, ut in Regum frontibus ex auro gemmisque conspicua resplendeat, cur dedecora, contumelia, ac cruciatus, qui non possunt esse sejuncti adeo in hominum opinionibus viluerunt, ut nihil illis indignius, nihil turpius, nihil ociosius existimetur? si crucem templis, aris, sacerdote veneramur, si in ædibus, in vestibus, in ipso diademate Regio, in corona Cæsarea, honoris causa defigimus, cur in opinione nostra omni honore spoliamus? cur eandem ex animis, ex pectoribus, ex cordibus nostris per contumeliam evellimus? nomen tantum, & imaginem retinemus crucis, rem, & significationem ejusdem repudiamus. Nam crucem existimamus illud solum esse lignum, vel æs, vel aurum, vel argentum, unde conflatur. Erramus, atque decipimur: etenim major pars ejus, iis rebus continetur, quas tantopere horremus, atque refugimus: videlicet damna, dedecora, exilia, verbera, tormenta, cruciatus, falsas accusationes, iniqua judicia, egestatem, dolores, mortem,

Digitized by Google

Majus. quæ omnia crucis nomine intelliguntur. Denique toties dicitur defunctis: Lux perpetua luceat eis. numquam eris in cælo particeps illius lucis, nisi fueris in terra amicus crucis: ex præfatis exurget hæc veritas:

Menti major erit lux, major quo fuerit crux.

4. DIES MAII.

Impietas est, unum Deum non colere, aut nunquam coluisse, aut quem colebat, demisisse.

Augustinus super Psal. 50.

Impietas in Deum. I. HÆc informis tessera, prodet cujus sis classis: in quacumque accensearis, necesse est, impius censearis. Quot sunt in mundo vano homines, utinam tantùm vani, & non insigniter impij, qui cùm sint à Deo, studiosiùs tamen colunt agrum quàm Deum: qui neque Dei unquam reminiscuntur, ut ei serviant, neque ejus imperij, ut illi obediant, neque pauperum, ut illis succurrant, neque vitæ suæ, ut eam corrigant, neque conscientiæ, ut eam expient, quibus sola ad vivendum dux est corrupta natura; & sic pecudum ritu in pastum se totos abjiciunt; unumque illis est opus, scelera sceleribus accumulare; unus labor, Deum execrandis flagitiis ad iracundiam provocare; adeoque cælum, & terram abominabilibus criminibus infestare. O si quis es talis, omni ex parte es ipso qui est deterrimus, dæmone deterior; si spectes naturam est extra controversiam; si mores, si acta, & illud extra omnem dubitationis est aleam. Etenim dæmonis perditio, unica fuit cogitatio: cogitationes meæ quibus offendi illum, qui ab æterno de me non habuit nisi cogitationes pacis, sunt numero plurimæ, enormitate maximæ: his adde totidem verba, desideria, opera: operam perdes si velis ea ad calculum revocare. Tantum ergo distat mea ab illorum malitia, & quantum unitas à numero innumero!

II. Non hîc sisto. Esto: dæmones etiam peccaverint, non tantùm supra numerum arenæ maris, sed peccata eorũ fuerint infinita numero, meũ verò non nisi sit unicum; etiam sic longo eos post me intervallo relinquo, eosq; malitiâ incomparabiliter præcedo. Offenderũt illi peccando. Quem? Deum: sed non Deum qui pro illis factus est Angelus, qui pro illorum salute, à cælo se demisit ad terram; non Deum pro se flagris immaniter concisum, cruci atrociter affixum, cruciatibus omnibus sævè dilaceratum, non Deum qui se illis præbuit in cibum: non Deum, qui 33. annis pro illis

in

in sudore vultus laboravit, qui illis rectè vivendi tot illustria tradidit præcepta, præbuit exempla. At tu Deum ostendisti in te usque ad prodigalitatem quasi liberalem, usq; ad nuditatem pro te pauperem, usque ad sudorem sanguinis pro te anxium, usque ad effusionem lachrymarum pro te tristem, usque ad mortem crucis pro te Patri obedientem: usque ad pavorem pro te solicitum, usque ad finem vitæ, tui amantem. Erga tantam Pietatem esse impium, si frontem haberet, ipsam puderet Impudentiam. Majus.

III. Plus ultrà. Non tantùm pejor es dæmone, sed ipso qui fuit pessimus, dæmonum principe: inter homines verò, pejor pessimorum pessimo, ipso Juda; qui Christum quidem vendidit, & prodidit, sed nondum mortuum vidit. Pejor es ipso Antichristo, qui non totics, nec tantum, ut tu, experietur in se Christi amorem, Dei favorem. Quid jam tibi superest misero, ne pereas miserè, quam ut te conferas ad illum, cui proprium est misereri? Tu fuisti monstrum multiplex, habens oculos basiliſci, caput aspidis, ungues leonis, & immanitatem draconis: projice te ad pedes Christi ut ambulet super te aspidem, & basiliscum, ut te conculcet leonem, & draconem. Sis licet pejor Caino, cave tamen tibi ingemines verba Caini: *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear.* Jam non tantùm magna, sed maxima est iniquitas, desperare propter iniquitatem. Facor mereris veniã, sed illam non es meritus nisi per Christi merita. Sufficit illius vel unicum suspirium cordis pro salute totius orbis. Aude ergo sperare. Quid? eritnè infirmior divinus amor, quàm humanus? debilior charitas, quàm concupiscentia? levior amor tui, quàm amor mei? Amor mei potuit Deum contemnere, cur amor Dei me penitus non poterit contemnere, & ad inferos detrudere? Illud ambio, modò sim exsors culpæ, non formido omnia mala pœnæ. Est enim malum super omne malum, displicere summo bono: illi displicet omnis impius. Nam Gen. 4. 34.

Patri cælesti nunquam placuere scelesti.

5. DIES MAII.

Non faciunt bonos, vel malos mores, nisi boni, vel mali amores. *August. Epist. 52.*

I. MAgna est scientia, scire amare amabilia. Non ideo aliquid æstimabile, quia amatur, sed quia est dignum amari. Tales erunt tui mores, imò & tu, qualis est tuus amor. Non potes esse bonus, si amor tuus sit malus: Amor sui,

Majus. malus : malè amas ſi te nimium amas. Nunquam eris tuus, ſi malè fueris amans tui. Amor proprius nõ tantum eſt hoſtis tuus capitalis, ſed omnium tuorum hoſtium caput. Debes à te exire odio tui, ut poſſis ad Deum venire ejus amore. Tanto curſor eſt vicinior metæ, quãto diſtat magis à prima linea : ſic eò fies Deo vicinior, quò à te remotior. Moleſtius ferimus ab amico lædi, quàm ab inimico, quia illud eſt prorſus inexpectatum ; turpius erit à te lædi, qui nullo modo debueras læſiſſe. Ægerrimè patimur lædi corpus ab hoſte, ægriùs ab amico, à quo expectabas injurias propulſandas potius, quàm inferendas ; cur patienter ſuſtines lædi à te animam? Pudor eſt mala agere, moleſtia pati : utraque hæc miſeria in nos redundat, & quid mirum è nobis exundat: nobis mala facimus, & à nobis mala patimur : ſumus nobis miſeri & ſimul in nos immiſericordes ; in nos violenti, & à nobis violati : ſuperbi, & viles. Quid igitur non deberes facere adverſum te, cùm nullus magis quàm tu ipſe tibi adverſeris?

III. Illud eſt in confeſſo, plus te debere iraſci tibi, quàm cunctis hoſtibus tuis. Imò non tantùm tibi es hoſtis, ſed carnifex. Tui ipſius es ferociſſimus tortor niſi tui fueris oſor. Mundus & qui in mundo ſunt homines; orcus, & qui in orco ſunt dæmones, ſunt contra te & hoſtes tui; ſed illi omnes ſunt inermes, niſi ego ſubminiſtrem illis, quibus me oppugnent arma. Omnes ſunt innocentes, niſi ipſe mihi noceam. In mea eſt manu evadere omnium hoſtium manus. In mea eſt poteſtate, efficere ut nullus mihi nocere poſſit. Ego ſum omnium malorum quæ aliis imputo, faber. Ego reſiſto Dei beneficentiæ, impedio effecta donorum ejus, inficio ipſius gratias, corrumpo virtutes. Quoties mihi impoſui? quot culpas contraxi? Jus ad cælum mihi abſtuli. Gratiæ vires enervavi: occaſiones augendæ gratiæ ſocorditer neglexi: quot tædia cordis, quot afflictiones mentis, quot infortunia rerum, quot damna temporis, quot morbos corporis, quot deſpectiones, quot convitia conciliavi mihi, lenocinando corruptæ naturæ, aſſentando cupiditati, indulgendo genio. Si quis juſta ex cauſa inferat triſtitiam, interpretor injuriam, & iraſcor illi, ut mihi injurio? Cur mihi non iraſcor cùm me injuſtiſſimè, & tamen graviſſimè lædam? Si ſemel deprehendiſſes aliquem mentiri, nunquam fideres, & tibi ipſi toties mentitus, à te deceptus, & læſus, adhuc tibi confidis, nec te in omnibus habes ſuſpectum.

III. Deberem me inſigniter odiſſe, & atrociter execrari, quia mihi fui execrabilis, & in me ſceleſtus : quanto magis quia fui ſceleratus in Deum? Propter me debeo odiſſe me, quanto æquius propter Deum? Quia me non juſtè amavi, decebat me odiſſe, & horrere: quanto magis, quia

quia nullo modo te amavi, quia ſolus es amabilis, & ſolus debes amari? Majus.
Ideo non amavi te, quia non novi rectè amare me, imò non amavi me, quia non amavi, quod ego revera eram, ſed aliud minus. Non amavi animam, quod præcipuè ſum, ſed ſolum corpus, quaſi ſolum eſſem corpus, quod non ſum. Ut amarem partem mei, non amavi me totum, & quod ſceleratius, non amavi id quod mihi eſt totum, Deum. Non quæras cauſam tui in te odij, ſufficit te etiam uno momento non amaſſe Deum, ut tota te æternitate oderis. Graviter ſtomacharis, & excandeſcis, dum audis, vel legis, malignitatem Caiphæ, perfidiam Judæ, & vel ipſa illorum abominaris nomina, cur in te es blandus? Age modo, nónne te judicas peccatorum omnium primum, & maximum? Imò nihil facis, cùm S. Paulus talem ſe judicarit; quare perverſiſſimum omnium creaturarum te debes cenſere. Sí te peſſimum exiſtimas, & verè talem te æſtimas, ergo pejorem quàm Judam, aut Caipham, & quemvis alium. Si igitur pejorem te judicas, cur non ut illos, ſic & te abominaris, odio perſequeris, abhorres? Vide nunc, an peccatum Judæ mereatur amorem, ſed quid dicam? non erravit Poëta dum ſcripſit:

Quamvis fœdatur, cuivis placet id quod amatur.

6. DIES MAII.

Vbi me relinquo, ibi me invenio, & ubi me quæro, ibi me perdo. *Thomas à Kemp. de mortif. vita.*

I. INchoatum prius argumentum proſequor, & amorem ſui intemperantem perſequor. Nullus eſt magis perditus, quàm qui ſe perdit. De illo meritò dixeris: *Perditio tua ex te.* Audi, & quod autumabis paradoxum, reperies eſſe pronuntiatum heterodoxum. Se quærere, eſt ſe perdere. Quæris unde hoc! Quia qui ſe quærit, hoc eſt, in omnibus corpori ſuo indulget, bona animi emulget. Et hoc eſt ſe, imò & ſua ſeriò perdere: ſi ſapis, tu pluris eſſe debes tibi, quàm quidvis tuum; igitur & plus quàm corpus. Cadaver potiùs es hominis, quàm homo, quia plus vivis corpori, quàm animo. Hinc unum eſt ad perfectionem, imò & ſalutem conſequendam neceſſarium, in hac vita mortali, ſibi mori. Eodem momento quo moreris (ut loquar cum Aſceticis) vita ſenſuali, vivis vita ſpirituali. Hinc perfecta mors vitæ ſenſualis, eſt perfectio vitæ ſpiritualis. Ut ſic moriaris, ad hoc opus eſt omnem conferas operam, ut ſic attendas, & ad hoc toto Senſualitas quam noxia *Oſea 13. 9.*

Majus. nisu contendas, ut nullus sit vel in corpore, vel in animo motus, qui non dirigatur ad Deum, qui est omnium agendorum scopus. Ut sic te intra gyrum temperantiæ contineas, ut ab omni voluptate, vel modicè intemperanti abstineas, ut molestiam omnem in hoc agone ferendam fortiter sustineas.

II. Quapropter debes ad agendum duci solo gratiæ spiritu, nunquam naturæ impetu. Si hujus proclivitate te sinas à virtutis tramite abduci, sines te seduci. Tibi graviter imponis, si ad illius normam vitã componas. Comprimere, ne latiùs evagentur, omnes sensus, & renuntiare voluptatibus sensuum, hoc demum est mori vitâ sensuali. Illud tibi sit certum, uti Dei decreto statutum est, ut corpus non adeat gloriam in cælis, nec fruatur immortali vita, nisi priùs in terris obita morte; sic & statutum est, ut nemo evehatur ad perfectionem vitæ spiritualis, nisi à morte vitæ sensualis. Et hoc tam Deo est fixum, & ratum, ut citiùs exempturus sit Deus aliquem lege mortis corporalis, ut sine ea illum transferat ad vitam perennis gloriæ, quàm ut absque morte vitæ sensualis, quis gradum faciat ad vitam spiritualem. Expeditius enim est ut corpus vitam vivens naturalem, sine morte transeat ad vitam glorioſam, quàm ut quis à vita sensuali transeat ad spiritualem, non priùs sibi, & sensibus suis mortuus: cùm tam sibi repugnent vita spiritualis & sensualis, quàm virtus & vitium, vita & mors, esse & non esse. Dic igitur audacter ad Deum conversus, iisdem quidem cum
Num. 11. Moyse verbis, sed alio verborum sensu: *Obsecro Domine ut interficias me*, eo modo ut ipse mihi moriar, quo non vivam amplius nisi à gratia tua, à spiritu tuo.

III. Quid times odium tui? quid ambis amorem tui? Nunquid inæstimabile est lucrum in odio tui, Amor Dei? Satius est, ut Deus te ardentissimè amet, quàm ut tu ipse te tanto damno tui ames. Deinde, hilarior est amor Dei quàm proprius, itaque & vita hominis sibi morientis propter Deum, erit hilarior quàm sibi viventis. Non tantùm tu Deo, sed tibi vivit Deus, si tibi moriaris propter Deum. Quid, quod ut evadas omnes miserias, necesse est præ omnibus te animæ tuæ misereat? Illa quasi vertitur tota in corpus, dum nimis obsequeris corpori, & avidè sequeris quæ arridenti corpori. Quantum porrò interfit inter duos illos, quorum unus fui osor, alter fui cultor, quidam expressit duobus epitaphiis, duorum vitâ sibi maximè dissimilium. Henrici Octavi, Angliæ Regis, & Thomæ Mori, quorum hic sic vivebat in corpore, quasi secretus à contagione corporis: alter abdomini, & veneri deditus, totusque carni, & sanguini immersus, non videbatur alius, quàm moles corporea, sic ut anima ejus videretur to-

ta

ta conversa in corpus. Epitaphia duobus brevissimis metris contexta, sic se habent. Majus.

Epitaphium Henrici Octavi:
Hic totus Henricus jacet.

Epitaphium Thomæ Mori:
Viator, hic Mori est nihil.

7. DIES MAII.

Honestum ei, vile est, cui corpus nimis carum est.
Seneca Epist. 14.

I. NUnc stringo gladium in hostem domesticum, qui perenne indicit animo bellum, canitque noctes, ac dies bellicum, in corpus; & in illos, malè feriatos homines, qui id unum agunt, donec animum agant, ut bene sit corpori. Corporis causa forantur montes, transcenduntur alpes, solicitantur terrarum penetralia, trajiciuntur maria. Hujus gratia cum jactura divinæ gratiæ, præcipuè Avaritia expetitur, huic luxuria blanditur, huic lenocinatur desidia, huic ancillantur omnia vitia. Quot sunt filij tenebrarum, qui carnē suam suaviantur ut filiolam, qui jugiter illam fovent, & favent, qui recta in Epicuri hortulos, & delicatæ inertiæ umbrā feruntur. Et illâ nimiâ curâ corporis fit, ut homines toti pulpæ fiant, & tanquam sues, non animam habere alia de causa videantur, quàm ne caro, & pinguedo putrescat. Illi nil sapiunt altum, nil cogitant divinum, nunquam se humo attollunt: mens omnis, & cogitatio apothecæ cancellis definitur, donec vita illis finiatur. Diogenes uno in dolio cubabat, illi totos dies peregrinantur inter dolia, & ollas; totas noctes volutantur inter plumas, & rosas, animus est totus in patinis, & cantharis, potiùs in parobside, quàm in obside, plus in foro, quàm in choro, plus in macello, quàm in sacello, plus in lecto, quàm in templo, denique plus in cœno, quàm in cælo. Corpori non est nimis indulgendum.

II. Frustra ab his expectes, vel ut tuendæ honestatis gratia, vel divinæ gloriæ causa, vel virtutis obtinendæ amore, sese injiciant in difficultates, inducant in pericula. Necesse est vile sit ei omne honestum, cui invisa est ipsa honestas, cui accepta est corporis voluptas. Languore diffluens, & otio desidens, heroica non molitur, non tollit erectos vultus ad sidera, non assurgit ad opera sublimia, non se effert ad virtutis Regiam in arduo positam. Plus timent morsum pulicis, aut aculeum culicis, quàm viri generosi jactum fulminis, aut Lydonium spicula, aut acutas Gallorum lanceas, aut Macedonum sarissas, aut Parthorum sagittas, aut Persarum machæras,

Majus. aut Saguntinorum falaricas. Sed ut tandem corpus, eo quo par est, odio prosequaris, aspice quibus lineamentis ejus effigiem expressêre SS. Patres. Corpus judicio Trismegisti est *indumentum insciti*æ, *velamen opacum*, *sepulchrum circumvertile*. Testimonio Philonis *Cadaverosum onus, lutũ maceratum.* Suffragio S. Ambrosij, *Antrum & spæleum*, Calculo P. Nazianzeni. *Hostis placidus, insidiosus amicus.* Ex mente Tertulliani, *Limus titulo hominis inc*i*us.* Ex sensu S. Bernardi: *Saccus stercorum.* Et tu illud inauspicatum monstrum pure fœculentum, sanie tabificum, è bruto terræ elemento conflatum, in quo quot sunt membra, tot sunt quæ animam oppugnent, arma, tot quæ Deum impetant, tela, in certam tui perniciem blandè fovebis, & quibus potes lenociniis in exitium animi lactabis? O quàm tibi olim constabit carò, si tibi nimium chara fuerit caro.

III. Quapropter ne propter corpus periturum semel, pereas semper, utere corpore ut jumento. Non attendas querelis ejus; non queritur de injuria, quod non potest, sed de molestia, quam fugit. Sed nec attendas ad blanditias ejus; blanditur ut fallat: Utere sensibus, ut animæ ministris. Addicti illi sint non suis desideriis, sed animæ imperiis. Præposterum est, imperare servum, famulari Dominum. Sint fidi excubitores, non perfidi proditores. Hostes obsident? vigilia opus est. Oculi non contemplentur, ut corpus adoretur, speculum: sed stent, ne hostis adoriatur, in specula. Cave; illorũ blanditię, sunt insidiæ. Si intemperanter nimis indulges sensibus, pungetur anima sentibus. Ad hæc utere totius corporis membris ut infimis mancipiis; quidquid illis ultra cibaria, onus, virgam tribuis, abusus est. Subesse illis, honori est, animo saluti est. Quo occupantur constantiùs, fructificant uberiùs. Quibus est consilium excolere animum, nunquam nisi necessitate compulsi, habent cum corpore commercium. Memineris corpus esse cinerem, colorata pellicula involutum, quem in depósito habes, ut cinerem cineri reddas. Ita in antiquo epitaphio vas cinerum dicitur homo à Poëta:

Dic homo, vas cinerum, quid confert flos facierum?
Copia quid rerum? mors ultima meta dierum.

Digitized by Google

8. DIES MAII.

Vanus error hominis, & inanis cultus dignitatis, fulgere purpura, & sordescere mente. *Minutius Felix in Octav.*

Luxus vestium.

I VT in usu vestium serves modum, proderit supra modum exponere verba D. Chrysostomi: *Difficile, difficile inquam est, fortasse & impossibile, corpore ornato, simul ornari animam.* Hinc nulli ferè est exquisitus corporis cultus, quàm quibus animus est incultus. Comptulus, & comatulus, idem plerumque est & sordidulus. Ardor venustus capillitij, probitatis est probrum, naturæ opprobrium: odores in vestibus, gemmæ in auribus, annuli in digitis, aucupes sunt libidinis. Nimius ornatus vestis, sæpè animo est restis. Hinc plerumque dum corpus exornas, animam exarmas. Ut Tertulliani, sic & hoc tempore, hominibus, *Et Milesij, oves tundent & seres, arbores nent, & Tyrij tingunt, & Phryges insuunt, & Babylonij intexunt, & Margarita candent, & Ceranania coruscant, & ipsum aurum de terra prodit. Omnis jam nostra cura est de vestibus, si bene oleat, si pes laxa pelle non folleat.* Ut Hieronymus. Quid nobis, qui sumus supra belluas, cùm vestibus belluatis? In vestibus enim (teste Asterio) *Videre est leones, pantheras, ursos, tauros, canes, sylvas, saxa.* O ingloria gloria, quam homo mutuatur à bestiarum exuviis!

In 1. ad Corinth. 6. Hom. 7.

De habit. muli. c. 1.

S. Hieron. Epist. 22.

Hom. de divi. & Lazar.

II. Hoccine est viri, mulierum ritu aromata, odores, pulvillos, exotica rosa fartos, odoriferosque circumferre? fragrare ubique musco mure, & domestico veluti præconio, effœminati animi morbum enuntiare? purpurisso vultum inficere, stibio oculos pingere, superfluum pallij ac tunicæ jactationem, cingulum exquisita arte confectum, stridentes soccos habere, non homini est ad ornamentum, sed ludibrium. Juvabit hîc audire ex ore aureo verba aurea, sed contra vestium cultum, ferrea. *Primi Christiani semel ut in certamen ingressi sunt, vestes exuerunt, nos autem insanientes, cùm vestibus certare volumus. Idem facimus, ac si quis athletam pulvere aspersum, nigrum, nudum, & oleo, sudore, ac luto simul deformatum viderit; ipse unguentum olens, acceptis sericis, ac aureis vestibus, & stola usque ad corrigias calcei demissa, & aureo ornatu in capite, ingressus se immittat, &c. Tempus adest certaminis, tu autem sericis indueris! tempus est exercitationis, tempus studij, tu verò quasi ad pompam teipsum ornas? & quomodo vinces?* Bene Pericles: Miles qui non auro, non

Chrysost. Serm. 7. in acta Apost.

Majus. pictura non lapidibus pretioſis, ſed ſcuto divulſo, fractâ galeâ, hebete gladio, & facie vulneratâ cernitur, laude eſt dignus.

III. Non ergo glorieris corporis amictu, ſed virtutum apparatu; aliàs illâ te gloriâ privabunt, tineæ, veſtium carnifices. Et eſtnè Chriſtiano materia gloriæ, quem gignunt beſtiolæ, videlicet vermes, & bombyces? Si fulgeat in humeris coccus, debes piſci; ſi in tergore ſplendidum pallium, debes ovibus; ſi in pectore gemmæ, debes oſtreis; ſi in pedibus cothurni, debes vaccis, & bobus; ſi in tibiis ſerica tibialia, debes bombycibus. Abjicis te infra beſtias, ſi inde ſuperbias, quæ accepiſti à beſtiis. Certum eſt argumentum animi inculti, ubi vides exceſſum in corporis cultu, Ariſtotelis teſtimonio? *Vir ille pulcher eſt, qui & labores bellicos ſuſtinere queat, & ita jucundus aſpectu eſt, ut ſimul etiam, dum viderit, terreat.* Fucatus ornatus, elaboratus cultus, aſcititia elegantia, meretricius nitor, hiſtrionicus habitus, ſtudium decoris, immundæ ſunt munditiæ. Tales geſtant mortuam animam in feretro deaurato, & vario ſchemate depicto, teſte D. Chryſoſtomo: *Molles, diſſoluti, fornicarij, corporis munditiam curant, jugiter olentes unguenta, ſepulchrum ornantes. Sepulchrum enim eis eſt corpus, animam verò intus habent mortuam.* Sic ſæpè ſub veſte Attalica, ſerica, odorifera, latet anima cadarifera. Illud ſufficiet pro corpore, ſi nec ad invidiam ſplendeat, nec ad contemptum ſordeat: ſit veſtis ad uſum, non ad cultum. obſignet hæc dicta Poëta:

1. Rhet. ad Theod. c. 1.

Chryſ. Hom. 36. Ad popul.

In veſtimentis non eſt ſapientia mentis;
Qui nimium curat cultus, ſit pauper adultus.

9. DIES MAII.

Curioſitas circa aliena.

Curioſus interna deſpicit, præterita non reſpicit, præſentia non inſpicit, futura non proſpicit.

S. Bernardus in ſerm.

I. QUis non accuſet curioſum, & non condemnet curioſitatem; illum ut vitioſum, hanc ut vitium? utpote qui cum ea quæ illius intereſſunt, nec deſpiciat, nec inſpiciat, nec proſpiciat, dignus ſit quem nullus ſuſpiciat, digniſſimus quem quivis deſpiciat. Proprium eſt curioſo eſſe ſuarum rerum incurium, eſſe ſtudioſum, ut vitam cognoſcat alienam, deſidioſum ut corrigat ſuam: otioſum eſſe in neceſſariis, negotioſum in ſupervacanes, feriari ut inquirat feria, occupari ut intelligat futilia. Quæ porticus

Digitized by Google

ticus est, quæ officina, quæ fori pars, in qua dies curiosi non traducunt integros? obtundunt aliorum aures infinitis quæstionibus, mentes interrogationibus, magno audientium studio, temporis dispendio. Quid vis investigare, quæ præstat ignorare? Omnis ineruditus, idem est & curiosus: estque paratior ad inquirendum, quàm capacior ad intelligendum. D. Augustinus rogatus ab Afro, quid Deus ante mundi creationem faceret? scitè respondit: Curiosis parabat infernum. Sancta est ignorantia, nescire nescienda. Majus.

II. Quapropter refrænanda est curiositas illa, & potenti manu ut equo fremenți, atque indomito injiciendum est lorum, quo in gyro moderationis contineatur. Dæmon tibi perpetuò insidiatur, invigilant hostes innumeri omni occasioni te perdendi, mors imminet, incumbit vertici tuo immensum illud interminatæ Æternitatis pondus, nescis quis tibi à morte adjiciendus sit calculus, ater an albus, brevi citandus es ad supremi Judicis tribunal, cras fors reddenda Judici ratio omnium quæ fecisti, contra normam rectæ rationis: & tot inter pericula, tanta inter negotia, tantumnè tibi est otij, vacuique temporis, ut hinc atque inde, emissitios in omnem partem oculos circumferas, ut quid alij agunt aliis referas? ut ad nævos alienos vim omnem, & intelligentiam conferas, & negligas tuos? hoc non infimum est hujus mali malum, quod proprias noxas ignoret, & ad illas sit quasi Polyphemus, in alienis pervidendis sit Argus: ibi lynx, hic talpa: cùm foras egreditur, & aliena inspicit, est lamia; cùm sua introspicit, est ipsa cæcitas. Imitatur muscas, cùm deberet potiùs apiculas. Illæ procaci, & importunissima temeritate, ad pus, & ulcera putria, saniemque circumvolant: hæ floribus insidentes mellis suavitatem colligunt.

III. Ut hoc vitium, quod tibi ultimum pariet exitium, penitus extirpes, sequere consilium Omuli, civis Romani, ad quem aliquando cùm Antonius pius divertisset, & curiosa multa inquireret de Porphyriticis columnis, aliisque interioribus, quæ scire nihil attinebat; liberè Omulus curiosum pupugit. *Cùm in domum alienam veneris, & mutus, & surdus esto.* Ita & tu, esto in alienis mutus, ne quid interrogando quæras: esto surdus, ne quid audiendo percipias; imò, esto & cæcus, ne quid ad te non attinens, aspicias. Quin etiam ut nullum illius nævi vel leviſſimum appareat in te vestigium, gere te ut mortuum. Assuesce habitare tecum, & pax erit tecum. Noli in alienis domibus esse domesticus, ut quid ibi agatur investiges, & domi tuæ peregrinus, & hospes, ut quid ibi agas & agatur, ignores. Nihil probrosius quàm ut alienas frequentes domus, ut ibi sis momus. Regnum Dei intra nos est, quid extra nos mendicamus miserias per sensus palabundos?

Majus.

dos? Deus intus loquitur, quomodo eum audire possumus extra nos & foris in plateis? Dum loqueris homini, alium hominem interim te alloquentem non audies, quomodo audies Deum tot intentus tumultibus? Quid foris optas videre pulchrum, quid jucundum audire, quid novum cognoscere, ubi tecum est tota ipsa pulchritudo, tota simul jucunditas, & ubi semper est novum quod intelligas, & quo te pascas? Ut ergo fruaris pace, sis tecum frequens in corde. Non hoc meum est monitum; Poëtæ est oraculum:

Pax huic servatur, qui secum in corde moratur.

10. DIES MAII.

Curiositas in noxiis scientiis.

O quanti Veritatem quærunt non in veritate, sed in vanitate: quæsitam inveniunt non ad veritatem, sed ad vanitatem. *Richardus de S. Victore serm.*

Diogenes morum, nescias an acrior Censor, an eruditior Præceptor, tria hominum genera carpere solebat & curiosæ scientiæ arguere, Historicos, Musicos, Astrologos. Hos tres, ternis his punctis pungemus, ut inanem in scientiis comparandis curiositatem castigemus. I. Carpendi Historici: arguendi sunt, quòd inquirant studiosè, quid ubique terrarum olim est gestum, vel modò geratur in orbe, ignari quid agatur in corde. Quid inde fructus, scire quomodo Jupiter duxerit uxorem, quæ fuerit patria Homeri, de Æneæ matre vera, an Sappho publica fuerit, & alia quæ erant dediscenda si scires? Quid stultius quàm sagaciter rimari quid agatur apud Garamantas, & Indos, & negligere quid agatur intra nostra præcordia, & fibras? habes cujusque Regni & Reipublicæ statum exploratum, & non consideras animi statum deploratum. Non nocebit ista transire, quæ non proderit scire. Fies, ubi omnes fastos, & annales cognoveris, scientior, non melior. Non opus est volutare historias, & voluere historicos, ut quid tibi sit faciendum boni, aut declinandum mali, intelligas. Quidquid nos meliores, beatosque facturum est, Deus aut in aperto, aut in proximo posuit.

II. Musicos carpebat Diogenes, quòd cum citharæ fides artificiosissimè contemperarent, & in suavissimam aptarent harmoniam, animæ

Spirit, and of Fire: He hath his fan in his hand, and will throughly purge his floor, and gather his wheat into his garner, but will burn up the chaff with unquenchable fire. Matth. 3. 11, 12. Luke 3. 16. Now the Baptiſm of Chriſt is the Baptiſm of the Holy Ghoſt, and of Fire: Therefore the Baptiſm of Chriſt muſt be the Baptiſm of the Holy Ghoſt, and of Fire

11. DIES MAII.

Superbia. **Superbia etiam in rectè factis cavenda, ne homo dum quod Dei est, deputat suum, amittat quod Dei est, & redeat ad suum. *S. August. de Nat. & Grat. cap. 32.***

1. NUnquam minus eris Dei, quàm dum nimis es æstimans tui. Tunc Deus hominem æstimat, dum se nihil habere à se, totum à Deo existimat. Fateor, unum habes à te, quod nemo unus, ne quidem Deus potest facere, præter te, peccatum. Peccator es tu, & ideò solum peccatum est tuum. Quid ergo superbis hoc est super alios is, cùm sis vilitate tui infra omnes, imò per peccatum infra omnia? Audi superbe, & ad audita tinniant tibi geminæ aures. *Deus superbis resistit*; terribilis vox, si quis, cui resistat expendet. Deus superbo, hoc est, potentia infirmitati, quomodo stabit? Fortitudo imbecillitati, quomodo non ruet? Scientia ignorantiæ, quomodo intelliget? Justitia impio, quomodo non plectetur? Immortalitas mortali, quomodo vivet? Nec minus horribile est, & illud; Superbus resistit Deo. Quæ hîc non expectanda confusio? Quomodo poterit subsistere tantillus, qui resistit tanto? homo Deo? sed quo pacto vel homo Deo, vel Deus resistit homini? Hæc ut capias, paululum subsiste.

Iacob. 4. 6.

II. Deus resistit superbis, ne faciant malè, & fiant mali: superbi resistunt Deo, ne faciant bene, & fiant boni. Deus resistit, superbis ne vitio superbiæ fiant pessimi: superbi resistunt Deo, ne infundat gratiam, & beneficio modestiæ evadant optimi. Innumera in te Deus effunderet beneficia, & infunderet munera, nisi illorum torrentissimum impetum, objecta veluti cataracta, sisteret tua, quâ ei resistis, superbia. Vide torrentem, vide objectum ei obicem. Immenso desiderij æstu, præcipitis more torrentis, Deus rapitur ut suas in te effundat gratias; par est Christi ideò mortui, cupiditas; non dissimilis est Matris ejus ardor: ut id fiat, quotquot ævo sempiterno fruuntur cælites impensè expetunt, & ne resistas Deo, enixissimè petunt. Est igitur conspirans totius cælestis curiæ votum, ut Deum experiaris non tantum in te benevolum, sed erga te beneficum. Tu tot, ac tantorum desideriis unus resistis, dum Deo, ne suis in te beneficiis sit erga te

te prolixus, tuâ superbiâ prolixè obsistis. Obturas quinque fontes sanguinis Christi, ne totis alveis in te influant, dum ventosissimo fastu te Deo opponis. O quàm tibi sic imponis! prô nefastum fastum! qui nomen tuum è fastis divinis delet, è libro vitæ expungit. Majus.

III. Cùm superbia sit centrum, à quo exeunt lineæ ad circumferentiam omnis iniquitatis, non est quod optes superbo pœnas: esse superbum, maxima est pœna superbiæ. Fastus placentis sibi animi est Rex, & Tyrannus: Rex, quia imperat omnibus vitiis; Tyrannus, quia afficit omnibus suppliciis. Hinc ille modestus in purpura Princeps tãto opere Deo supplicat: *Non veniat mihi pes superbiæ: ut non sim*, inquit Ambrosius, *superbus, ne peccem; non peccem, ne movear; non movear, ne cadam; non cadã, ne expellar, sicut Adam de paradiso expulsus est: quia in ipso pes superbiæ stare non potuit. Nescit stare superbia, & si ceciderit, non novit resurgere.* Gravis casus, post quem nullus, nisi in malo, & pœna mali, est status. Vis magnus esse coram Deo, & hominibus? substerne te propter Deum, omnium pedibus. Æquissimus eris tui judex, si te judices proborum ultimum, improborum primum. Primum se peccatorum pronuntiavit Paulus, nec potuit mentiri os illud Spiritus sancti. An tu forsan meliorem te putabis tanto Apostolo? & esse hyperbolem censebis, aut modestiam, te vocare maximum sceleratorum? Non nocebit si te postposueris omnibus; nocebit immaniter si te præponas vel uni. Quantum times ne pereas, tantum cave ne superbias. Nec enim erravit à sulco veritatis, dum ita loquitur Poëta: *Psalm. 35. Ambros. in eund. Psal.*

Est verum verbum: frangit Deus omne superbum.

12. DIES MAII.

Vt rosæ rubent, & pungunt, sic libido rubet verecundiæ opprobio, pungit peccati aculeo. Luxuria.

S. Fulgent. Mythol. 1.

I. **UBi rosa, ibi spina; ubi dux est luxuria, ibi comes est tristitia. Quod factum est, fecisse est pudor, & ideò dolor: ex dolore timor, ex timore angor, ex angore horror. Hæ sunt hujus rosæ, ubi emarcuit, spinæ. Ubicumque ergo est stimulus carnis, illic est & aculeus cordis. Quid quòd ex luxuria, ut in arboribus foliorum, sic in hominibus vitiorum pullulat luxuries? Et inde quàm amari fructus.** Audi Apostol. *Quem ergo fructum habuj-* Rom. 6. 21.

Majus. *habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis.* Relege vestigia luxuriæ, quid reliquit, ubi voluntas assensu deliquit, nisi mœstas & fœdas in memoria imagines, opacas in intellectu tenebras, miseram in voluntate servitutem, intestinum in spiritu bellum, solicitam in mente anxietatem, inquietum in corde pauorem, mordentem in conscientia vermem, immensum in toto homine ob præterita mœrorem, ob præsentia pudorem, ob futura horrorem. Hi sunt hujus amaræ radicis amaristi fructus, & nondum illis obstupescunt tibi dentes!

II. Tale est luxuriæ vitium, ut ei lenocinanti connivere homo non possit, sine conscientiæ angore, sine famæ damno, sine fortunarum jactura, sine memoriæ corruptione, sine mentis hebetudine, sine animi crimine, sine corporis discrimine. Tale est libidinis ingenium, ut si permittas ejus titillationi indulgere tuum genium, non te deseret ante ultimum spiritum. Quapropter in ipso introitu, ruenti luxuriæ obsistendum est. Cautè agendum est, ne ullus ei in animi adyta pateat aditus. Facilior enim virtutis ad luxuriam, quàm luxuriæ ad virtutem est transitus. Hoc vitium si addiscas à teneris unguiculis, idem erit tibi in pectore, quod unguis in ulcere. Si ab illo flagitio te non terret, qui inde in mente oritur terror, cohibeat saltem, qui inde fronti oboritur, pudor Propone tibi verba Senecæ: *Etiamsi scirem & Deos veniam mihi daturos, & homines non cognituros, tantum propter carnis vilitatem, peccata carnis fugerem.* Assonat Romano Philosopho, Romanus Orator: *Si Deos*, inquit, *hominesq; celare possumus, nihil libidinosè faciendum.* Et tanti vis emere, pudere! Quis mentis stupor, vel potiùs furor, illud flagitium committere, cujus certò pudebit, tædebit, pœnitebit commissi?

L. 2. de clement.

Cic. Offic. 3.

III. Hujus genij perversi cupiditas est, ut si nutrias, esuriat. Quantumque ut illam saties, confers, semper clamabit: Affer. Non priùs ab illa audies: Sufficit, nisi dum vita deficit. Ut ejus compescas rabiem, & expleas ingluviem, nega quæ petit, ablega quæ expetit. Postquam plurima concessit Fredericus Imperator importuno petitori, facete, respondit. *Si tu non finis petendi finem, ego inveniam negandi principium.* Hoc non dicat, sed agat: neget quisque libidini inhianti quod petit, cui negare sine pudore, aut querela potest. Nemo illi enim satisfaciet, nisi non satis faciendo. Si non potes importunam illam belluam, quæ rogat, negando à te fugare, superest fugere. Satius est fugiendo vincere, quàm pugnando cadere. Fugiendo effugies non tantum flagitium, sed flagitij periculum. Et ne probrum interpreteris sic fugere, audi Hieronymum. *Cur*, inquit, *pergis ad arenam? Videlicet ne me capiat oculus meretricis, &c. respondebis: Hoc non est pugnare; sed fugere: sta in acie, adversariis armatus obsiste, ut postquam viceris, coroneris. Fateor imbecilli-*

Epist. 3. ad vigilant.

becillitatem meam, nolo ſpe victoriæ pugnare, ne perdam aliquando victoriam. Si fugero, gladium devitavi; ſi ſtetero, aut vincendum mihi eſt, aut cadendum. Quid autem neceſſe eſt certa demittere, & incerta ſectari? &c. ideò fugio, ne vincar. Eſt conſilium Poëtæ, Majus.

Hunc fugiendo fuga, quem fuga ſola fugit.

13. DIES MAII.

Tam brevis eſt Gulæ voluptas, ut ſpatio loci, vix ſit quatuor digitorum; ſpatio temporis, vix ſit totidem momentorum. *S. Innocentius de cont. mundi.* Gula.

I. O Anguſta voluptas quæ contrahitur ad tam arctos limites loci, & temporis! Et tamen quid non agunt mortales ut ſaginent corpus, ut lenocinentur crapulæ, ut farciant ventrem? Quidquid avium volitat, quidquid piſcium natat, quidquid ferarum diſcurrit, noſtris ſepelitur ventribus. Ita ut nihil aliud ſit ſtomachus, quàm mortuorum animalium tumulus. Videas integra jam oppida, integros pagos noſtræ luxuriæ miniſtrare; alij nil niſi retia, & laqueos, ut piſcentur exoticos piſces, alij pedicas, ut aucupentur peregrinas aves, præparant. Scrutantur alij terras, alij maria; reptilibus hi incumbunt, conchylia, & oſtrea eruentes: iſti ut condimenta cibis miſceamus, claſſibus oceanum ſecantes, ad Indos, & Moluccas, ad nationes vix vel nomine notas confugiunt, ut unius hominis genio indulgeatur. Sic raritate, & difficultate irritamur, & volumus habere, quod habere non eſt in expedito.

II. Et tamen quàm exiguum eſt loci ſpatium, quo te maris, terræ, aëris prædæ concluduntur. Quantulum ex tot dapibus ultramarinis, quibus condiendis tot adlaborarunt manus, feſſo voluptatibus ore convivæ delibant? Quantum ex fera tanto capta conatu, tanto cocta apparatu, Dominus condus, & nauſeabundus guſtat? Quantulum ex tot conchyliis tam longè advectis, tam ſtudioſè conquiſitis, per ſtomachum inſaturabilem labitur? Hæc eſt hominum cæcitas incredibilis, quòd non credant ſe majorem habere famem, quàm ventrem. Tam paucis natura eſt contenta, ut illi abundè ſufficiat aqua, & polenta: paſſim alimenta jacent, quæ rerum natura omnibus locis diſpoſuit. Nónne omnes viæ oleribus ſunt refertæ? Annè herbas, & legumina putamus tantum germinare pecoribus,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Majus. non hominibus? Fames non est ambitiosa, nec delitiarum studiosa: contenta est desinere,& admodum nihil curat,quo desinat. Cùm venter taceat, palatum adhuc loquitur : quid huic adferat, curiosè scrutatur: nullam tamen allaturus delectationem, nisi adferat, dum venter postulat. Magis enim juvat bibere sitientem, acceptior est famenti esca; quidquid ex abstinentia contigit,avidiùs excipitur.

III. Condidit te Deus parem Angelis, & facis te non imparem bestiis? qui omninò non potest infamiam suam tollere, saltem satagit illam minuere. Pudeat nos adeò esse impudentes,ut casus nostri à felici statu dedecus, per ciborum intemperantiam, velimus quotidie commemorare, quorum nulla deberet esse vel memoria. Comede ut corpus reficias, non ut conficias: sit tibi ad corporis usum,non ad pondus. Nónne probrosum est saburrare,& farcire ventrem,ut asselli sarcinam, cùm illa ipsa caro sit extollenda olim supra ipsos Cherubinos? Intra corpus tuum est regnum Dei; est enim Spiritus sancti sacrarium; quomodo igitur tam es abjecti animi, ut perinde ac si pastui, & abdomini esses natus. de stomacho tuo facias manticam,& mortuorum pecudum veluti tumbam? O animam cadariferam, in cujus corpore,veluti in mortuali urna sepeliuntur totalitium, piscium,& pecudum cadavera! Adam violato jejunio statim denuntiatus est reus mortis; cœpitque tunc esse mortalis. Tu indies fis magis,magisque mortalis, dum saginaris mortibus, & avidè nutriris animalibus mortuis, quæ in te humantur. Unde ubi ventris est ingluvies,illic mentis est illuvies. Si multum bibis, non diu eris in vivis. Ut Pharao periit in rubro freto, sic multorum ratio in rubro vino. Quapropter insanit supra modum, qui bibit ultra modum. Unde qui cupit diu vivere,timet citò mori, Poëtæ monenti gerat morem.

Parcus vescendo, parcissimus esto bibendo.
Sanior esse potes, si cum moderamine potes.

14. DIES MAII.

Ira voluntarius dæmon, optata insania, mentis est defectio. S. *Chrysost. serm. de Manss.*

Ira.

I. NIhil erit expeditius, quàm tuæ irasci iracundiæ, si illius monstri monstrosissima aspexeris lineamenta. Hic rabidus affectus, cùm sit dæmon, non à Deo immissus, sed sponte assumptus,ut ille energumeni, sic

Majus. ut nescias hunc statum impotentis furoris fœdiorem esse, an miseriorem: nisi utrumque libeat dicere,& fœdam esse miseriam, & miserrimam fœditatem: quod homo velut sui carnifex supra omnes Tyrannos in se sæviat. Nec agnoscis hominem ex corpore: nullam facit lineamentum fidem. Omnia corruptæ sunt formæ. Ira quippe accendit oculos, mutat vultum, ligat linguam, tremulos omnes artus quatit, pedibus supplodit, manus premit, pectus tundit, labia mordet spumantia, undique rumpitur. Unde scitè dixit Socrates, iracundum dum aliis desierit sibi ipsi irasci: nam antequam alios lædat, se mactat. Quid vis iracunde, id est insane? Vindictâ damnum restaurare? Duo sunt mala in hoc quod irasceris: damnum tuum, scelus alienum. Utrum horum reparare vis? Neutrum resarcis. Damnum tuum alieno non tollitur: scelus alienum tuo non deletur, provocatur potiùs. Ineptum igitur est remedium mali, vindicta; nullum tollit, tollenda duplicat. Prælibata hactenus, tesseræ fecêre fidem, quam sic ut fibula claudo:

Multum deliras, diras dum surgis in iras.

15. DIES MAII.

Acedia. **Experimento probatum est, Acediæ impugnationem non declinando fugiendam, sed resistendo superandam. (*Cassianus l.*10. 6.25.**

I. QUod est vesti tinea, hoc est menti Acedia. Sensim, sed sine sensu, exedit spiritum, eneruat spiritus robur, consumit roboris vigorem. Sic ut animus ad pias functiones, non ut anteà vigeat, sed totus rigeat. Homo in Dei obsequio deses, nunquam erit ipsius Regni hæres. Si non jacet in molli lecto scientia, multò minùs gloria. Omnis desidiosus, sibi ipse est odiosus. Quid enim præsumet de sua charitate, qui nihil grave pro se velit sustinere? Ubi amor sine auctoramento suo patientia? Quale tibi bonum amas, qui ut consequaris æternum bonum, nolis pati momentaneum malum? O væcordem, & socordem! qui non capis, nec sapis quæ supra corpus sunt spiritualia, supra terram cælestia, supra hominem divina, supra tempus æterna. Solum malum non admittere, non habet laudem, nisi mali abstinentiam etiam gloria boni operis consequatur. Deum non tam laudamus sermone, quàm actione. Sicut mare,& terra, & cælum Deum non

tam

tam voce,quàm officiorum ſuorum vicissitudine, atque obſervatione laudant. Majus.

II. Uter equus utilis eſt,qui perpetim manet in ſtabulo, & ſaginatur avenâ, an qui ad ſudorem uſque exercitetur in arena! Utra navis, an quæ navigat in æquore, an quæ permanet in littore? Utra aqua,quæ fluit, an quæ ſtagnat? Quis gladius, qui ſemper clauditur vaginâ, an qui vibratur ſæpè per aëra? Nonne qui ſæpè è vagina exeritur, inſtar argenti ſplendet; alter rubigine ſquallet? Idem eſt in animo deſidioſo: illa enim in Divinis obſequiis pigredo,eſt quaſi quædam rubigo,quæ virtutis ſplendorem obfuſcat.Neceſſe eſt illam rubiginem detergere nobiliſſima cote laboris: ſine hac cote acies mentis eſt hebes; adeoque luxuriantem vitiorum ſilvam reſcindere non poterit. Quod aliud eſt negotium hominis torpentis, quàm ſedere in foro, oſcitare in lecto, volutari in cœno, hærere in luto? Quod ſi ſe moveat in ſtudio,id fit non curſu,ſed gradu,imò paſſu: ſpectaculum exhiberet dignius riſu, quàm plauſu, is qui certaturus curſu in ſtadio, ſimul cum aliis æmulis deſcendens,ſi cæteris toto pedum niſu currentibus,ipſe incederet pededentim, aut teſtudineo greſſu. Spectaculum ſumus, quia à tota cæleſti curia ſpectamur: & dum ſpectant,quid aliud expectant,quam ut perniciſſimo motu feramur per ſtadium, ut comprehendamus bravium, & tu hæres in carceribus, tam lentus ut curras pedibus, quam ſocors manibus?

III. *Similis eſt dilectus*,electus è millibus, *capreæ, hinnuloq́, cervorum*: tu tam es diſſimulis capreæ, quàm ſimulis cochleæ: illa ſalit, hæc repit; illa rapitur per juga montium, hæc radit humile ſolum. *Sicut oſtium vertitur in cardine ſuo, ſic piger in lectulo ſuo.* Oſtium cùm vertitur,movetur,& non movetur. Movetur, quia vertitur; non movetur, quia ſemper in eodem eſt cardine, non dimovetur loco. Sic homo ſocors præſtat aliqua opera, ſic tamen ut perdat operam, quia operando quaſi feriatur ab omni opere, dum nihil proficit, ſemper enim in eodem gradu hæret, peccandi occaſiones non deſerit, pericula non declinat, pravos affectus non moderatur, & ſic cunctando amittit cuncta. Sudat dum manducat, alget dum laborat. Totus illi ſpiritus eſt paralyticus. Non poteſt movere manus, ut eroget eleëmoſynas,nec pedes,ut currat per viam mandatorum Dei; nec oculos, ut ſuſpiciat Cælum; nec cor, ut aſpiret ad Deum; nec linguam,ut loquatur magnalia Dei. Denique non poteſt ſe movere ad ullum opus, quo mereatur minimum incrementum, vel gratiæ, vel gloriæ. Sic vitam agit nihil agendo, donec animam agat. Quid ſuper eſt illi, qui noluit cum potuit, uti ad currendum pedibus, ad laborandum manibus, quam ut ligatis Cant. 2. Prov. 26. 4.

Majus. manibus, & pedibus projicitur in tenebras exteriores? Igitur excole agrum, ut referas fructum. Enimverò.

Fructus non sit multus, ager si non bene cultus.

16. DIES MAII.

Otium. Non accepimus brevem vitam, sed fecimus, nec inopes ejus, sed prodigi sumus. *Seneca de brev. Vit. c. 1.*

I. DAmna otij non obiter expendenda sunt, sed cum otio. Illud vitam etiam ad lustra multa, & Olympiades prorogatam, reddit brevem: quia otiosi vita, cùm nullius sit meriti, nullius quoque est pretij. Nam tempus otiosè impendere, est temporis pretium, quod est majus omni pretio, prodigere, otium vitiosum est triplex, quod tribus his punctis perstringemus. Primum est purum otium, quod ab omni seria actione est remotum. Illo fruuntur, quorum animos libido effœminavit, qui ut in alto mari, sine gubernatore, sine remige, omnibus ventis blandientis licentiæ ad languidam corporis oblectationem rapiuntur: qui veterno languidi, ignaviâ diffluentes, quasi nati consumere fruges, pigritia emolliti, & delinimentis otiosi voluptatis, nihil boni honestique moliuntur: in risu, in nugis, in fabellis pretiosum tempus occupant, in continua cessatione, inerti, vitiosâ, quasi jumenta in stercore suo computrescunt. Illi tales, quæcumque Deus, vel natura, vel Ars aliqua illis ad obsequium, dedit, convertunt in suum damnum, potum ad ebrietatem, cibum ad crapulam, otium ad somnolentiam, quietem ad marcorem, valetudinem ad voluptatem, formam corporis, ad culpam libidinis, ingenium ad fraudes, scientiam ad superbiam, homines planè inglorij, & marcidi, quorum vita est vivorum hominum sepultura.

II. Alterum genus otij est negotiosum, & eorum est proprium, qui omne tempus suum, & omnem industriam collocant in rebus nihili, qui otiosè laboriosi in futilibus, novisque negotiis, nullo suo vel alieno fructu laborant: qui operosè omnia agendo, nihil agunt: qui sunt (ut loquitur Tertullianus) *famæ negotiatores*, utpotè qui in foro, in Gymnasiis, in theatris famæ suæ, atque ostentationi sitientissimè velificantur, qui in vanum operosi otiosissimis occupationibus perdunt diem. Illi nunquam sunt apud se, toti effusi in res vanissimas, propria despiciunt, se immiscent assiduissimè

mè in alienis,non ſe continent inter privatos parietes, forum, tonſtrina, & trivia placent; per alienas domos vagantur, quid vbique fiat, quid dicatur volunt cognoſcere: per viciniam,ut muſcæ importunæ volitant,tota urbe nulla cauſa,nullius bono circumcurſant. Denique toti vagi,& inquieti plus foris,quàm ſecum habitant: quibus ſinguli dies, perpetuæ ſunt nundinæ, inutiles, & vanæ, tumultuoſum forum, inops mentis; & rationis jactatio, turbulenta in futilibus rebus ſolicitudo, & in caducis perennis circuitus. Interim nullæ ſumuntur dignæ Chriſtiano actiones, eripitur è mentibus cælum,& gloriæ lumen. Majus.

III. Tertium genus eſt illorum,qui Dei dotibus otioſiſſimè abutuntur. Qui cum pateant ingenio, ignavi conſeneſcunt in otio,nihil efficiunt ad publicam utilitatem,nihil ad ſuam; defodiunt cæli dona,oblivione virtutem, otio artem, ſilentio maximarum rerum cognitionem, obliteratione ſapientes cogitationes,utiliſſima facinora quæ poſſunt aggredi, & exequi domeſtico,velut ſtupore conſepeliunt. Quare poſt vigorem juventutis langueſcentes, nihil jam grande moliuntur, nihil præclarum cogitant, nihil divinum meditantur, vitæ ipſius cauſa vivunt, & plurimum feciſſe ſe putant,ſi quietiſſimè,& commodiſſimè ætatem agunt. Illud porrò multo maximè eſt indignum,ſi exquiſiti ingenij dotibus exculti, ac variis ſcientiis imbuti, & à Deo ad res graviores ſubornati,ſeſe ad humillima quæque abjicerent: ſi totos dies cum catellis luderent, cum pueris garrirent, & equitarent in arundine longa,in tonſtrinis ſederent, oberrarent in triviis, cum hiſtrionibus nugarentur,cum ſtulto illo Imperatore muſcas domi,contentione irridendâ captarent. Tales indubiè januam aperiunt inertiſſimo otio,& impuræ voluptati. Nos igitur non ita amentes,& prodigi ſimus rei pretioſiſſimæ, & irrevocabilis & irreparabilis: æſtimemus, quia eſt inæſtimabile, vel punctum temporis, quo nobis poſſimus comparare æternitatem felicitatis. Denique ubi otium,illic omne vitium. Hoc enim altè mihi reſidet oraculum Poëtæ

Miles amat Bellum,venus otia,cultor agellum.

Digitized by Google

Majus.

17. DIES MAII.

Peccati damna.

Maxima pœna peccantium est, peccasse.
Seneca Epist. 97.

I. EX vitiis hactenus recensitis gignuntur peccata, inde omnia mala, ex hisce atrocia illa in corpus, & animam damna: quæ tot sunt numero, ut expeditius fuerit stellas cæli, & arenas quæ sunt in littore maris, ad calculos revocare, quàm quæ ex peccatis protruduntur mala. Ita ut juxta hodiernæ tesseræ pronuntiatum, maximum tormentum peccati sit, commisisse peccatum. Illud reseravit Orcum, obseravit cælum, immisit Eumenides in mundum, recluſit portas Jani, & conjectâ in medium face, bellorum furorem incendit. Ab illo morborum agmina quæ corpus, luctus, mæror, metus, quæ animum infestant; & quod est horribilium princeps, mors cum damnorum iliade, incommodorum chiliade, furiarum triade, ac tandem malorum omnium coronide, ærumnosa æternitate. Ab eadem pugnæ, doli malitiæ, incensiones urbium, interneciones civium, provinciarum vastitas, Reump. interitus, eversiones Imperiorum. Illud conficit falcem morti, hastam Marti, fraudem Mercurio, nuptis Asmodæum, Mammonam opulentis, Venerem lascivis conciliat. Sub illius atro, & in auspicato vexillo militat leno, atque prædo, & orator arrogans, & Philosophus cavillans, & Dynastæ sanguinarij, & Judices nummarij, & harpiæ Advocati, & infidi Mercatores, & grex omnis maleficorum, & fœx maledicorum.

II. Quid aliud stantes evertit, familias obruit, extinguit hæredes, pauperatem immittit, conflat dedecus, serit lites, seminat discordias? Vin cognoscere, quod præ omnibus cognitu est digniſſimum, veritatem? circumspice quæ patiuntur passim in terra homines, despice quæ patiuntur sub terra alij, inspice & quæ tu ipse sive in animo, sive in corpore pateris, quæque omnes, quamdiu mundus subsistet, olim patientur: invenies mala omnia protrudi à malo hoc uno, quod inter omnia est malum verè, solum, & summum, à peccato. Illud in naves secundo vento volitantes inducit fluctus decumanos, Cauros, & Aquilones insanos, in aërem contagionem pestis in agros uredinem, in arbores siderationem, in herbas aconitum, in metalla toxicum. Illud texit desperatis laqueum, cudit furibundis gladium, acuit pugnacibus ferrum, ministrat iracundis telum. In ejus officina cuduntur omnia mala, malè feriatorum hominum consilia, ad defloreandam virgi-

virginitatem, labefactandam pudicitiam, enervandam virtutem, evertendam pietatem, peſſundandam prudentiam; denique ad jura omnia humana, ac divina infringenda, atque ita, ſuſque deque omnia confundenda. Quid Plura? Majus.

III. Inde fulminat æther, nubes tonitruum fragore crepant, aret tellus, debacchatur ignis, exæſtuat immenſa licentia ponti, terra tremoribus nutat, cælum ferali cometarum lumine horret, ſol ſtupet, diluvium effundunt cataractæ cæli. Si illud tètrum monſtrum non incoluiſſet mundum, nec tot funera efferret Libitina, nec tot prælia inferret Bellona, nec tot ſupplicia præferret Megæra: Nullus eſſet timor à belluis, injuria à prædonibus, rapina à furibus, vulnera ab hoſtibus, ſtrages à militibus, pœna à dæmonibus. Placetnè illud quod tibi tantopere placet, malum quod, quale, quantumcumq; ſit, ſemel & ſimul intelligere? Peccatum tormentis æternis immensùm eſt majus. Hinc infelicior ille eſt, qui unicâ letali noxâ infectum habet animum, quàm ſi corpus ipſius, quotquot in orco ſunt dæmones, licet forent numero infiniti, obſiderent, eorumque ſinguli omnibus illis tormentis cruciarent, quibus ſimul damnati omnes torquentur. Et tu contaminatus noxâ letali, potes vel momento eſſe lætus? Quid reſpondebis, dum objicietur tibi infinitus ille, quo obſtrictus teneris, Dei amor, & ſanguis Filij ejus, quem, ut ſatanæ placeres, conculcaſti? prô nefas! ubi fas, ubi ratio, ubi prudentia? hominem Chriſtianum cruci rurſus affigere Chriſtum, ſolum ut gratificetur hoſtibus Chriſti? *Filium Dei conculcare*, ut poſſit inimicus ejus diabolum exultare? Sanguinem divinum ſordidiſſimæ voluptatis gratiâ, pollutum ducere, & contemnere? *Ad Hebr.* 10.19.

Stat ſcelus inultum, ſed non remanebit inultum.
Vltio juſta Dei, digna refundit ei.

18. DIES MAII.

Sceleris in ſcelere ſupplicium eſt. *Seneca Epiſt. 97.*

Peccatum eſt conſcientiæ tormentum.

I. EX peccato carnifice, ſequitur animi peccantis carnificina. Nullum majus eſt ſupplicium ſcelerato, ipſo ſcelere. Vix culpa eſt admiſſa, mox quies omnis eſt amiſſa. Nam ſubitò reus noxæ, fit undique terrori obnoxius. Illa enim ut Poëtica illa Erynnis, ferro, & flammâ, & multiplici dracone cincta, tetroque illo apparatu, neſcias magiſnè fœda, an ſæva, furiali motu circumſiſtit, ac terrifico ſuo aſpectu, flagellum intentat. Adeſt

Majus. domi, comitatur foris, non deest in lecto, sævior in tenebrarum horrore: non mitratorum Pontificum tiaras, non coronatorum Regum sceptra, non trabeatorum Cæsarum diademata, non purpuratorum Principum militares excubias, non cocco rubentes purpuras, non auro crepantia paludamenta, non suspiciendas procerum togas, non bellica militum saga, non marmoribus crustata palatia veretur, nec reveretur. Ubique protervè se insinuat, omnes importunè interpellat, nusquam non audacter se ingerit, nunquam non oculis se se objicit, inter numos, & histriones comicos, cothurnis incedens excitat tragædias, inter ludiones illudit insolenter, dum ludos ludit insolentes. Licet in geniali convivio, in Pontificias Cænas, volitet per triclinium, septa jocorum comitatu hilaritas, nulla tamen vel tunc est in fronte serenitas, in mente tranquillitas, in corde suavitas. Dum inter belluata aulæa canunt aulædi fidibus, adest illa bellua, & aures infestat luctibus, dum illi delectantur futilibus fescenninis, illa terret tristibus elegiis: inter epithalamia, proponit illis epitaphia.

II. Illud certum, pœna, & culpa sunt conterminæ. Est morte atrocius malum, vitam traducere malam. Sunt mites Diomedis equi, Busiridis aræ, & Syllæ carcer, & Busiridis taurus, collata cum conscientiæ laniena. Pelusij sævum vindicaturi parricidium, non damnabant ad equuleum, neque culeum, sed dirius aliquid excogitarunt, piæ scilicet matris naturæ ferulam, conscientiam. Ad summæ atrocitatis exemplum, hoc unum voluerunt esse tormentum, cogentes per triduum, parricidam spectare cadaver occisi parentis, ut sic puniretur enormissimo omnium supplicio, admonitione facinoris. Sceleris admissi testimonium, est supra omne supplicium. Nemo fuit Tyrannorum qui alicui non indulserit, nemo quem aliquis non evaserit, nemo quem latelles nonnunquam fefellerit: conscientiæ solum severitatem, nec venia, nec fraus, nec fuga illudit. Non flexile illi cor, ut demitti; non pernices nobis pedes, ut elabi, non amicis manus, aut astutæ, aut validæ, ut liberari possumus. Nemo à se fugit, nemo extra se currit; nemo sui cordis est accola, quisque est incola: nullus suæ mentis est advena, nec pectoris transfuga, hinc nullum pœnæ effugium. Igitur peccasse, ineluctabilis est Tyrannis, anima quæ peccavit, pœna culpæ sicut est consectanea, sic & collectanea.

III. Nullus inter omnia sua, habet asylum sui. Frustra ergo post culpam, cogitas fugere, cùm extra pectoris limites non sit transfugium. Sis licet tutus, nunquam eris securus: non plus quàm reus sub carnificis securi. Semper pavet, etiam dum pavenda studiosissimè cavet: metuit ubi nihil occurrit metuendum, licet non sint inimici quos timeat, in se habet quod timet.

Digitized by Google

timet. Fugit lictorem, evaſit ſpiculatorem, non ſufficit, ſe tenebit : nec à ſe unquam ut ſecurus ſit obtinebit. Formidabit etiam tutus, etiam tuta. Non poteſt animo conſidere, licet in Tyranno invenerit fidem. Simili planè in nos auctor naturæ animadvertit ſupplicio, ac barbari illi, qui mortis reos alligabant cadaveribus, ut fœtore torquerentur. Alligata nobis eſt pœna poſt culpam, cujus cadaver reſtat, pavor, pudor, dolor, *& nocte dieq; ſuum geſtant in pectore teſtem.* Infeſtior eſt talis animo teſtis, quàm collo prædonis ſuſpendendo reſtis. Nullum itaque tam afficit damnum, quàm conſcientia damnans. Eſt enim miſerrimum genus miſeriæ, conſcientiæ ſuffragio fieri miſerum. Et quod eſt omnium caput, nullum non ſcelus capitale cuique apud ſe eſt etiam poſt indulgentiam omnium. Quid prodeſt, ſi omnes eum abſolvant, dum, quæ eſt inſtar omnium, conſcientia illum condemnat. Audi Poëtam : Majus.

Si quis delinquit, prout Paulus Apoſtolus inquit,
Qui conſentit ei, ſit reus ipſe rei.

19. DIES MAII.

In uno, eodemque opere malo, diabolus ſuggerit, homo conſentit, Deus deſerit. *S. Auguſtinus contra fauſtum. l. 14. c. 11.*

Peccatum, Deum animo dimittit, diabolum admittit.

COr hominis juſti, eſt Prætorium S. Spiritus, Numinis palatium, Regia Dei, at verò ubi ſuggerenti diabolo malum, homo conſentit, jam Deus illud deſerit : & tunc fit verè deſertum, tum ſubitò in cor ſubit dæmon, ibique figit ſedem, & infligit cladem, ac virtutum omnium cædem ; ibi tyrannidis ſolium ponit, ibi regnat, & regit, & furit, inde ut flamma ſpargit in omnem partem incendium, ventilat faces, congregat fœces : prô qualia tunc in corde molitur ! Inde ſpicula ignea torquet in animæ facultates, deinde in omnes ſenſus, tandem in partes vitales, ad inferendam perniciem. Inde ſpargit fumantem cruorem circa cor, ut iràm incendat ; inde vulnerat jecur, ut impotenter amet ; ſplenem ferit, ut laſciviam excitet, & riſum, ut ſit verum commune proloquium : *ſplen videre facit, cogit amare jecur.* Ardentem inde phalaricam jacit in oculos, ut Paphiæ pediſſequas, ferat in oculis, habeat in delitiis : aures aperit ad excipienda putidula verba. Inde ſpiſſas nebulas obtendit memoriæ, ne quis aut Dei quas intentat minarum,

Digitized by Google

Majus. narum, aut ejusdem quas contulit gratiarum, reminiscatur. Quoties illudit menti, & pro veritate inducit spectrum è mendaciis conflatum, exitialia enuntiat pronuntiata.

II. Hæc enim illius impostoris sunt dogmata, hæc illius erroris axiomata: Non esse peccatum, quod verè peccatum est, meretricios amores videri concessos, licitum perjurium, non illicitum adulterium, fraudem conferre laudem, versutiem esse dexteritatem, unde nihil timendum sinistri. Vindictam, esse de hoste victoriam, expromptam adversus inimicum crudelitatem, esse magnanimitatem, Deum offensum, non esse tam severum offendentis judicem, offensæ vindicem: sufficere unum suspirium, ut aboleatur omne flagitium: satis esse ut obliteretur litura peccati, semel dixisse, Peccavi. Inde irrepit in voluntatem, ut affectus præposteros inflammat, avaritiæ, libidinis, invidiæ, ambitionis. Hinc fit ut tam tetra, & horrifica sit animæ species, ut si eam intueri fas esset, impios remis, atque velis fugeremus. Imò tanta est ejus enormitas, & formæ fœditas, ut si videri posset humanis oculis, nemo esset tam præsenti animo, atque robusto, nisi Dei præsidio corroboratus, qui non subitò post larvæ intuitum, emitteret spiritum. Hîc modò quantum potes tantum stupe, quia majus omni fide, hominem tam facilè infamis rei, nescio cujus desiderio abreptum, non alienâ vi, aut impulsione, sed dæmonis inimici sui suggestione sponte suâ, telo illo transverberari? Quò voluptatulæ uni serviatur, aut dignitatis alicujus inani bulla teneatur, aut vilis metalli fulgor arcâ claudatur, quo animo præfervidâ irâ, vel aliâ perturbatione æstuanti fiat satis. Sic ruit apertis oculis, animo gestienti in horrendum omnis infelicitatis, nullo unquam sæculo exhauriendæ, barathrum.

III. Cùm verò admisso jam dæmone, Deus egreditur è corde, quàm oportet calamitosum esse animi statum. Nam à bono recedere tam malum est, quàm ipsum est bonum: infinitum prorsus, si ab infinito. Cùm verò bonum illud intelligentiâ sit præditum, ut se summum bonum cognoscit, & pariter amat amore, qui potest esse maximo, oppositum etiam malum intelligit, simulque odio persequitur quàm potest maximo, idque illa naturæ suæ vi, & necessitate, ut non magis possit malum non odisse, quam se bonum non amare: neque odium illud ponetur citiùs quàm ipsa Dei natura. Itaque æterni numinis, æterna est ira. Hoc denique malorum omnium est postremum, bellum est funestissimùm, implacabile, nullâ unquam pace componendum, nullis aliquando quieturum indutiis, mutuis semper odiis arsurum: Odiis heu exitialibus? Quid funestius? Ejus amore prohiberi, qui naturâ suâ bonum est, & tuum bonum? Inimicitias

cum

cum illo capitales exercere, non impetu aliquo animi mox transituro, sed vi naturæ immutabili ? Quid ? Illius odium pati, cujus natura bonitas, cujus amor tua sit ultima felicitas ? cujus odium infelicitas tibi sit ultima? O execrandam, & supra omne aliud abominandam peccati malignitatem! Pone barbarum quamcumque inhumanitatem, accerse omnium Tyrannorum immanitatem : objice omnem sæviſſimarum ferarum, & (si placet) ipsorum inferorum rabiem, & dæmonum furias : In unum omnia conjice cumulum; non pluris faciet æquus rerum arbiter, quàm pictam in tabula flammam, si quidem cum malis, quæ à peccato inferuntur composueris. O parricidalem Adamui manum, quæ ori admovit vetitum pomum : Nam Majus.

Omne bonum pomo, perdidit omnis homo.

20. DIES MAII.

Sicut expirat corpus cum animam emittit, ita expirat anima cum Deum amittit. *S. Augustinus Serm. de verb. Dom.* Peccatum est mors animæ.

I. HIc cæli, terræque, hîc hominum, ac Angelorum exposco luctus, ploratus, & suspiria, quibus animam deplorent expirantem. Quot sub culto, & formoso corpore, circumferunt animam quovis fœdiorem cadavere! Audi de animæ morte loquentem Augustinum. *Quia pedibus ambulat, quia manibus contrectat, quia oculus videt, & auditauribus, officiis ceteris membrorum satis utitur, viventem putas. Vivit, sed corpus ejus, mortua est autem anima ejus; mortuum est quod melius est ejus, vivit habitaculum, mortuus est habitator.* Quid non agunt homines, ut conservent putidi corporis caducam vitam ? Quid omittitur, quod posse credatur ad fovendam, ac retinendam hujusce cadaveris fugacissimam vitam conducere ? aut quid alio usquam terrarum, ac gentium consilio movetur, excogitatur, suscipitur ? huic tot myriades hominum in agris, in urbibus, in silvis, terra, mari, bello, pace, diu, noctu adlaborant, sudant, moliuntur, dum animæ vitam vix curant, vix cogitant, vix occultâ sui recordatione mordentem sentiunt, audiunt monentem, tantopere interest vitæ tabifici corporis, tam nihil vitæ æternæ mentis? Tanto illa honori, tanto hæc contemptui, & horrori. Pro putentis corporis quæ brevi occidet vita, tot & volvuntur, & revol- *Serm.* 28. *de verb. Apost.*

Majus. vuntur spissa Hippocratis, & Galeni, & Avicennæ volumina, hinc tot conficiuntur pharmaca, hinc tot ubique gentium Medici, Chirurgi, pharmacopæi.

II. Nihil judicio sensuum, execrabilius corpore, quod vita destituit, cum vitæ amissæ necessario succedat pondus inutile, cæcum, fœdum, immobile, sensu, actuque omni carens, pestilentem latè putorem spargens, effluentibus virulentam in tabem intestinis: huic te carcinomati tam abominando, si quis novus Procustes jungat componens manibusque manus, atque oribus ora, quod tormenti genus hoc atrocius ducas, etsi duas horas tenent? Te verò, ah miser, quæ crudelitas detestabilior? horribiliori, fœdiorique mortuo, dies octo, menses, annum, & eo amplius stringit, & colligat, animæ inquam ictu mortifero confossæ. Quis eorum quotquot sunt hactenus, vel functi, vel cæsi, semiusta, semesa, putrefacta in acervum congesta cadavera, videre sustineat, ferreque ex iis circum latissimè grassantem camarinæ infamis colluviem, & contagem: at cùm præstet una cunctis corporibus anima, hujus profectò mors deterior est per se, ac visu fœdior, quàm omnium corporum. Hanc tamen proh nostra miseria! circumferri videmus passim, & liberè, & utinam non circumferamus, atque ô sensus sine sensu! Qui cadaver hominis in mensa, cui accumbimus, pati stomacho firmo, aut imaginari non possumus, animam in sinu portantes mortuam, & cadaverosam, edimus, bibimus, dormimus, in omne genus hilaritatis nos effundimus.

III. Ubi jam post tantum malum, dolor de tanto malo? Tunè illum sapere contendes, qui cùm universam domum optima instructam supellectili, horrea frugibus completa, generosos in stabulis equos, armenta, greges, in prædam Vulcano cedere siccis oculis spectasset; ut primùm clausa vili caveâ rediit in memoriam philomela, cantu suo herum oblectare solita, tam demum illachrymari cœpit, & aviculæ jacturam deplorare, ad insipientium classem, nullus dubito, eum relegabis. Nam licet aures oblectet suavis philomelæ cantus, magnarum tamen possessionem opum quis non præferet? Et si alterutrius jacturam facere quis compelleretur, an non suo relictus arbitrio, tantâ animi promptitudine, lætitiaque eligeret levem unius aviculæ jacturam, quanta solicitudine reformidaret fortunarum omnium everſionem? Sed heu quàm in alia quotidie studia abimus? Quomodo nos sapientes haberi volumus, quando vel morbi alicujus molestias, vel alicujus malignum dentem, vel adversum quemcumque alium casum flebilibus elegiis deploramus, & immanem illam atrociſſimorum malorum acerbitatem, quæ à peccato nostris capitibus imminet, negligimus,

Digitized by Google

Diese Chronik ist Eigenthum des Verlegers. Nachdruck ist verboten.

Die Ausstellung in Paris.

Die Weltausstellung in Paris, welche am 1. Mai eröffnet wurde, ist ein Ereigniß, das nicht nur für Frankreich, sondern für die ganze Welt von großer Bedeutung ist. Sie ist die größte Ausstellung, welche bisher stattgefunden hat, und sie wird voraussichtlich auch die letzte sein, denn es ist kaum anzunehmen, daß eine Ausstellung jemals wieder so viele Aussteller und so viele Besucher haben wird, wie diese. Sie ist ein Zeichen der Zeit, ein Zeichen des Friedens und des Fortschritts, und sie wird gewiß dazu beitragen, die Völker einander näher zu bringen und ihre Beziehungen zu verbessern.

Die Ausstellung ist in einem großen Gebäude untergebracht, das auf dem Marsfelde errichtet worden ist. Es ist ein riesiges Bauwerk, das aus Eisen und Glas besteht und eine Fläche von mehr als 200 000 Quadratmetern bedeckt. Es ist so groß, daß es fast die ganze Fläche des Marsfeldes einnimmt. Es ist ein Meisterwerk der Baukunst, und es wird gewiß noch lange Zeit ein Wahrzeichen von Paris bleiben.

Die Ausstellung ist in verschiedene Abtheilungen eingetheilt, welche die verschiedenen Zweige der menschlichen Thätigkeit umfassen. Es gibt eine Abtheilung für Landwirthschaft, eine für Industrie, eine für Kunst, eine für Wissenschaft, eine für Erziehung, eine für Kolonien und eine für Frankreich selbst. Jede Abtheilung ist in verschiedene Klassen eingetheilt, welche die verschiedenen Gegenstände umfassen, die ausgestellt werden.

Die Ausstellung ist von Millionen von Menschen besucht worden, und sie wird voraussichtlich noch von Millionen mehr besucht werden. Es ist ein großes Vergnügen, durch die Ausstellung zu gehen und die verschiedenen Gegenstände zu betrachten, die ausgestellt sind. Es ist ein großes Vergnügen, die verschiedenen Völker zu sehen, die sich in Paris versammelt haben, um die Ausstellung zu besuchen. Es ist ein großes Vergnügen, die verschiedenen Sprachen zu hören, die in Paris gesprochen werden.

Die Ausstellung ist ein großes Ereigniß, das gewiß noch lange Zeit in der Erinnerung der Menschen bleiben wird. Sie ist ein Zeichen der Zeit, ein Zeichen des Friedens und des Fortschritts, und sie wird gewiß dazu beitragen, die Völker einander näher zu bringen und ihre Beziehungen zu verbessern.

Majus. *nibus, nulli quaſſata decumanis, adulante flatu, labente curſu, lætante comitatu, inteſtino repentè perculſu, cum tota ſecuritate deſidunt.* Si ſapis, quo es perfectior, eo ſis & timidior. Qui onuſtus eſt auro, illi vitandus eſt latro. In ipſo ſanctitatis faſtigio, ſi non timeas, jam proximus es præcipitio. Voluntas hominis, velut in turbulento freto ſemper fluctuat: & deſultoriâ levitate mobilis, quæ ad bonum vix manu ducitur, ad malum curſu rapitur: ut nihil ſit homini proclivus quàm errare, ignorare, labi, bona perſequi, mala exequi. Deinde circumſtant nos multa domi, & foris invitamenta ad ſcelus, vitijque improbiſſimam libertatem, quæ cum opem, & conſilia ſua cum depravatæ naturæ imbecillitate conferent, quis tutus, & in gradu firmus diu eſſe poſſit?

III. Quocumque convertis oculos, incurris in laqueos. Ubique occurrit occaſio, unde, ni caveas, ſequatur perditio. Una ſubinde vocula, nutus oculi unus, levis contactus, non modò corporum, ſed vel veſtium, minima denique peccati occaſio, ſufficit ad animi occaſum. Cor quod antea videbatur adamante conſtans, & ſolidum, ut arietis, ſic tentationis levi quaſſu diſſilit, impulſu concidit, impetu interit. Vin' audire rem prodigio ſimillimam? Cratenus Antigoni Regis filius, ait ſe noviſſe hominem qui tantum ſeptennium vixerit, quo tempore, & puer fuerit, & adoleſcens, & vir, & ſenex, & uxorem duxerit, & generatâ prole ſit mortuus. Portentum longè prodigioſius, licet quotidie videre in humanis moribus, ad humanæ mobilitatis dedecus. Nam unius diei ſpatio, ut nihil dicam de ſeptennio; videmus unum, & eundem, & puerili eſſe mente, & ſenili, ſapientem, mox fatuum; & virtute conſpicuum, & flagitio obſcurum, & pulcherrimarum virtutum parentem, & turpiſſimorum vitiorum genitorem, vivum denique, ac mortuum. Sic homo Proteo mutabilior, Vertumnoque eſt inconſtantior, ut nihil illi ſit familiarius, quàm deficere, ſe, & alios inficere, cadere, & alios ad caſum impellere, atque ad eundem lapidem, quod tamen veteri proverbio reprehenſum eſt, ſæpiùs, fœdiſſimè, & calamitoſiſſimè impingere. Manè eſt in cælo, in meridie in ſolo, veſperi in cæno. Induit nunc togam, nunc ſagum: ambulat jam ſoccis, jam cothurnis, agit, jam comœdum, jam tragœdum. Nunc flens Heraclitus, nunc ridens Democritus, nunc frons eſt mœrore contracta, nunc gaudio explicata. De hac hominis inconſtantia, eſt hæc mea conſtans ſententia, quæ dici poteſt de quolibet homine qui eſt

Nunc gravitate Cato, nunc feritate Nero.

Digitized by Google

Majus.

22. DIES MAII.

Expedit ab imo surgere, quàm ex alto cadere.
S. Augusti. Epist. 89.

Quod est flos in horto, hoc est homo in mundo.

I. PRoponam tibi hodie hominem primò cadentem ex alto, deinde resurgentem ex imò : mane triticum, vesperi zizanium: manè pudicitiâ lilium, vesperi impudicitiâ lolium: mane speciosum florem, quot foliis totidem veluti labiis haurientem cæli rorem, vesperi, aridum fœnum; dignum mitti in clibanum. Ille est Dauid, vir secundùm cor Dei, postea tam excors, ut ejecerit è corde Deum. In hoc puncto proponam illum manè, in altero meridiè, in postremo vesperi, semper sui dissimilèm. Videtur hæc non tam de alio dixisse, quàm de se prædixisse, dum ita cecinit: *Manè sicut herba transeat, manè floreat, vespere decidat.* Ipse indubiè, cùm manè evigilasset, mentem ad Deum sustulerat, nec aurora cælum prius colorare cœperat, quàm ille mentem Divinâ luce ornavisset, ut illa confirmant. *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.* Imò ardorem conceperat animo, pietatis indicem, pignus sanctimoniæ, divinæ legis tuendæ, ac religiosissimè observandæ. Sic ipse valut in formissimo Majo versi-color flosculus erumpens, pudicitiam rosæ, innocentiam lilij, modestiam violæ, aliaque, aliorum florum decora spectanda exhibebat. Talis erat manè : sicut flores pubescunt summo manè, pulcherrimis suis gemmis, & calycibus adornati existunt.

Psal. 89. 6.

Psal. 89. 6.

II. Sub meridiem David collocat se in lectulo eburneis fulcris, aureaque spondâ insigni, stragulo viridi pulcherrimè operto, in quo, somno insititio diffindere diem solebat. Post quietem, abit in solarium domus Regiæ, liberiore jam animo, ablegatâ sui custodiâ, & exclusis piis cogitationibus, quibus antea fretus, *perambulabat in innocentia cordis sui, in medio domus suæ*, & illic spatiatur. Dum in ommem partem utramque oculorum aciem circumfert, videt in adversæ domus hypetio lavantem se mulierem, cujus fuit eximia oris pulchritudo, quæque facilè lenocinantibus formæ illecebris negligentem sui animum trahere potuisset. Hæret primùm in eo spectaculo curiosè, & libens, animumque adjicit, mox titillatur, & oculis bibit amorem. Cupidinis ardor in cor intromissus jam latè spargit incendium, ventilat per præcordia faces. Hinc dum oculus videt, animus ardet. Quid vis Philosophe, & tamquam irrefragabile axioma jactitas illud:

Psal. 100. 2.

Majus. *Non datur actio in diſtans, ſine medio*? illa diſtabat à Davide, & tamen quid non agebat in Davidem? Sic diſtans in cor Davidis, medias inter aquas jaculatur flammas. Illa igitur mens, nunc verè amens, quia amans, divinis prius ſplendoribus conſpicua, nunc cæca, nihil videbat honeſti, quæ jam omnem ſpernebat honeſtatem.

III. Sequitur tempus veſpertinum, de quo ipſe: *Veſpere decidat.* Jam magni illius Herois anima non habitabat domi, ſed tota erat cum Berſabeâ, jam ſuaviabatur amiculam, jam blanditiis deliniebat, quaſi nunquam de Dei præſentia, de ſcelerum fœditate, de labe conſcientiæ, de divinis judiciis cogitaſſet. Deſcendit de ſolario, jubet inquiri, quæ ſit illa mulier; dicunt eſſe Berſabeam, Uriæ uxorem. Hic novus in animo tumultus, nova pugna, in qua ſemper vincit libido, & refert manubias, ac figit trophęa. Ante noctem evocari illam jubet, & indigno flagitio ſe polluit, ac contaminat. Verè ſeipſe in ſacris odis expreſſit, *veſpere decidat, & areſcat.* Ubi, ô David eſt illa vigilantis, & pij animi cura, qua in tui cuſtodiam intentus, ita Deum alloquebaris: *Averte oculos meos ne videant vanitatem*? oculi tui tibi fuere laquei, illis captus es. Ubi illud heroicum propoſitum. *Dixi cuſtodiam vias meas*? Turpiter nimis deviaſti à via vitæ. Hem nos floſculi evanidi, fragiles, ephemeri, qui manè floremus, in meridie languemus, veſperi aremus. Sic David florebat oriente lucifero, exaruit veniente Heſpero: manè vas ad gloriam, veſperi vas ad contumeliam: manè velut Seraphinus in cælo, veſperi velut Scarabæus in cœno. Agnoſce hic, ô homo caducam animi imbecillitatem, innatam voluntati volubilitatem, & nunquam ſatis deplorandam fragilitatem. Denique inſideat illud animo certum, tanquam Sybillæ folium;

Pſal. 118.

Pſal. 118.

Eſt hominum ſtatus per florem ſignificatus:
Ut ros vere perit, ſic homo pulvis erit.

23. DIES MAII.

Ignorantia hominis in cognoſcendis peccatis.

Ruina quæ fit in occulto, præcedit ruinam quæ fit in manifeſto, *S. Auguſt. de civit. l. 14. c. 13.*

I. FUit multis ad ruinam, ignoraſſe cauſam ruinæ. Nec illa eſt unquam manifeſta in opere, niſi præceſſerit occulta in pectore. Exterior ruina interiorem non facit, ſed prodit. Hujus verò ſæpè eſt origo peccati, unde omnis ruina, ignorantia. Illa quam ſit craſſa, accipe ex Davide, qui cùm divi-

Digitized by Google

divinitus eſſet oppidò illuminatus, tamen cum mentis aciem in ſe converteret, adeò illa, aliàs perſpicaciſſima caligabat, ut exclamet: *Delicta quis intelligit?* Quis eſt oculis tam perſpicax ut videat, quis tam Argus mente ut inſpiciat, quis tam lynceus animo, ut intelligat, quibus Deum offendat delicta, quibus ſibi noceat damna, quibus proximo officiat, prava exempla? Quis quotidianas ſuas prolapſiones numeret, cùm ſint propè innumeræ? Quis novit dæmonis aſtus, peccatoris motus, conſcientiæ labes, mundi fraudes, animi ſordes? Scientes, neſcientes contrahimus ſordes, nec excutimus: parum corroborati ſumus ad evertendas dæmonis machinas, in vitium proni, capi faciles, nec vinci difficiles, blandimentis voluptatum illecti, quî fieri poteſt, ut non ſequatur ruina, niſi perpetua adhibeatur cautela? Majus. *Pſ.* 19 23.

II. Sol fons luminis, & diei eſt Pater, ſed nubibus obnubitur, eclipſim patitur; Luna eſt pulchra, ſed pulchritudine ſua habet nævos, prodit maculas: ſtellæ fulgent, ſed nebulis obumbrantur: candidum ebur, ſed vetuſtate nigreſcit; ſpeculum ſuo lævore clariſſimùm, ſed habitu inficitur. Sic anima Dei gratiâ venuſta, divinâ luce conſpicua, veſte nuptiali inſtar ſponſæ adornata, labem mox concipit, quæ illam inficit, hinc decor deficit, & illa interit, niſi ad eum ſe convertat, qui ſolus reficit. Hic tamen velut in freto ſcopulum declina, dum cecidiſti: ut erigas animam, cave deſpondere animum, ſed illicò Dei ope, & tuâ operâ totum te erige. Non cadas more elephantorum, qui dum corpus ſucciſis arboribus commiſerint ad nocturnum ſomnum capiendum ſtrati, & abjecti, nullo ſe modo erigere poſſunt, quod habeant membra in columnarum modum rigentia, quæ flecti, curvari nequeant. Nemo ita concidat, ut ruina ſepeliatur. Flexibilis nobis eſt voluptas, poteſt poſt omnem nequitiam canere palinodiam, poteſt jam lapſa ſe erigere, & errata corrigere, & ſe, ac ſua ad Deum dirigere. Si jam humi ſtratus, & abjectus, abjecto es animo, proximus es exitio. Hinc enim conſequitur ſalutis incuria, in Dei obſequio oſcitantia, in piis exercitiis indiligentia, in omnibus effœminatus quidem languor.

III. Non eſt niſi præſtantiſſimorum Herorum, poſſe dicere illud Cæſareum, *Veni, vidi, vici*, & ante initum conflictum, mereri triumphum. Noſtra contentio eſt pertinax, quia cum hoſtibus pugnamus pertinacibus: ideoque opus eſt mora, ut potiaris palma. Nec enim eſt molle Chriſtiani militis rudimentum, ut putet ſe ſtatim poſſe donari rudi. Oportet Dei pugilem in palæſtra noctes, dieſque ſine miſſione luctari, & luctando reluctari, & reluctando, neceſſe eſt tandem eluctari. Ut hoc nanciſcaris, principiis obſta. Quia cujuſlibet rei principium, eſt ejuſdem quaſi dimidium.

Digitized by Google

Majus. dium. Cave, in negotio salutis, parva parvi facere; imò minima maximi æstima. Ruina enim quæ est in animo occulta, plerumque fit à neglectu minimorum, & inde illa tandem aucta, propagata, & corroborata, pariunt ruinam manifestam. Cuniculi, minutilum animal, in Balearicis olim insulis non reperiebantur. Importavit quidam è continenti tantum duos: subitò numerus tantus excrevit, ut arbores, domos, urbes eruerint, coactique
Strabo. l. 3. sunt Baleades, opem Quiritium implorare, ad noxiam progeniem coërcendam. Fœcundior est peccati fœtura, & longè in omnem partem ad nocendam funestior. Nullus mus sic arrodit, nullus cuniculus sic effodit omnia fundamenta virtutis: non hic, aut ille plures educit fœtus ad animi perniciem. Peccatum verò cùum peccato conjungitur, quis potest mente assequi, quanta malorum colluvies consequatur? Time ergo peccata magna, cave & parva. Time multa, time pauca, time unicum: memor illius

Omne bonum quod habes, contaminat unica Labes.

24. DIES MAII.

Quantum à vitiis recesseris, tantum virtutibus propinquabis. *Eusebius Emyssen. Hom. 3. de Epiphan.*

Recessus à vitiis, est accessus ad virtutes.

I. QUantus es virtutis amator, tantus sis necesse est & vitij Osor. A vitiis remotus, statim virtuti es vicinus. Accedis ad illas, dum recedis ab his. Unius tamen hîc te admonitum velim: dum tibi est consilium expellere animo omne vitiùm: dum tibi est fixum illis indicere bellum, non levi certandum est brachio, non molli pugnandum articulo, sed toto totius voluntatis conatu, conspirantibus Naturæ, & Gratiæ viribus, omni intellectus industriâ, cunctis ingenij nervis, generoso proposito, excelso animo. Noli tantum negotium adoriri, desultoriâ levitare, per transennam, quasi aliud agendo, sed age, quod agis. Quidam hoc bellum aggrediuntur discerpto variis contentionibus animo, dum hinc honesti cupiditas trahit, inde illius nanciscendi difficultas retrahit: Omne illi est votum ad virtutes accedere, sed metus est à vitiis recedere. Nec enim potest vitiis, nisi & sibi vitioso inferre bellum, & suis pravis affectionibus, dare repudij libellum. Hinc illis frequens ire, redire, surgere, & titubante vestigio relabi, proferre pedem, & referre: anchoram tollere, & ex ora solvere, tum mutata subitò velificatione, ad litus adhærescere.

II. Hinc

Digitized by Google

II. Hinc in eadem voluntate Velle, & Nolle. *Vult & non vult piger.* Iraſcitur & blanditur, lenocinatur, & abominatur, diſſuaviatur, execratur, quod illuſtri emblemate exprimant SS. Patres. Eſt aliquis amans ſui, & delicatiſſimæ quietis, qui manè velit è lectulo ſurgere; quippe urgent negotia, & diei lux prope meridiana, & pudor eſt, negotioſum otiari, occupatum feriari, & tum ſtertere, dum alij vigilant, & rebus ſuis invigilant. Procul hinc oſcitans deſidia: non naſcitur palma inter plumas, ſed inter pugnas: non acquiritur laurea in molli culcitra, ſed in martiali arena: negotia peraguntur in foro, non in lecto! O verba generoſa, modò ſincera! Dum modicè levat caput, & enititur, pigritia renititur, & blanda veluti manu palpat, & ſenſus quidam jucundæ voluptatis repugnat, & ſuaviter titillat. Succumbit ſomno, & recumbit in lecto: accuſat ſe, & excuſat: in ſe indignatur, & ſibi adulatur: ſe oppugnat, & propugnat. Pulvinar ei movet ſtomachum, & tamen illi imprimit oſculum: tollit manum ad ſtragulas veſtes, eaſdemque mox reducit, & quieſcit. Surgam modò, & dormit ultra modum. Mira pugna, pugnatur in ſtrato, velut in campo: præliantur inter ſe voluntas, & voluptas: illa oculos ferit, hæc claudit: illa pungit animam, hæc reſolvit. Evolat interim hora, dum trahitur mora: & ille Thraſo, qui ſpiritu veluti uno difflaturas omnes difficultates videbatur, exigua corporis titillatione vincitur, & diem perdit. Maius. *Prov.* 3. 4.

III. Eſt illa maſcula vox Trajani Ducis Chriſtiani, & invicti ad Valentem Imperatorem: *Deum ſemper ſequitur victoria, & ad eos accedit, quibus Deus ſe Ducem præbet.* Ita eſt, ubi Deus erit ſoſpitator, ibi roſæ, laureæque pullulabunt & coronæ texentur, & epinicia exaudientur. Nos cum dæmone comparati, ut robuſtiſſimo gigante, minuti pygmæi videmur, quos elidere, & audaci pede facilè proterere ille poſſit. Sed divino præſidio defenſi, in leones evadimus, ignem ſpirantes, & inimico formidandi. Trojam olim annalium monumentis celebrem, quod unum haberet Hectorem, *moram fatorum*, ut eum vocat Poëta, nec Achilles dum hoſtes perſequitur, nec Ajax dum inſtat, non Diomedes, dum gladio furit, vel arcu Teucer, non conſilio Agamemnon, nec oratione Neſtor, nec divinatione Calchas, nec dolis Ulyſſes, tot annorum curriculo capere potuerunt. Nos ſi Deo auſpice præliemur; & ſub ejus vexillis meremus, ſperemus fore, ut illius gratiâ freti, robore nixi, numine fulti, vim, tela, conſilia, machinas, baliſtas, violentas impreſſiones, & efferatam audaciam vincamus? Iſe è cæli podio non tantum, eſt ſpectator, ſed propugnator: & ut Xerxes, pugnam Salaminam ab alto monte ſpectaturus, in aureo ſedit ſolio, & multos adhibuit ſcribas, quorum munus fuit, ut quæque res in prælio gererentur, *Theodor. l. 4. c. 29.*

Maius. tur, excipere, & fortia uniuscujusque facta notare. Sic Deus è sua machina nos contemplatur pugnantes, juvat ut vincamus, palmas numerat ac victorias. Sub tali Duce pugnanti, est victoria certa, sub aliis incerta: juxta illud Poëtæ,

Est nulli certum, cui pugna velit dare sertum.

25. DIES MAII.

Omnis perfectus, perfectionis est indigus.

Fulgent. ad Monim. l.1.

Nemo tam perfectus, cui non insit defectus.

I. LIcet jam pedem extuleris ex via lata, & à vitiis recesseris, & inuleris in viam arctam, & ad virtutes accesseris, nunquam tamen oportet tibi persuadeas, te statim omnibus absolutum numeris, sed potiùs te scatere nævis innumeris. Nihil enim est aliud in hac vita omnis nostra perfectio, quàm minor quædam imperfectio. Nemo est cui non plus desit, quàm adsit prudentiæ, & scientiæ. Hinc nullus scit, quanta nescit. Nullus enim tam est mente sagax, animoque solers, quin in pluribus hallucinetur per ignorantiam, quàm rectè agat per solertiam. Nemo est tam justus, quin plurimum ei desit ad obtinendam justitiam. Nec ulla in ullo est virtus, in qua non sit aliquis nævus. Nec ullus est tam doctus, qui non egeat doceri. Nemo est qui omnia ad summum absolverit. Nec ulli fuêre tam integri, in quibus nihil ipsa desideraret integritas. Itaque perfectorum justitia est, ut nunquam præsumant se esse perfectos. Hoc ergo sit certum, inter mortales, ex mortalibus, cum mortalibus nihil esse perfectum, nisi per Deum, & in Deo perfectionem consequatur. Cùm enim homines infinitis sint obnoxij delictis, nihil pronius est quàm delinquere.

II. Quid miraris: Nullus est hominum ordo, in quo non sit aliquid inordinatum: nulla hominum societas, ubi non est aliqua labis fœditas: nullum corpus tam undique omni elegantiâ, & lepore venustum, in quo non sit quod possis vel quia deest, addere, vel quia supereſt, demere. Itaque veteres cùm vellent Deorum suorum turbam, ex omni parte esse perfectam, & sine defectu absolutam, & ab omni quod carpi posset vitio eximiam, unum tamen loripedem esse ajunt Olympicæ pompę, & senatus ludibrium. In planetis benefico lumine juvantibus, maleficus unus est Saturnus. In aëre vitali vi prædito, præstites sunt exitiosi; in metallis opulentis venena; inter

inter herbas cicuta. Sic in Philoſophis reperiuntur fatui, in Grammaticis barbari, in Theologis Hæretici, in militibus meticuloſi. Sic nec omnes Advocati ſunt Patroni, nec omnes Judices, legum vindices, nec Veſtales omnes caſtæ, nec omnes Theologi ſunt Theophili. Hæc eſt humana imbecillitas, quæ ad lapſum prona, ut Harpyia, ſi quid in homine reperit honeſti, dehoneſtat; ſi quid venuſti, devenuſtat; ſi quid formoſi, deformat. Nemo tam integrè vixit, quin ipſum vel puderet, vel pœniteret ſic vixiſſe. Sit aliqua formæ tam exquiſitæ, quàm ipſa Venus, adhuc reperietur aliquis nævus. In ipſa Helena invenietur à Momo macula. Majus.

III. Igitur quiſque patitur ſuos manes, quia in quolibet eſt aliqua quæ inficit labes. Naaman erat charus Regi Syriæ, ſed leproſus: Rachel formoſiſſima, ſed infœcunda: Lia prole dives, ſed lippa oculis: Saul Rex, ſed exoſus. Sic unus eſt nobilis ſanguine, ſed pravus indole; eſt dives fortunæ opibus, ſed pauper naturæ dotibus: hic acuto, & aſtuto ingenio, ſed nimis indulgens ſuo genio: ille eſt quaſi encyclopædia omnis ſcientiæ, ſed nullius eſt conſcientiæ: ille pollet omnibus artibus, ſed & caret omnibus virtutibus: ille prudentiæ eſt Ariſtides, ſed formâ Therſytes: ille præſtans eſt ſago, ſed nullus in toga: ille in campo eſt incomparabilis ut exercitui præſit Imperator, ſed non eſt qui in curiâ conſilia det Senator. Hic bene canit, ſed malè pingit: hic valet calamo, ſed torpet gladio: ille ut terram excolat eſt peritiſſimus arator, ſed ut coram populo peroret, nullus orator: ille valet pedibus, ſed mancus eſt manibus: hic habet robuſtum caput, ſed infirmum pectus: hic habet concinnè formatum naſum, ſed fœdum in tergore gibbum: hic perfecto eſt corpore, ſed calvo eſt capite. Nihil huic homini videtur deeſſe, niſi unum, quòd non ſit aptus præeſſe. In illo nihil eſt quod deſideres, niſi non eſſet tam deſes. Ille eſſet factus ad unguem, ſi caput non ſcalperet unguibus. Ille eſſet homo omni ex parte conſummatus, niſi eſſet tam facilè iratus. Illius vita eſſet vivendi norma, niſi ſineret ſe rapi alienâ formâ. Denique ſit hoc oraculi vice quod cecinit Poëta,

Iam vix ſunt viſi, qui caruêre niſi.

Majus.

26. DIES MAII.

Perditissima ratio est, diligere formam, negligere famam. *Cicero 4. Rhet.*

Ubi est vel minimus defectus, nullus sit neglectus.

I. TAmetsi quilibet habeat, quo displicet homini, defectus, nullus tamen debet esse in eo eradendo, ne displiceat Deo, neglectus. Plus rationi repugnat diligere corpus, & negligere animam, quam diligere formam, & negligere famam. Plus est tibi tua fama, quàm forma, quia illa à pluribus auditur, quam hæc videtur: inde fis notior commendatione famæ. Pluris quoque æstimas famam animæ, quàm formam corporis. Semper ægrotare, malum tibi esset intolerabile, inter humanos artus, habere membrum aliquod brutæ pecudis, esset malum inæstimabile. Prodigiosior est minimus in anima nævus, quàm maximus in corpore morbus. Non auderes te foris spectabilem exhibere, si in facie haberes os serpentis. Plus Deo displicet ex ore tuo verbum unicum leviſſimæ detractionis. Quanto esses omnibus ludibrio, si prodires in conspectum hominum cum capite bovino, vel equino? Probrosius est coram Deo volvere cogitationem unam, quæ vel propter fœditatem est illicita, vel propter vanitatem ridicula. Imò major est, similitudo inter corpus hominis, & brutæ pecudis, quam inter Gratiam, & peccatum etiam leviſſimum.

II. Hoc tibi sit persuasiſſimum, deformitatem in anima defectus minimi, excedere deformitatem quamcumque corporis non modò quæ nunc est, vel fingi potest, sed quæ esse potest Dei infinita potentia. Pretiosioris rei pejor est corruptio, & ejus quæ rectiſſima debet esse, magis offendit obliquitas: quid anima pretiosius, quæ excedit omne pretium? cujus vestis est Gratia, cibus Christi caro, potus ejusdem sanguinis, ministri Angeli, frater Dei Filius, Pater ipse Deus, Patria, Regnum Dei? Quare minima in ea labes, plus Deum offendit, quàm omnium corporum strages, & omnium Regnorum clades. Nec potest mens hominis fingere, nec Angeli concipere, solus Deus potest intelligere, quantum malum pariat Animo, leviſſima labes Animi. Quàm esses prodigiosum portentum, si haberes cor in ventre, non in pectore. Formidabilius monstrum est cor à Deo factum, & fictum, ut eo toto Deum totum amares, aliud quodcumque in amando ei præferre. Cor tibi est in stomacho dum intemperantius

rantiùs indulges genio: Cor tibi eſt in faucibus, dum nimium ſtudes exhauriendis calicibus; cor tibi eſt in manibus, dum illas extendis auferendis aliorum opibus. Majus.

III. Cenſeres te Alpha miſerorum, ſi laborares cancro, quid ſi his accederet ilias morborum, lepra, aſina, paralyſis, hydropiſis, abominatio ſtomachi, in pedibus podagra, in manibus chiragra, in toto corpore ciathica, in oculis cæcitas, in auribus ſurditas, in capite phrenefis, in lingua balbuties; quid ſi te uno agmine invaderent, & diſcerperent, mala omnia corporis? quæ fuerunt, ſunt, erunt, eſſe poſſunt: nónne malles eradi ex hominum ſyllabo, & mundo exeſſe, quàm talem eſſe? Amabo te, inter omnia, quæ diſcis, unum tandem diſce, æſtimare æſtimabilia. Plus tibi nocet, & magis Deo diſplicet, culpa animæ vel unica, quam mala corporis omnia. Et minus eſt intervallum inter Nihil, & Omnia, quam inter malum corporis maximum, & Animi minimum. Si ut poſſis uno illorum, de quibus memini, morbo eximi, nempe à cancro, libenter permitteres ſecari membrum; quid faceres, & non faceres, ut poſſis ab omnibus ſanari? Quæ eſt hæc inſania, nolle ſanare? Infeſtior tibi eſt quælibet animi ægritudo, quam omnis corporis ægrotatio. E præfatis exurgit hæc veritas.

Supra omnes clades, Animi unica ſit tibi labes.

27. DIES MAII.

Quid miſerius miſero, non miſerante ſeipſum? *S. Auguſtinus l. 1. confeſ. c. 13.*

Minimus animi nævus eſt perniciofior quàm maximus corporis morbus.

MAxima pars tuæ miſeriæ es, quod cum ſis vitio tuo miſer, non tamen ſis tibi miſerabilis. Miſeret te aliorum, & quaſi ipſe tibi eſſes minus quàm alius, non miſeret te tui. Dolet quis ex calculo, toto condoles animo. Alterius in corpore calculus tibi eſt in animo aculeus, imò eculeus. Quanta fuit trium amicorum Job, ob ejus ærumnas admiratio; & ex illa commiſeratio. Hæc de illis ſacri annales: *Exclamantes ploraverunt, ſciſſiſq; veſtibus ſparſerunt pulverem ſuper caput ſuum in cælum. Et ſederunt cum eo in terra ſeptem diebus, & ſeptem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum, videbant enim dolorem eſſe vehementem.* Quanta miſeratio in illis amicis! exclamant, plorant, ſcindunt veſtes, ſpargunt ſuper caput pulverem, ſilent tot diebus præ ſtupore. Magna debet fuiſſe Job miſeria, ubi maxima eſt erga Jobum

Matth. miseratio. Quid illi contigit ? Percusserat illum dæmon ulcere pessimo, totum corpus fluebat sanie, sedebat nudus in sterquilinio. Ad te nunc convertere ô peccator, ut sic avertaris à peccato. Minimus in animo defectus, est major quàm omnis ille in Jobo miseriarum apparatus. Fuit percussus à dæmone ulcere pessimo, & tamen quod pessimè habebat dæmonem percutientem, etiam sic fuit optimus. Minimus in animo nævus, pejor est quàm pessimum in corpore ulcus.

II. Plus dico, da veniam, si acturus de peccato veniali, illud exaggerem; quia quidquid dico, vel quidquid à quopiam potest dici, de eo mali, minus est eo, quod animæ infert, malo. Peccatum veniale est quædam morborum omnium, qui corpus infestant, complexio. Est cancer, sensim rependo serpit, per intima animæ, & nisi occurras serpenti, instar serpentis, inferet mortem, dum inducet ad peccatum mortale. Est lepra, quæ quia non tantùm est horrenda aspectu, sed contagiosa afflatu, sejungit à cælestis Sponsi complexu. Est Asthma; hinc difficilis illi ad Deum aspiratio, in divinis respiratio. Est Paralysis; hinc ille in Dei amore tepor, in ejus obsequio languor, in negotio salutis torpor; nulla in manibus ut mittat ad fortia, agilitas; nulla in pedibus ut currat per viam mandatorum Dei, velocitas. Est Hydropisis; hinc sitis illa ad bibendam quasi aquam iniquitatem. Est abominatio stomachi; hinc illa in pane Angelorum nausea, ad cæleste manna fastidium. Est podagra; hinc nullus in stadio, ut comprehendat bravium, non tantùm cursus, sed motus; pedes sunt quasi compediti. Est cæcitas, hinc in discernendo malo à bono cæcuties, in divinis caligo. Est Pyrenesis; hinc illa insania, ut sectetur fugienda, speret timenda, abominetur amanda, ambiat noxia, spernat æstimabilia. Est surditas; hinc non audit vocem Sponsi, nec susurrum sibili cælestis, nec verba æterni Verbi.

III. Necdum tui tot inter miserias misereris ? vin' cognoscere morbi tui magnitudinem ? Propone tibi magnitudinem remedij. Purgatorium est spiritu infirmorum nosocomium : Chirurgi, ac Medici vices agit, justitia. Sudant illic infirmæ animæ non in tepido balneo, sed in igneo vaporario, sed in flammeo æstuario. Scribitur illic non unum Recipe in charta, sed Patere in flamma. Minimum pro minimo morbo medicamentum, est gravius, quàm maximum in hac vita tormentum. Si videres regiam sponsam, imperio Regis sponsi, piceâ indutam veste, per horas aliquot vivam aduri, quis foret animi tui sensus ? Censeres vel sponsæ culpam esse ultra modum atrocem, vel sponsi animum esse supra modum ferocem. Si enim leve esset peccatum, hoc esset non tam peccatum punire, quàm in peccantem ferocire. Cùm animam ob peccata levia Deus exaggeret tormenta

Digitized by Google

menta tam gravia, aut Deum necesse est esse tyrannum, aut peccatum ve- Maius.
niale, esse execrandum malum. Absit ut Deus sit injustus, est Pater misericordiarum, & ideò super omnia opera est ejus misericordia. Non Deus ignorans, qui falli possit in culpæ judicio, nec crudelis qui excedat in ejusdem supplicio, quare si, quem tam impensè amat, tam severè castigat, ingens necesse est sit & atrox malum, cùm ad malorum pœnas non moveantur viscera Misericordiæ, cùm ita in ipsos sæviat Clementia, irascatur Benignitas, non parcit Bonitas. Tot inter quas recensui miserias, tui miserere, tot morbis dolendo medere. Enimverò,

Sanat languorem faciens medicina dolorem.

28. DIES MAII.

Quare non hac hora finis turpitudinis meæ?
S August. l. 8. Confes. c. 12.

Peccati turpitudo.

I. VT peccatum non tantùm ut noxium fugias, sed ut fœdum horreas, propono tibi ejus turpitudinem, quæ tanta est ut unius tantùm in intuitus esset omnium intuentium certus interitus. Ubi cœpisses ejus fœditatem cernere, confestim desineres vivere. Peccatum est omnium turpitudinum fax, omnium sordium colluvio, omnium fœditatum complexio, omnium deformitatum, quæ vel in terra, vel sub terra sunt, & ubivis esse possunt, coacervatio. Vel unicum peccatum purulentâ suâ sanie, & fœdâ contagione, toti cælo, & terræ nauseam ingenerat. Est enim peccatum cordis lues, Stygij Draconis sputum, Luciferi rabificum phlegma, Cerebri aconitum, Erebi excrementum, Animi tabes, Virtutum strages, meritorum clades, Naturæ dehonestamentum, Mortis stipendium, verbo, malorum omnium compendium. Nulli hœdi tam malè olent, nulla sentina ita fœteat, nulla cloaca tam tetram expirat mephitim. Quod totum solerti emblemate expressit Jeremias. Pingit enim Heroinam oris venustate, ac instructu nobilem, quæ gemmarum collucentium splendore, & murice spoliata, instar scarabæi volutatur in luto, cæno, stercore. *Qui*, inquit, *nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* Græci Patres habent: *Qui nutriebantur in cocco.* Itaque regali purpurâ, nuptiali veste, Imperatoriâ veluti trabeâ abjectâ, totum se abjicit in sterquilinium, ut diffluat in stercora. *Thren. 4. 5.*

II. Quòd

Digitized by Google

Maius. II. Quòd si hujus rei veritas adhuc tibi sit obscura, clariùs elucebit in Lucifero. Hic primum, ut Cherubinorum primus, erat Lucifer; ut Seraphinorum princeps, erat ignifer, sapientiæ luce conspicuus, amoris igne fervidus, cui ne quid deesset magnificentiæ ad splendorem, venustatis ad decorem. *Omnis lapis pretiosus*, erat ejus *operimentum*. Hic tamen omnis excellentiæ miraculum, Dei signaculum, pulchritudinis prodigium, vix cogitatione admisit, voluntate commisit flagitium, cùm subitò speciem tam horrificam, & spurcam induit, ut si. Deo permittente, se nobis spectabilem exhiberet, ejus fœditas omnes spectantes mente dimoveret, & solutis artuum compagibus, animus evolaret è corpore, perterritus tanta turpitudine. Quam multi tamen hanc ex omnium sordium colluvione concretam belluam, vel potius tartaream furiam, exosculantur ut suam filiolam. O excordis hominis extremam væcordiam! qui ultrò se peccato contaminat, bonis omnibus expoliat, & pro venustate illa inexplicabili, pro decore illo inæstimabili, sit momento uno horribile monstrum, stercorata larva, olidum ludibrium, catharma mundi, peripsema orci, carcinoma dæmonum, odium beatarum mentium, totius rerum universitatis terriculamentum?

Exech. 28.

III. Quomodo tot sordibus infecta, tot vulneribus confecta anima, petet amplexus sponsi? Fetor oris, & gravior inde exhalans spiritus, sufficiens est causa divorsorij in thoro: quomodo tot sordibus inquinata audebit petere, ut osculetur illam sponsus osculo oris sui? Quid si huic fœditati adjungas quæ ex illa sequantur damna? Lædi videlicet tantam Majestatem, cui se submisit omnis altitudo, à vilissimo lædi hommoncione, cui potestas est præcipitare in orcum, eodem momento, quo se inquinat peccato, cælum claudi, inferos aperiri, abjudicari lumen rationis, pollui conscientiam, templum Dei, obscurare mentem, servitutem iniri dæmonis, expelli beatos Angelos, Dei providentia, & amore spoliari, debilitari animum ad virtutum, & bonorum operum studium, prono cursu ferri præcipitem in omnem calamitatem. Peccatum esse non tantum turpe, sed ipsam turpitudinem, credo te jam credere. Quid igitur qui non potes pati labem in fronte, maculam in veste, pateris tot sordes in mente? Minima macula animæ, reddit animam quasi stabulum Augiæ. Cur igitur non attollis animam ad Deum, oculos ad cælum, & suspiranti corde, ac singultienti voce, quoties sonat hora, exclamas cum S. Augustino? *Quare non hac hora finis turpitudinis meæ?* Si ita turpem mors te occupat, nullus erit finis pœnæ meæ, cur non ergo jam finis est turpitudinis tuæ. Forsan hæc novissima hora est, fors hac hora sistar tribunali mei Judicis, quare non hac hora

hora sistar tribunali mei Judicis, quare non hac hora meæ turpitudinis? Majus.
Noli ergo înire fœdus cum fœdissimo peccato. Quia

Est animus fœdus, pangens cum crimine fœdus.

29. DIES MAII.

Fiunt instrumenta pœnarum, quæ fuerunt oblectamenta culparum. *Laurent. Iustin. de P. c. 4.*

I. PEccatum non tantum animum peccantis contaminat, sed peccatorem excruciat. Ubicumque enim est culpa, illic est comes pœna. Ipsum peccati oblectamentum, est quo puniaris, Divinæ Justitiæ instrumentum. Quantum horreres, si oculis tuis exhiberetur tristis illa crudelitatis pompa, quâ justitia etiam humana solet in reos animadvertere! Videlicet si videres vincula, forcipes, candentes craticulas, catastas, cruces, rotas, equuleos, gladios, mucrones, secures, clavos, lampades, sulphur, picem, liquatum plumbum, leonum fauces, bestiarum ungulas, & intelligeres omnes cruciatus, qui hisce instrumentis inferri solent, te subiturum. Essetnè pilus in capite, qui non præ horrore erigeretur, essetnè membrum in corpore, quod non tremeret? esset ex artubus unus qui non trepidaret? Quid malum? levius reformidas, & gravius exoptas? Nullus umquam Nero, vel Decius, vel Diocletianus, exertis etiam omnibus crudelitatis viribus, ita sæviit in alienum corpus, quàm tu in propriam animam. Peccatum tibi est omnis pœnæ instrumentum. Expende quæ sequuntur, & attende, an non in te sis tyrannus, ac tui carnifex? Peccatoris miseria.

II. An non hæc est ultima in se crudelitas? Peccator omnes ad se divinæ misericordiæ vias opsepit, aditusque intercludit. Imò qui scelus aliquod in se concipit, tacitè secum dicit; se Dei amicitiam nolle, vilipendere ejus favorem, nihil facere ejus gratiam, velle se perpetuo in illo cœno, in quod se injiciat, volutari, optare se ejus odium, cupere se ejus justitiam irritare. Simul sponte sua in illud se barathrum, præcipitem agit, unde neque suis viribus, neque Angeli auxilio, neque cujusquam alterius ope possit emergere: Itaque cùm scelus aliquod conscisit, quidnam aliud videtur dicere, nisi, Deum inimicum volo? Quidnam aliud fateri videtur, nisi? Ipse me præcipitem eò conjicio, unde, licet omnes homines qui fuerunt, sunt, erunt: itemque omnes Angeli, licet omnes conentur omnia, nisi aliquod divini auxilij lumen affulgeat, nulla vi possunt extrahere? Et miramur,

Majus.

ramur, cum audimus, damnatorum supplicia æterna, apud inferos esse? Quis audeat nimiæ in se severitatis judicem Deum arguere, cujus in se iram concitaverit, quem inimicum, quàm amicum habere maluerit? Quis cruciatuum æternitatem deprecari sustineat, qui voluptates suas sordidus, nullis temporum spatiis circumscribi, sed æternas esse cupierit? Qui lutum illud, cui perpetuo inhærere tantopere adamavit, cælo, Deoque anteposuerit?

III. At Christi mortis beneficium, inquies, infinitæ hominum malitiæ occurrit, quod beneficium peccatorem quempiam nactum, è luto erigit, & in Dei benevolentiam attrahit. Itanè verò? Ideò te in altissimam aliquam tossam injicis, quia sit aliquis qui inde te possit eripere? Ideò lethale tibi ipse vulnus infligas, quia sit aliquis, qui vulneribus medeatur? Quidnam est hoc? Uterum pericula nata sunt propter auxilia, an periculis auxilia successerunt? Utrum vulnus propter medicinam excogitatum est, an medicina propter vulnus inventa? Deinde quis promisit istud auxilium tibi semper fore paratum? Vel ut tibi concedam, præsto istud esse omnibus, eo uti volentibus, unde scis te illo usurum? quot fuêre, qui divinis auxiliis, cùm se illis ultrò offerrent, repudiatis, à consuetudine peccandi non recesserunt, & ita perierunt? Quàm penè innumerabiles, ab hoc eodem auxilio, sua ipsorum culpa deserti, ex hac vita migrarunt? Quapropter, qui se excitari ad pœnitentiam sentit, det manus, ut se sublevantem sequatur, neque divini auxilij, quod temere, nunquam sibi defuturum esse, promittit, fiduciâ, peccandi audaciam in se corroborari patiatur. Sequere igitur Poëtæ consilium, si tibi velis consultum.

Erige te è cæno, totumq; te infere cælo.

30. DIES MAII.

Qui à malis actibus tantum morte discedit, non relinquit scelera, sed relinquitur à sceleribus.

Salvianus ad Eccles. l. 1.

Mature resipiscendum à peccatis, ne illa potius nos, quam nos illa relinquamus.

I. HActenus horribilia fœdissimi illius monstri, ex orco emissi, in te admissi peccati, inquam, lineamenta proposui. Unum nunc te rogo, imò flagito te, priùs peccatum defere, antequam illud te: relinque scelera, antequam ab illis relinquaris: sis tibi prius finis peccandi, quàm spirandi. Ne tunc priùs define animam peccando lædere, dum tibi erit desinendum

Digitized by Google

Gentilem obtenta. Et Lucianus Lucretii, præcanitis adhuc, poëtæ meminit, quem tamen in ejus partes, de fortuna, & puero mutauerat. Pater nihilominus & apud inferos ei curæ erat. Quippe Clarissus Lucretium ejus filium, Lucian. Clar. 1. 1. dum ei parentat, apud eosdem agit: nec ut ingenium, memoriam, cæteraue animæ, aut corporis bona ei restituat, sed ut ipse ad illum ad inferos descendere, & cum eo versari liceat, ingenio suo confisus, & quia ipse ea præstare possit, quæ ab illo petit. Ingens *mirabilium* res: & tamen deorum precatum nemo, qui pro pace, ac felicitate, ne ac ne ulla ab eis cauta. Agnoscit ejus ingenium quæ in deum Africa mentem fi, *pulchritudo Pythonis* Cumanæ, *fortitudo* Cæsaris, *prudentia* Ulyssis, & formam, non tamen, cum Ulyssis tibiarum: Agnoscit inferorum ipsorum, quæ ad Lucretium, & Ulyssem, & Cæsarem, & Pythonem, & Cumanam ejus habitatio: ut propterea ipsi, Lucret. quæ ad eorum, & mortuorum, præsidia lachrymis deplorent. Cæterum, *cum sua solitudine* Lucretium Lucian. Clar. 1. 1. ejus quondam mentem reficiebat, ut ipse ait, *Lucretius*, & *Lucretius*.

11. Inducunt præterea Cynicæ Sectæ fautores cavillatores, credit Deos, quibusnam in locis mortuis sit habitandum? Quibusnam pœnis ea, quæ in vita contra Legem non à pœnitus meruit? Quid ad illud addici? Fas *fuum*, an quidem *nefarium* non intentatum? Quid *Nefas*, an non *Fas* omissum? Vera, & vera, quid ea quærere? Nihil præstat est quod possit, & facile, & diu quærendo, & disputando, cibi, & potus abstinentiam, hac lucis, & vitæ interiori mens, pulla, Nocti ergo in quadragesima circulus dies, quibus ut ad Deos, & Deorum Filios, & Filias, & Deorum Matres, non Magi, & Magæ, & Sacerdotes, & Sacerdotes, & Sacerdotes

Majus. nunc nihil mihi dolor, nihil lachrymæ ad impetrandum à te peccatorum meorum veniam prosint, si ab illis Misericordia tua quasi victa recedat? ubi est fides tua, in qua servanda hominum præsertim existimatio, decusque contineatur? Postremo (vide quo jure studium in te meum, ardorque impellat) ante tribunal tuum, coram sanctis, ac Angelis tuis, persanctè affirmo quod si propositum est tibi, me à te rejicere, mihi propositum esse, à tuis vestigiis, ne digitum quidem abire; si tibi est in animo, odio me persequi, mihi fixum esse inexplicabili te amoris nexu complecti: si tibi deliberatum est me damnare, mihi quoque deliberatum esse, millies ante mortem oppetere, quàm semel post hac te offendere. Unum à te peto, & hoc requiram, videlicet, quocumque in loco me esse jusseris, sive in cælo, sive in terra, sive in ultimis infernorum finibus, ut te amem, honorem, laudem, cui uni debetur omnis laus, honor, amor. Cum hoc proposito, ne denuò pecces, time; nam ubi non est Dei timor, ibi est animi livor.

Debet adesse timor maculet ne pectora livor.

31. DIES MAII.

Latet ultimus dies, ut observentur omnes dies.
S. August. l. Hom. 50.

Tempus bene impendendum. I. PErvenimus ad hujus mensis omega, sive ultimum diem. Sic tacitis mensibus paulatim senescimus, & ad vitæ metam, non eundo accedimus, sed properando currimus. Sic transeunt dies salutis, donec eluceſcat ultimus dies, qui fortè erit unus è diebus futuri mensis. Qui ne forsan te improviso occupet imparatum, hæc pauca cum otio, utinam cum animæ emolumento, expende. Tanta hîc futurorum in domo æternitatis est hominum ignorantia, ut docuerit D. Petrus S. Clementem, *Mundum hunc esse domum fumo plenam*, quo prorsus arcentur oculi ab iis quæ intus, & foris geruntur: unde homines omnes tantâ capti sunt præsentium, juxta ac futurorum ignoratione, ut caduca æternis, ac humilitatem, imò nihilum rerum inanium, æternitati rerum perennium exitiabili sententiâ præferant. Sic ut censeant exilium hoc patriam, carcerem Regnum; humanæ prudentiæ caliginem, lucem, ac splendorem; peregrinantium stationes, locum quietis: denique malum bonum, & bonum malum pronuntient. Quæramus utili curiositate, quod olim Hæbrei in deserto, de Manna, quod dum legerent,

Clem. Rom. in Epist.

Digitized by Google

legerent, tunderent, coquerent, ederent, interrogabant tamen: *Quid eſt hoc?* Majus. Sic nos inquiramus, de hiſce opibus, quibus accumulandis noctes, dieſque ſtudemus: de dignitatibus, ob quas tot pericula adimus; de honorum inaniis, quorum ambitu rumpimur: de voluptatibus, quibus heu! ſalutem utriuſque hominis immolamus; de bonis denique his, ob quæ tot facimus, & patimur mala; quid tandem ea? cur tantilla, nobis ſint tanti? quid in ſe contineant tot deſideriis, ſuſpiriis, lachrymis, vigiliis, ſtudiis dignum?

II. Aperi oculos ut videas immenſum illud quod inter-jacet cæleſtia inter, & terrena, caduca, & æterna, humana, & divina diſcrimen. Si enim noveris in uſura labilium, æterna ſpectare, tum demum temporariis ex rebus ſempiterna lucra; immenſa ex levibus, ex morientibus, & fluxis immortalia referes. Mittamus colorem, eluamus fucum, detrahamus larvam, ſeponamus ſtulta ſtultiſſimorum judicia: ſubeamus intrò in rerum receſſus, & certo certius, reperiemus ſola ea quæ ſunt ſupra ſolem, æterna eſſe, ac immortalia, alia omnia infra limam, inſtar lunæ eſſe inſtabilia, brevia, evanida, nec pluſquam ephemera. Diſcutiamus hanc nubem ſi poſſumus, & reducto velo diſcrimen bonorum, & malorum, expendamus, noſtraſque cogitationes ad futura, quæ expectamus, hoc eſt ad vaſtiſſimam æternitatem præmittamus: ut ſecuturi menſis tempus, quo feſtinamus ad domum Æternitatis, conſideremus. Ponamus nobis ob oculos ſempiterna illa, quæ perituris, & vilibus permutamus, veluti olim Agrippina Neroni filio, tantundem auri in abaco poſuit, quantum dono uno temere perfuderat, ut inſpecta coram inſolentia muneris, juvenem prodigum caſtigaret. Animadvertamus, quid ſit æternitas, quam puncto temporis decoquimus, eſt abſque fundo immenſus oceanus, ſine luce abyſſus, ſine exitu labyrinthus, ſine futuro, & præterito ſtatus, circulus cujus medium ubique, ambitus nuſquam eſt: ſemper novus, numquam vertens annus: denique illud quod nunquam poteſt comprehendi, quod ſemper debet timeri.

III. Ex mente Gregorii Nazianzeni, *Æternitas, nec tempus, nec pars temporis eſt.* Nam tempus effluit, Æternitas mole ſuâ ſtat, & quibus primum tormentis damnata mens inferos ſubiit, iis æquè vivacibus, ac novis poſt annorum centies centena millia excrucianda eſt. Contrà, eâdem ſerie temporum tam immensâ, beatæ in cælis animæ nihil deceſſurum eſt ex felicibus gaudiis, quibus illic principio frui cæpit. Trahit enim ſecum præcedens tempus aſſuetudinem, qua uti dolorum, ita & bonorum decreſcit ſenſus: æternitas verò ſemper una, ſemper ejuſdem quaſi novi, & integri *Orat 38. de Chriſt. Nativ.*

Majus. ſenſus. Habet nonnullum dolor ex varietate ſolatium, videtur pœnas, illarum mutatio lenire, aliquod ægrotus, aliquod equuleo detentus, in altero latere levamen, invenit: ſemper idem eſt, ſibique ſimilis æternus dolor, & quam in partem ſui ſupplicii incubuerit damnatus ſemel, in eam jacebit ſemper. Hæc ergo æqualitas ſuppliciorum, eadem ſemper mole, & atrocitate miſeros prementium, quam intoleranda futura eſt? Creſcunt ſuis progreſſibus omnia; ſuis ad ſummum cum venerint deceſſionibus minuuntur, dies nempe, maria, flumina, tempeſtates: ſunt extra hanc legem damnatorum pœnæ: & quinque ab hinc annorum millibus fratricidam Cain nihilo minus lacerant, quàm cum recêns in illas miſſus eſt. Cave ergo eò deſcendas, quia

Acrius eſt felle heu, pœnam ſentire gehennæ.

Digitized by Google

1. DIES IVNII.

Non expugnat concupiscentiæ malum, nisi continentiæ bonum. *S. Augusti. de Contin. c. 3.*

I. POst propositos animi morbos, progredimur ad eorum fontes unde dimanant, & pharmaca quibus curentur. Inter ea quæ vitia, & scelera vel pariunt, vel parta fovent, tria præcipuè memorantur, concupiscentia, voluptas, & animi perturbationes. Tres sunt impuri fontes, qui in omne genus sordium ebulliunt, tres radices infelicium arborum, unde mala propè infinita pullulant. In his ergo venenatis fontibus obstruendis, in his radicibus extirpandis, nostra jam laborabit industria. Ordior à concupiscentia. Hic fons uberrimus vitiorum est, unde mala plurima totis alveis effluunt, & in animos influunt, nisi mens Dei præsidio munita exultantes ejus motus comprimat, & furibundos impetus coërceat. Illa contra nos acriter bellat, fortiter nos debellat, feliciter de nobis triumphat. Spectemus primò bellantem. D. Jacobus dicit illam *militare in membris nostris*. Itaque ut Babylonica Semyramis, & Bellatrix Amazon, formidandas vitiorum legiones, noxarum manipulos, pravorum affectuum turmas auspiciis suis, ducit in caput nostrum, & nostri capitis perniciem. Quapropter in toto corpore, velut in Martio campo, in membris singulis, in sensuum portis, collocat præsidium suum, aciem instruit, erectas appetitiones, ut milites suos incendit, & immittit ad turbandum animi imperium, ad exterminandas virtutes, ad eripienda nobis nostra merita, ad cladem denique animo inferendam luctuosissimam. Concupiscentia. *Iacob* 4 1.

II. Spectate jam eandem nos bellando debellantem. D. Paulus Religionis primipilus fatetur se expertum concupiscentiam in membris suis repugnantem. Quot corpus numerat membra, tot concupiscentia pro se contra nos recenset arma. Est enim corpus nostrum armamentarium ejus instructissimum, & exitialis belli officina, ac telorũ panoplia, in qua indies tela acuantur, bombardæ fulmineæ raptentur, sariſſæ in pectus ituræ poliantur, funes, laqueique texantur in animi exitium. Ipsa lingua instar clangentis tubæ, canit bellicum fitque sæpè versatilis gladius, quo alterius famæ immedicabile vulnus infligit. Oculi intendunt arcum, eoque toties emittit sagittas, quoties movet palpebras. Cor toties aroci vulnere consauciatur, quoties, vel amori, vel odio, aliisque affectionibus succumbit.

Hinc

Junius. Hinc D.Paulus, membra nostra vocat, *arma iniquitatis*, quæ concupiscen-
Rom.6.13. tiæ belligerent, cujus artibus, & corporis titillatione, quasi levioris armaturæ volitatione fracti, non sine probro mentis, & opprobrio Rationis, manus illi damus, & blando inimiço herbas porrigimus, ex quibus illi accrescit laurea. Atque ita tollitur bonus usus membrorum, dum vertitur in omne genus armorum : quod insequitur oratione suâ Tertullianus.
De spect. c.2. *Neque enim*, inquit, *oculos ad concupiscentiam sumpsimus, neque linguam ad maliloquium, & aures ad receptaculum mali-loquij, & gulam ad gulæ crimen, & ventrem ad gulæ satietatem, & manus ad vim, & gressus ad vagam vitam, aut spiritus ideo insitus corpori, ut insidiarum, & fraudum, & iniquitatum cogitatorium fieret.*

III. Nobis debellatis, sequitur jam ejus triumphus. D.Paulus exper-
Rom.1.2.3. tus est concupiscentiam non modò in se contra se pugnantem, *sed captivantem se.* Quæ prompta è bellica disciplina, robur ejus formidandum demonstrat, quæ animum jam sibi subditum, captivum tradit, & in servitutem trahit: dein in mente, velut in sublimi arce, vexillum, ut victoriæ partæ monumentum figit : ac deinde de spoliatis virtutibus trophæa erigit ad insigne dedecus animi. Itaque ex concupiscentia, omne in animo pecca-
Iacob.1.15. tum, ex peccato inter corpus, & animam bellum. *Concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum.* O inauspicatum partum ! ô malè ominatam prolem! cujus parens est incubus dæmon. Hinc jam certa anima pernicies, dum ab illo utero, ut ex equo Trojano, in arcem mentis violenti motus, instar furibundi exercitus irrumpunt. Ne ergo vincaris, imò ut vincas, huic concupiscentiæ malo, oppone continentiæ bonum. Animantium motum efficit appititio : si equo fœnum, ovi ramum, sui glandem ostenderis, celerimè accurrunt. Sic in hominibus evenit, si aurum tinniat, si argentum colluceat, si theatrum blandæ libidinis, si pompa ambitionis, (ni domita fuerit) appetitio studio inflammato rapitur, & velut miles ad prædam ruit; inde pro præda inter hominem superiorem, & inferiorem acerrima pugna. Quapropter cum carne bellandum est, ut fugias bellum : juxta Poëtam.

Si timeas bellum, facias cum carne duellum.

Digitized by Google

Junius.

2. DIES IVNII.

Vnicuique sua cupiditas, tempestas est.
S. Augustin. serm. de verb. Dom.

Cupiditas in homine, idem est quod tempestas in æquore.

I. CUpiditas in corde hominis non modò movet bella, velut in campo, sed & tempestates, velut in freto. Quòd si libeat intueri statum animi, in quo bacchatur cupiditas, is mente sibi fingat dromonem in pelago vela facientem, tum oboriri primum ventorum murmur, deinde increbrescere, fluctuum vortices attolli, & reciproco allisu ad litora frangi, cælum involvi tetris nubibus, eripi diem opacis umbris, intermicare fulmina, mugire reboantium tonitruorum fragores, omnia metu, & horrore compleri. Interim decumani fluctus totâ aquarum mole in navim incumbunt, paulatim compages solvuntur, vela scinduntur, malus frangitur sævientibus Austris, fit ventorum concursatio, & vociferatio, hebetatur animus, neque anchoræ locus est, nec clavo, quia navis gubernaculi impatiens hinc inde in diversa rapiatur: furit tempestas, & naufragium minatur: nihil obversatur omnium oculis, nisi plurima mortis imago. In omnium vultu est pallor, in membris tremor, in animo timor, in corde pavor, ubique immensus horror.

II. Revocemus mentem ab Oceano, & in hominem introeamus. Quid est hic mundus in quo degimus, nisi mare, in quo vela facimus? Audi Senecam. *In hoc profundum, inquietumq; projecti mare alternis æstibus reciprocum, & modò allevans nos subitis incrementis, modò majoribus damnis deferens, assidueq; jactans, numquam stabili consistimus loco: pendemus, & fluctuamur; alter in alterum illidimur, & aliquando naufragium facimus, semper timemus. In hoc tam procelloso, & in omnes casus exposito mari navigantibus, nullus portus, nisi mortis est.* Adjiciat & suum calculum profano, etiam sacer auctor D. Ambrosius. Sic ipse: *Cursus hic noster in quodam salo mundi jactatur. Navigandum nobis est, & malorum tendiculis vela insinuanda sunt. Procella sævit, ventus consurgit, tempestas insanit. Si ita clavum tenueris, ut manus tua retinenda non amittant, ad portum illibatis mercibus tendes; sin verò fluctibus adversis illisus scopulis implicantibus, ac flatibus præpeditus, inter freta rixantia, tumidi gurgitis naufragaveris, redeundum est ad saburram, &c.* Quia porrò in ore trium testium, stat omne verbum, accipe hîc tertium D. Chrysologum. *In hujus*

Consol. ad Polyb. c. 28.

De pœnit. c. 12.

Serm. 47.

Digitized by Google

Junius. *sæculi mare tumens pompâ, elatum vertice, undosum sectis, insciliâ fluctuans, clamosum litibus, fremens irâ, sævum perfidiâ, peccatis naufragum, impietate demersum, misit piscatores suos Christus.* Habes hîc mare, vide nunc in eo tempestates.

III. Idem qui paulò antè mare, etiam in eo expressit tempestates D. Ambrosius. *Magnam faciunt tempestatem, multitudines cupiditatum: quæ veluti in quodam freto corporis navigantem, hinc atque inde perturbant, ut gubernator sui animus esse non possit, die ac nocte caliginem amoris ignorans.* Idem alibi: *Est quædam in tribulationibus interna peccatorum sæva tempestas, quando sunt foris pugnæ, intus timores. Est aqua contradictionis, quando veluti quodam maritimi salis æstu fluctuant nostræ cogitationes, nec ulla in profunda mentium, definitionis stabilitate placidantur.* Accipe de eodem argumento tertium, sed primi ejusdemque authoris pronuntiatum. *Insipientes corde turbantur, & ipsi sibi sunt propriæ exagitationis auctores, quando desideriorum suorum æstu volvuntur, & quodam salo fluctuant.* Quàm concinnè hæc omnia conveniunt cum hodierna tessera? Qui sunt illi Typhones impetuosissimè reflantes, quàm spirantes, & immoderati affectus? Quænam tam ferox in freto procella, quàm in animo iracundia? Quænam in corde speranda malacia, in qua æstuat invidia? Pravi affectus, ipsi sunt fluctus, ipsi turbines, & procellæ sunt. Illis sævientibus, eripitur menti dies, conglobantur in intellectu tetræ nubes, ubique spissa est caligo, fiunt omnia confusè, ac perturbatè; summa levitas, impotentis animi inconstantia, &, ut fieri solet in tempestate, cælestium mercium, bonorumque sequitur jactura. Quapropter quantum metuis naufragium, tantum fugias sequi cupiditatis imperium. Quantum in te geris affectus, tantum tuis moderare affectibus. Ad illud te hortor, exclamans cum Poëta,

Affectus generant luctus, in pectore fluctus.

Apidag. David. c. 5.

In Ps. 45.

Lib. de Nab. c. 15.

3. DIES IVNII.

Voluptas. **Nemo est dignus nomine hominis, qui unum diem totum velit esse in voluptate.** *Cicero 2. de finib.*

I. NIsi hujus Tesseræ citassem auctorem, credidisses eam fluxisse ex calamo non Ethnici, sed Catholici; non Tullij, sed Tertulliani. Si dies unus in voluptate exactus ab homine, faciat indignum nomine hominis, quis inter homines gaudebit titulo hominis? Nónne exterminari deberet

ista

iſta nomenclatura, ex rerum natura? Quid hoc monſtri, voluptatem, quam Gentiles abominantur ut Furiam, Chriſtiani exoſculantur ut filiam? Cùm tamen nulla ſit eâ capitalior homini peſtis. Illa enim ſuſcepit patrocinium omnium propè vitiorum. Illâ perorante, & argumentationes ſuas tortuoſas, & cavillatrices explicante, mens, ratio, juſtiſſimæ leges, Numinis voluntas, quæ in vita, ut in communi hominum foro, & judiciis dominari, par eſt, abjiciuntur. Nullum quippe eſt maleficium tam immane, nullum ſcelus tam enorme, nullum flagitium tam turpe, nullum facinus tam deteſtandum, cui non ſua patrocinetur voluptas, vel quod non guſtus quidam ſuavitatis alliciat. Itaque plures in foribus voluptatis, quàm olim in januis præſtantium Oratorum, ſunt palmæ, laureæque, indices triumphorum, adeò ut illi uni omnes faſces ſubmittant, herbas porrigant, ut totus mundus illi epinicia canere videatur, & cum Epicuro, ac Epicureis Poëtis exclamare: *Dux vitæ, dia voluptas.* Junius.

II. Adeò illa in omnium natura eſt impreſſa, & inſerta penitus hominum fibris, ut videatur ſe negare, qui voluptatem ejurat, quaſi à natura diſcedere, qui jucunditatem vitæ repudiat, ſine qua vix expetenda vita videatur. Hinc liquet, quàm ſit factu arduum, contra voluptatem eniti, comprimere, & abjudicare, quæ cuilibet eſt congenita, ſingulis domeſtica, univerſis non modò familiaris, ſed quaſi contubernalis. Quàm porrò eſt omnibus familiaris, tam eſt cuilibet exitialis, ita ut nullum ſit vitium, cum quo non habet contubernium: hinc pronum ab illa panditur iter ad omne ſcelus, quæ blandâ omnes titillatione allicit ad libidinem, & alia inſignia mala. Quapropter qui mentem altiùs efferunt, illud ſibi proponant, ut omne genus voluptatis, quæ à carne, & ſanguine petitur, uti Sirenum ſcopulum vitent, ut Capharea ſaxa declinent. Quod præſertim illis ſtudiosè providendum eſt, qui à natura mulieroſi, facilè amoribus implicantur, aut dulcium rerum guſtu, & cupediis capiuntur, & affluenti communium opum abundantiâ, in mollitiem infringuntur. Quibus acerrimè pugnandum eſt, & influenti, ac blandienti voluptati, Dei timor objiciendus, & dicendum cum viro Græciæ clariſſimo: *Non tanti emo pœnitere*, adde, pudere, tædere, perire. *Gell. l. 1. c. 8.*

III. Quid quod voluptas, quæ hauritur è voluptate, ſit tempore modica; acerbitas, quæ inde naſcitur, ſit diuturna. Voluptates nobis ſomniantibus, dolores vigilantibus offeruntur: moleſtiæ in manus deguſtandæ porriguntur; quies autem tantùm auribus haurienda conceditur. Dantur nobis adverſa, ut experiamur; proſpera tantùm, ut intueamur. Si qua ſe offerat in vita jucunditas, præterit non reditura. Si verò occurrit anxietas,

Junius. manet non refectura, ut porrò excelso monti præcipitium, ita voluptati finitimum est fastidium. Deinde anteà penè avolat, quàm advolat; citiùs miramur præteriisse, quàm delectamur venientibus; anteà ferè aufertur, quàm venerit. Unde voluptas cuilibet est advena, quæ inde sequitur acerbitas, est incola: illa est hospes, hæc domestica: illa est velut in alieno solo peregrina, hæc quasi in proprio domicilio inquilina: voluptas inardescit concupita, vilescit acquisita, evanescit amissa. Præterita autem voluptas præsentem non juvat, & exhausta non satiat. Denique ubicumque, & quocumque incedamus, tanta est sincerarum voluptatum penuria, tanta molestiarum abundantia, ut vix centum annis unum, quo oblectemur, & quibus excruciamur, vel myriades passim reperiamus. Non sinamus igitur nos à cæca cupidine excæcari: nam teste Poëta,

Mentes corruptas exacat blanda voluptas.

4. DIES IVNII.

Quid prodest si exteriora serenitas teneat, interiora tempestas. *Cæsarius Arelatens. Hom. 27.*

Passiones animi. I. VT sis sincerè felix, necesse est, ut homo interior, & exterior, quadam veluti harmonia, inter se modulentur. Nihil enim conferet ad felicitatem, si sit malacia in fronte, & procella in corde: foris pax, intus bellum: extra te silentium, intra te tumultus; si manus teneat olivam, cor romphæam. Itaque ut inter tot miserias, desinas esse miser, omnes animi affectus compellendi sunt ad gyrum rationis. Ut varius est in variis terrarum regionibus soli genius, sic & in hominibus terrena sapientibus, diversi sunt affectus. Rhodus, & Jonia terræ motu frequenter quatiuntur, vexatur eluvione Thessalia, Ætna ardet, Thracia nive candet, Cimmerij tenebris inobscurantur, Nilus tellure sorbetur, Delos in Ægeo fluitat. Non dissimilis in cælo varietas, signorum oppositiones, planetarum error, oblucantes motus: Saturnus maleficus, Sol cane mordens, Mars siccus, humida Luna. Sic in hominibus, hic bile fervet, invidiâ ille tabescit; hunc exedit ægritudo, libido illum corrumpit, alium metus abjicit, audacia quosdam supra nubes attollit. Quot homines, tot adversæ, repugnantesque animi perturbationes, quibus miserum cor, ut cymba in saloagitatur.

II. Neque res adventitia est, & peregrina, seque obiter insinuans, & recedens:

recedens: nobiscum adolescunt, atque, ut ore Tertulliani, phrasi tamen non Tullianâ loquar, *contemporant fœtu, coætaneant natu,* adeoque nobiscum consenescunt, nec priùs discedunt à statione cordis, quàm nos à statione vitæ: atque adeò non nisi eodem cum vita, & corpore, tumulo consepeliuntur. Multorum animus est veluti campus Martius, ubi sibi repugnantes affectus acerrimè inter se digladiantur, turbidi, ac furiosi motus, qui omni virium contentione dimicant, ut occupent animi dominatum. Quo ubi potiuntur, tunc demum movet arma furor, illis in quiete est labor, in tranquillitate turbatio, in securitate pavor, in solitudine turba, ut nunquam minus soli esse, quàm cùm soli sint, videantur. Nam tametsi in vestigio suo hæreant, in cubiculo fixi, evolant tamen furiosâ mentis agitatione, ad vicinos, in vicos, in forum, in curiam, in trivium, quin & ad loca remotissima cogitationibus palabundi se conferunt, umbratili certamine pugnant, & quasi contra hostem, sine hoste congrediuntur. Iram, ubi nullus adest, cui irascantur, concipiunt, cum illis quasi sibi adstantibus rixantur, inimicis dormientibus, ac silentibus, contentissimâ voce cum illis altercantur. Fabricantur sibi in turbulento pectore quasi theatrum ubi gratis insaniunt, ferociunt, debacchantur. Ubi ludos insolentes ludunt, & plusquam Thyesteas tragœdias agunt, amor in libidinem effervescens, alienarum rerum immodica cupiditas, contabescens animi mœror, cæteræque pestes, & pectoris quæ in eo stabulantur monstra, & belluæ. Junius.

III. Voluit porrò Dei providentia, hanc continuam esse animi luctam, & inquietos motus, ut non conniveamus vitio, indormiamus nostræ saluti, & in mediis veluti periculis ludamus, & nobis illudamus, sed perpetuò pavidi, noctes, dieséque soliciti, nunquam non anxij, in omnem partem circumspecti, & solerter, ac jugiter intenti, in vicinorum hostium eruptiones, viam moliamur in cælum, atque ex ipsis difficultatibus, strenuè obnitendo, fortiter obluctando, victrices nobis adoreas comparemus, manubias colligamus, trophæa erigamus, & aureis lemniscis coronam in dies nostram insigniamus. Qui verè commotionibus illis non obsistunt, credi non potest in quot pericula se induant, quot se pedicis illaqueant, quot clades animi, & dedecora mentis patiantur. Nam in simili animo, ut in tumultu Gallico denuntiato, semper ad sagum, & mucrones decurritur, semper classicum inflatur, & bellicum canitur, nec aliud quàm illud Maronis auribus perpetuò insonat. *Arma viri, rapite arma viri.* Furor, & Bellona circumeunt, concitantur ardentibus tædis è tartaro emissæ Eumenides, fit conjuratio, pax & quies obturbatur. Frustrà igitur domi solus est, qui vento perturbationum in locum omnem rapitur, & nunquam se-

Junius. cum, semper extra se, ubique est. Nec solitudinis, aut noctis silentium illi pacem, & quietem adfert, cui passiones forum, & tumultum fabricantur. Ne servias, gere ut olim Romani, bellum in servos, hoc est serviles, & viles affectus, quos nisi extermines, experieris in te protervos. Sequere ergo consilium Poëtæ,

Ejicias servos, quos noveris esse protervos.

5. DIES IVNII.

Per sensus quasi per quasdam feneſtras, vitiorum in animam introitus est. *S. Hieron. l. 2. in Iovin.*

Sensus, januæ mortis. *Ser. 9. 21. Gregor. Moral.*

I. PEr incuriam in custodiendis sensibus, planè in negotio salutis simus incurij, & prorsus insensati. Sensus, oraculo Jeremiæ, sunt feneſtræ mortis, judicio S. Gregorij, sunt *Ianuæ mentis*, per quas ingreditur conscientia, editura magnas in animo strages, in pectore clades, totamque interiorem Rempublicam eversura. Hinc si sensus rationis fræno non coërceantur, mentem effœminant, & ceream, facilemque reddunt ad suscipiendas omnes libidinis titillationes. Fit autem illa effœminatio, atque in vitium prona mollities, à voluptate, quæ congenita nobis, & intimis visceribus illita, contagione suâ totum corpus inficit. Per has feneſtras, fit aditus in intima mentis adyta, vix metropolis, & arx mentis capi potest, nisi per illas portas irruerit hostilis exercitus. Ad illas animi portas subsident in insidiis concupiscentiæ, voluptas, & tartarearum legionum princeps dæmon, ut si tantillum mens à custodia, vigiliaque sua desciverit, subitò ingrediantur, inexplicabili nostrâ calamitate: si vel rimam inveniat concupiscentia, per quam intus possit irrepere, blanditiis, ut aureis cincta telis, & loricata voluptate, pedem figit, tamquam in suo. Possessio acquiritur, ut magni ajunt Juris-consulti, *etiamsi in angulo tantùm ingrediatur.* Quod nusquam verius fortè videbitur quàm in sensuum voluptate, ac concupiscentiæ hoc introitu, quæ vel ad latum unguem admissa, violentum dominium occupat.

De morib. gent. Serm. 42.

II. Non imitemur Celtas, nec Æthiopes: illi *januas adium numquam claudunt*, inquit Nicolaus Damascenus, hi *domus sine foribus clauserunt*, teste Stobæo. O quot reperiuntur his similes, qui summâ imprudentiâ, aut impietate sic patentes latè sensus, & apertos habent, atque ad omnia excipienda

Digitized by Google

disputarem, nil differam: neque vobis molestiæ, neque mihi periculi erit. Iamen, cum demum veniet vobis videndum. Quæso, ut mihi ea libertas, qui etiam hostibus solet concedi, & efficiat libenter, & adhibeatis. Nam, si vobis ea vagus, gibbosus, monstruosus, aureus prætextus, & quidquid ejusmodi quisquilia videntur, nihil habent in vobis vel modo excusationis, quo tam longe lateque nullum nequeunt. Si tamen non modo tumultuabuntur, sed & ferent, & ferent æquo animo, & ferent libenter, & ferent, quod & facit, quod, hoc ipso facto, certum, prorsus præcipio, ne ferbuit lectionibus meis obtendere, & hactenus æquo vobis parcam, aperte consilium fero. Iam tamen, ante quam hinc, fiet de scholasticis recipiat, ut quæ ex quotlibeta hebetes, perigrinos, asinos? Quid hic aliud loquor, quam quæ dicentes non hebetes, non peregrinos, non asinos, ac modo dicentes, meæ actiones culpabunt? & hac ratione imperitiæ fugient, qui libenter ego corrigar?

111. Propter inanes hos casus suffundito, copiose, fideliter, quæ, ex Aristotele, ex Thomistis, ex Scotistis, scholis fieret. & majora vulgentur, quæ quisdam quotidianis scriptorum accessionibus, vetustate fiunt quod lectitantur, & quotidianis lectionibus, vetustate fiunt quod scribuntur. Quamvis enim non omnia eadem semper, nec eodem modo, nec eodem ordine: Ab his tamen ad illa fortasse (ubi datus erit) ab Deo ingressus? Ob hæc rationes multo ac optius erit Theologiæ adeptorum artium Baccalaureus, sed tamen, ut non humanum sermonis, & humanorum sensuum rem, ubi quæ irrigua, & ornata solutum, & fluens, & non fastidiosum, rivus incorruptus, & non sordidus natus, ac ecclesiam introducta, per hanc absentiam, in primæ publicationis rudis & negotiosæ, & intra & exteriora. Periculi enim nullus intentus ac fraudes, his verbis perfringo. D. Ambrosius: *A principio verbis, & figuris non utitur, quibus carne, & sermone infirmi, & imbecilles utuntur, ab argumentis cognitis, & notis, & rerum vocabulis, quibus in usu est populus, ad ea, quæ non videntur, quæ non sunt in usu, & ad ea, quæ in cœlestibus, ubi ea, quæ cernuntur, videntur fieri.* Ad hæc verba percipiet, quod loquimur in eo Dominus, gubernat libabit, quibus diuvis de Dominus, ubi ea, quæ humanæ, universum scholæ modi; scilicet dicendi, fieri cupiens. Ne ergo mihi continget quod dicit Poeta, invidiæ locus.

Non ita amicus ero, nisi fiam carere fabæ.

Fontanini Casale

Junius.

6. DIES IVNII.

In aula numquam fui quietus, extra aulam nunquam inquietus. *S. Norbertus.*

I. DOmicilium Quietis, digito demonstrat Auctor Ordinis Præmonstratensis. Satius est esse quietis compotem, vel in caula, quàm ejusdem expertem vel in aula. Utramque fortunam, sed magno discrimine, & in aula, & extra aulam fuit expertus, Auctor hodiernæ tesseræ D. Norbertus. Auctor tibi sim, ut sequaris tanti Ordinis Auctorem, si lubeat asse qui quietem. Ubi certius invenies quietis domicilium, quàm ubi est *æterni Regis habitaculum*? Hoc titulo Innocentius IV. condecoravit familiam illam Præmonstratensis Ordinis, numquam satis nec commendatam, nec commendandam. Quot in ea degunt viri, totidem lucent veluti *luminaria in firmamento cæli*. Sic eos indigitat Adrianus IV. Putes Christum hunc Ordinem feciſſe, quasi hæredem suæ, qua in monte Thabor fulsit, gloriæ. Illic enim *resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix*. Ecce hic in facie, instar solis, splendor; in veste, instar nivis, candor. Hæc sunt duo quæ hunc Ordinem mirificè commendant, in mentibus splendor, in vestibus candor: ille refert faciem solis, hic speciem nivis. Solis splendor designat, qua fulgent, scientiam; nivis candor, qua florent, vitæ innocentiam; utrumque consummatam sanctimoniam.

Mat. 17. 2.

II. Quia porrò futurus erat Norbertus vas electionis, cujus beneficio non pauci essent adsciscendi inter paucos electos, simili ferè modo ut Paulus ad Christi castra fuit evocatus. Ibat is in Freden comite famulo, generoso vectus equo, alta spirans, ad magna, ex mundi judicio, aspirans; cùm subitò totum in nubes cogi cælum, horrendo boatu mugire tonitrua, coruscare fulmina, evibrari fulgura, eaque inter audiri, quæ non tam terrerent, quàm docerent, hæ fulminatrices voces: *Norberte, Norberte, quid me persequeris? Corpus aptavi tibi, divitias quibus te ostentas, administravi tibi; mihi servire debueras, & cur alios perdere festinas? Durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Alia deinde adhibita est ad ejus animum expugnandum, è cælo machina: hoc est, disruptæ nubis violentia, elisusque fragor, qui ad equi pedes dum circumfremit, simul ingentem terræ patefecit hiatum, quo & equus, & vector potuisset absorberi. Hoc fragore post horæ intervallum,

tervallum, vigiliæ sibique redditus, erupit in hæc verba; non tam voce, quàm corde, cum Saulo, ipse adhuc Saulo similis: *Domine quid me vis facere? Mox è cælo vox reddita: Desine à malo, & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam.* Junius.

Tanta moles erat Norbertum subdere Christo.

III. Sic tonitruanti voce prostratus è cælo, totum se erexit ad cælestia. Statim enim ut esset suus, deseruit suos, & sua. Totusque jam non amplius terreni Principis, sed divini Numinis, voluit sub ejus signis pugnas pugnaturus, experiri, quid posset Christus Norberto milite, quid Norbertus Christo duce. Illum enim Dei afflatu, & summi Pontificis consensu instituit Ordinem, qui Ecclesiam non tantùm fortiter propugnaret, sed longè, lateque ad extrema terrarum, propagaret. Quàm porrò sit populosa Norberti propago, & tum dignitate, tum scientiâ, tum sanctimoniâ fuerit semper conspicua, hinc proclive erit intelligere. Recensuit Præmonstratensis familia Abbatias mille, & trecentas virorum præposituras, ac quingenta Sanctimonialium cœnobia. Occupavit autem sexdecim Ecclesias, tum Metropolitanas, tum Cathedrales, quibus Archiepiscopos, Episcopos, Præpositos, Archidiaconos, Canonicos plurimos, per ætates plurimas subministravit. Quid non debet hæc ipsa, ubi hæc scribo, urbs Antverpiæ, Norberti familiæ? Quod non subfuerit Tanchelino fatali illi hæreseos portento, uni hoc debet Norberto. Sed illa familia non modò virtute, & eruditione, sed avito, imò & regio sanguine illustres recenset. Hos inter eminet Robertus è regio Anglorum sanguine prognatus. Scitè ergo Poëta:

Debet Norberto, si est Anglia clara Roberto.

7. DIES IVNII.

Oculi vestri etiamsi jaciantur in aliquem, figantur in neminem. *S. Augustinus Epist.* 109.

I. MUltum differunt, in aliquem oculos obiter jacere, & diu figere. Penè perinde est in ea quæ non decent, oculos figere, & animæ letale vulnus infligere. Credes si sequentia maturè expendas. Acroama est Salviani, oculos esse *naturales quosdam animi cuniculos.* Ut enim in obsidione civitatum, quæ naturâ, artificioque munitæ sunt, ducto cuniculo ad castellum, Cautelà magnâ opus circa oculos. *L. 3. de Provid.*

Junius. stellum, fit resticula pulveris tormentarij, duciturque in lineam ad præsidij fundamentum: neque tamen igne applicito fiunt statim illa grandia, & miranda, quæ videmus: sed paulatim flamma serpit per apertam viam secuta, & exigui fomitis continuatione innutrita, donec in specum latè patentem, & copiosam materiam infusa, in vastum erumpat incendium. Tum videas subitò ignem furere, solum quati, horrifico sonitu compleri omnia, subrui turres, volitare saxa, moles in sublime attolli, quasi telo trisulco poëtici Jovis, aut Gigantum immanium conatu, Acroceraunia convellerentur. Ita eximiæ formæ pulchritudo, per oculos, ut animi cuniculos subiens, si aspectus continuatione, ut igneo fomite, ardor ipse cupiditatis, intimam in arcem prævenerit, magno fieri incendium necesse est, fumo, & tinebris compleri mentem, proposita pia convelli, Gratiæ propugnaculum everti, ruere muros dissipatæ conscientiæ, non sine acerba calamitate.

II. Oculos corporis esse cuniculos animi, docebit nos suo damno, utinam nostro emolumento, David, princeps dubites purpurâ, an sanctimoniâ clarior. Hic cùm somnio meridiano se molliùs recreasset, surrexit è lectulo regio, captare liberiorem auram voluit, deambulavit in solario domus regiæ, unde liber in omnem viciniam prospectus fuit, circumegit cu-
2 Reg. 11. 2. riosè oculos, *viditq; mulierem se lavantem ex adverso.* O quàm acutè hîc Au-
In Ps. 50. gustinus! *Mulier longè, libido propè.* Vidit, & subitò à formoso illo spectaculo radius, & cum radio fulgur, & in fulgere vibrans amoris ignis, ex igne ardor interiora depascens, unde illa consecuta sunt, quæ cùm legimus, vel audimus, legentium est dolor, audientium stupor. Deus bone! Magnus ille Messiæ Pater, ille à Deo coronatus, & vaticinio pollens, in cujus pectore, ut in opportuno diversorio Sanctus Spiritus sedem posuerat, unde velut è tripode loquebatur, ille præco mirabilis, ac pictor Euangelij futuri, & Ecclesiæ olim triumphantis. Ille divinitus amplissimo dominatu potens, tot cæli donis cumulatus, domus Saulis, & gentium barbararum victor, cui ad cumulum humanæ felicitatis, admodum nihil deesse videbatur, uno contuitu fuit stratus, & abjectus, è libero servus libidinis, è vidente cæcus, è Dei amico hostis, ex opulento spoliatus, & miser evasit.

III. Mihi quidem miserandus David jure videtur tunc dicere po-
Thren. 3. 51. tuisse, quod pòst longè fletu, & mœrore plenus cecinit Jeremias. *Oculus meus deprædatus est animam meam.* Sed qualem animam, & quàm calamitosè deprædatus est? Illam animam, ut felicissimam urbem, Angelorum multis legionibus cinctam, bonis cælestibus affluentem, omnium virtutum locupletem: in requie opulenta firam, & conscientiæ tranquillitate, plenam divinis apothecis, ubi peregrinæ huic mundo merces continebantur, non ab

Indiæ

Indiæ felicibus oris, sed è cælo empyreo petitæ: urbem devotione præ- Junius.
stantem, quotidianis animi donariis, votisque nobilem; ubi Circi, & curricula perfectionis, & multiplicia theatra proposita mundo, Angelis, & hominibus ad intuendum, ad mirandum, ad imitandum. Hanc, inquam, animam, ut civitatem suis ornamentis glorioſam, unico aspectu oculus deprædatus est, spolia diripuit, trophæa statuit ad perpetuam ignominiam sanctitatis. Sustulit è mente lumen, è voluntate religionem, ab animo gratiam, à Vate prophetiam, à Rege consilium, à Dei amico summi Parentis inexplicabilem illam benevolentiam, & favorem, quo gestiebat priùs, & mirificè gloriabatur. Hem animi humani imbecillitatem, supra omnium opinionem maximam! Quem unus radius muliebris venustatis, in oculum curioſum exceptus, sic abripit, agitat, & transversum agit, & è regia virtutis via deflectit, scelere infami, incomparabili temeritate, inexplicabili calamitate. Malum est videre mulierem, pejus alloqui, pessimum tangere. Vis ergo tibi consultum?

Despice fœmineum cultum, nec respice vultum.

8. DIES IVNII.

Quotiescumque dulci voce mulcetur auditus, ad turpe facinus invitatur aspectus. *Valerian. Cemel. Homil. 6.*

I. UT exiguo distant loci spatio oculi, & aures, sic eidem exponuntur periculo. Facilis est transitus ab aspectu ad auditum. Ne malè audias, cave mala audire. Ut igitur bene audias, neganda est audientia illis, qui proferunt verba impudentia, itemque illorum sermonibus, qui detrahere de aliorum vita gestiunt, & nominis gloriam imminuere satagunt. Nihil tamen auditur ut frequentiùs sic nec libentiùs: in triviis, in tonstrinis, in conviviis, in tuguriis pauperum, in palatiis nobilium, in sacrosanctis quoque templis, in curribus, in navibus, vapulant omnium aures convitiis, & contumeliis, & calumniis. Tanta hujus mali libido mentes hominum invasit; ut etiam qui ab aliis vitiis sunt eximij, in istud tamen, quasi in extremum diaboli laqueum incidant. Sicuti ad sanos, sanctosque sermones aures oportet inclinare, & patefacere, ut per ipsos quasi tubos, ad animum cælestia pronuntiata transmittantur: ita si quis vitiorum as- Cautela circa auditum.

Digitized by Google

Junius. secla, pestilensque homo accedat, ut per aures quasi per fistulas, verbum obscœnum, quasi cœnum inferat, non secus is fugiendus est, quàm ferarum illud genus, quod toxicum ejaculatur. Audientium est contumelia, illorum auribus committere contumelias. Nec caret vitio, bibulam aurem præbere linguæ in alienam famam grassanti.

De curiositate. II. Dum loquor de auribus, erige aures ad hanc Plutarchi comparationem. Is aures eorum, qui rerum infandarum commemoratione delectantur, consimiles ait portis urbium, quæ nefastæ, & abominandæ vulgò habentur, per quas videlicet educuntur, qui à carnifice necandi sunt, aut piacula inducuntur, nihil verò faustum, lætum, auspicatum, nihil quod imbutis humanitate ingeniis voluptatem adferre possit. Ita sunt qui sermones de Deo, & divinis, de cælo, & cælestibus aspernantur, auditum verò ut inauspicatam animi portam, habeant longè, & latè patentem ad noxia excipienda: hîc nihil excipiunt. Intrat calumnia, ut carnifex alienæ vitæ, quæ meritò honore, & famâ spoliet. Eunt, redeuntque plaustra obscœna inverecundæ mentis, & impudoratæ linguæ: acroamata impuri alicujus scurræ, aut effrontis sycophantæ, admittuntur. Hæc illis hominibus unica Siren est, hæc illepida Musa in deliciis, hæc auditionum omnium suaviſſima. Illis sordibus oppletur mens, & carcinomatis patet, & acervo quisquiliarum exuberat, & ore teterrimo mephitim exhalat, quo per aures aliorum animæ commaculentur. Ubi aliquem videris ad improba audienda pronum, ad indecora attentum, supra lepores auritum ad capiendam alienorum morum insectationem, ad probra excipienda quæ in probos à maledicis conjiciuntur, ad turpia dicta excipienda, profanum illum hominem existima, animo à Musis, & gratiis alieno, qui ea quæ in aliis damnat, cæcâ mente, & impotenti vitio consectatur.

III. Aristo in Philosophiæ sinu eruditus, ventorum eos esse molestissimos ajebat, qui amictum nobis retegunt; ita probi viri in omni congressu eos putant omnium importunissimos, & remis, velisque fugiendos, qui quæ tecta esse oportuit, ut detractâ vento malitiæ tunicâ, in aperto ponunt, & in humano præconio retegunt. Curiositas aurium, uti oculorum, non tantùm ad ea se extendit quæ sunt consona, sed absona. Non tantùm delectat audire philomelas, & alaudas, & citharas, & tibias, sed & rudentes asellos, & grunnientes sues, & ululantes lupos, & latrantes canes, & coaxantes ranas, & sævientes ursos, & rugientes leones, & mugientes tauros, & hinnientes equos, & barrientes elephantes, & gementes pueros, & altercantes aniculas, & undique personantes stultorum risus, & ineptissimos, & inconditos fletus, & confusas voces. Beatæ illæ aures, quæ cùm medium

medium silentium continet omnia, & omnipotens sermo de regalibus se- Junius.
dibus venit, cum percipiunt, & in se excipiunt. Cùm Hannibal Saguntum obsideret, missique Româ Legati eum admonerent, ab obsidione desisteret, respondit illudendo, se bellicis rebus intentum, contra hostes, non posse audire eos. Sic multi, strepitu mundi tumultuantis occupati, in forensi illo fremitu, pravis affectibus inter se rixantibus, & digladiantibus, non audiunt instinctus divinos, qui tanquam Legati è cælo mittuntur, ut desistamus dimicare contra Deum, & tamen tum maximè, juxta illud,

Dum vox dia sonat, cælestia munera donat.

9. DIES IVNII.

Optimus odor in corpore, est nullus. *Seneca Epist.* 10.

I. POstquam de auditu, nunc pauca de olfactu. Ob tres causas adhiben- Odoratus.
da est cautela circa hunc sensum. Prima est, quòd omnis illa voluptas, quæ percipitur ex dulcium aromatum usura, & ad jucundam sensuum oblectationem admovetur, est frivola, par levibus fumis, quam motus auræ exiguæ ventulusque avehat; cui proinde intemperantiùs inhiare, sit genus inanissimæ stultitiæ. Utpotè cujus possessio est volatica. Quàm igitur damnanda est illorum vesania, qui immodicâ, & insolenti pecuniæ profusione opes suas non ostentare, sed perdere cupiunt, ut voluptate ex fumo fragranti, momento perfruantur. Turpe est ergo viro prudenti, si unguentis oblitus, & rosis coronatus incedat, estque argumentum certum, quòd hujusmodi hominem ne odor quidem virtutis attigerit. Quid probrosius viro, quàm exhibere palàm exquisitum corporis cultum, è lineis amiculum, è serico vestem, & quæsitæ elegantiæ pompam, qua velut amator è comœdia, comptus, & venustulus, fragrans ubique unguenta, per forum, & plateas volitet. Nónne talem ejectum è palæstra, meritò amandabis ad gynicæum, ut illic expiret unguentum? Miles es Christi, armare, non comere: athleta es generosus, vir sis, non comptula pupa, & stibio delibuta.

II. Altera causa est, quod afflata illa odorum suavitas, mirabiliter animum emolliat, effœminet, & inducat petulantis cujusdam lasciviæ socordiam, virtutum nervos succidat, robur animi infringat. Est enim fœminarum fragrare musco mure, & tantùm non meretricarum puellarum. Hinc D. Cyrillus Hierosolymitanus suffimentum vocat *voluptatis inescativum*: Cat. 12.

Junius. *tivum*: ut Veneris hamum, nequitiæ fomitem, luxuriæ delinimentum. Bini id probabunt auctores, alter prophanus, alter ſacer, Homerus, & Salomon. Ille cùm Heroum mores effingeret, nulli odorum fragrantiam tribuit, niſi Paridi, quem elumbem delitiis pingit, & muliebri venuſtate formoſum, delibutum unguentis, coronatum roſis, aureum puellum, totum à Venere, & Cupidine mulieroſum, quæ Regio inveni labes, ad ſempiternam nominis infamiam inuſta eſt. Salomon cùm meretricem pingit non tam muliebri pompâ comptam, quàm multiplici laſciviæ choragio inſtructam, & pandectis veluti elegantiarum, & venuſtatum, quibus erectos, & generoſos aliàs adoleſcentes illaqueare poſſit, non omittit odores, ad frangendum
Prov.7.17. mentis robur accommodatos. *Aſperſi*, inquit, *cubile meum*, vel ut alij vertunt ex Hebræo, Cubile meum odoratum reddidi *myrrha, aloë, & cinnamomo*. Spectant itaque ad Veneris amaſios, & diſcinctos nepotulos odoris ſuavitas, & diverſa thymiamata, & Cyphi, & muſcus, & peregrini muris pelliculæ, & totius Arabiæ ſuffitus.

III. Poſtrema cauſa, cur rejicienda ſit hæc delibata ex odoribus ſuavitas, petita eſt ex ſacris oraculis, & Numinis authoritate. Olim cùm Judæi ſolutis eſſent moribus, atque in omnia genera delitiarum effuſi, adeò ut odorato vino uterentur, & unguenti ſuaviter olentis luxu nimio redun-
Iſai.3.24. darent, pœnam illi voluptati denuntiat ſcelerum vindex ore Iſaiæ: *Et erit pro ſuavi odore fœtor*. Vatablus vertit: *Eritq; pro muſco tabes*. Veniet aliquando tempus illud, cùm illa caro in puticulos, & ſaniem, & pus, & tabem diſſolvetur, ad quam oblectandam iſtæ aromatum delicatæ voluptates inveſtigantur: ſentient illi delitiarum aucupes, mali odoris mephitim, atque inamœnum fœtorem, qui curioſè muſco perfundunt, & ſudariola, & chirothecas, & genus omne veſtimentorum. Juſtiſſima eſt hæc pœna, ut dum compoſitio ſuavis fragrantiæ impenſiore ſtudio exercetur ad petulantiam vitæ, atque luxum, tunc meatus ſerviens illi ſenſui oppoletur pure, & compleatur pulvere fæculento. Itaque in corpore optimus eſt odor, nul-
Epiſt.4. ad Sever. lus, niſi in animo è virtutibus hauſtus. Breviter, ſed nervosè Paulinus: *Operiũ, non odorum fragret unguentum*. Non unguenta ex Arabia, ſed aromata è cælo petamus, & connitamur eos odores habere, quos David in Deo devo-
Pſal.44. tis hominibus commendat. *Myrrham, & guttam, & caſiam è domibus Eburneis* afflatam mirificę ſuavitatis emittant. Hinc cui allucet è cælo divinæ gratiæ ſplendor, huic inviſus eſt exquiſitus in corpore odor. Suffragatur mihi Poëta, dum ait:

Eſt animo luſcus, cui fragrat corpore muſcus.

10. DIES IVNII.

Hoc me docuiſti, ut quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam. *S. Auguſt. L. 10. Conf. c. 31.*

I. VTinam ſub tanti Doctoris magiſterio doceremur accipere fercula ut pharmaca, & dedoceremur pulpâ, & pingui aruinâ corpus farcire! Guſtus, eſt inter ſenſus ſenſuum infimus, totus materiæ immerſus, & communis cum belluis. Nulli minus guſtant, quàm ſuavis ſit Dominus, quàm mancipia ventris, quàm delicati illi voluptatum aucupes, lurcones, & liguritores aſoti, qui Sybariticas cænas odorantur, magiſque ſuſpiciunt palatum quàm cæli palatium. Quid magis probroſum homini, qui invitatus eſt ad cænam illam magnam, qui toties manducat panem Angelorum, cui proponitur guſtandum illud cæleſte manna, quod in ſe continet omne delectamentum, indulgere ſuo genio, quo hebeſcat acies ingenij, quàm in cibum, ac potionem ſeſe totum effundere, lautitiarum genus omne conſectari, ventris ſuavitatibus inhiare, in patinas mentum, ac mentem avidiſſimè immittere, guſtum omnem in cupediarum appetitione ultra modum explere, conviviorum ſociamenta, dulcemque tragematum varietatem, ſtudiosè inveſtigare; Illi ſcilicet, corporis colluvione ſtupidi, fracti epulis, tanquam opimi boves vîcos obambulare, & omnia ructibus contaminare; *quorum Deus venter eſt*, qui nullos ſibi magis Deos cupiunt eſſe propitios quàm patellarios. Guſtus. *Phil. 3.*

II. Qui hujuſmodi humilium deliciarum ſunt ſtudioſi, nunquam illi ſolis, aut lunæ magnitudinem, vel aſtrorum domicilium, aut errantium ſtellarum lucidos globos, perenni motu reciprocantes, ſed cum illo de comœdia paraſito, culinarum fumos, & nidorem curioſiſſimè obſervant. Quorum palæſtra eſt culina, gymnaſium eſt triclinium, quibus lances ſunt enſes, ollarum ſtrepitus eſt lituus: qui tunc tantùm ſudant dum manducant, & potant, quibus nullus eſt frequentior locus, quàm focus, ubi laborat coquus. Tales merentur expungi ex albo hominum, & adſciſci in claſſem pecudum. Ut guſtes amaritiem quæ oritur ex indulgentia guſtus, hæc tecum expende. Guſtus etiam cùm vorat, voluptatem tantùm per tranſennam libat, ita ut tantùm ſit in tranſitu, & momentanea: cujus tamen remanent

Junius. manent reliquiæ graviſſimæ, gravedo capitis, indigeſtio, eructatio, crapulæ exhalatio, hebetitudo mentis, nauſea ſtomachi, deinde morborum iliades, ex illis dolores, ex doloribus tandem immatura mors. Ut meritò dubites, pluresne ſuſtulerit in aliena manu hoſtilis gladius, an in propria cantharus. Deinde, illa ipſa, quæ in curſu eſt voluptas, niſi adhibeatur modus, fatigatur: nimirum currit, & niſi interpelletur, ut reſpiret, marcet languida; ſi continua eſt, nulla eſt. Eò jam proceſſit ingluvies noſtra, ut voluptatem omnibus etiam pecoribus communem, novis artificiis irritet. Nulla jam eſt voluptas, quam non corrumpit ars; etiam pro ventre eſt diſciplina. Jam tam ſumus delicati, ut pudeat ſine ingenio indulgere genio.

III. Non ſatis eſt cibum coquere, oportet & pingere. Hinc quædam auro, quædam argento illinuntur. Quid palato cum colore? In aromatibus aliquando raritatem pluris æſtimamus, quàm ſuavitatem in ferculis, ſumptum magis, quàm ſaporem. Ita ipſas voluptates naturales damnavimus magnis pœnis, ut jam non liceat eas percipere ſine pretio, ſine gravibus impenſis: ſine lancibus argenteis non ſapit cibus: inſulſum eſt ſal, niſi fuerit in artificioſo ſalinario. Vinum non pluris æſtimatur, quàm aqua, niſi bibatur in gemma. Quod gratis natura dedit, ſumptuoſum facimus. Intemperantiam, hebetiſſimam voluptatem, communem brutis animantibus, nobilitare volumus ingenio, pretio, artificio. Quaſi verò non æquè facilè ſitim extingueret fontis aqua, pandâ excepta manu, quàm maſſicum ingenti comparatum quæſtu? Ligna quæ tradis igni, annè ſanus eris, ſi pingas, ſi inaures? Conſumenda ſunt, irritus hic ſumptus eſt. Cur cætera quæ etiam conſumis, ut eſculenta, poculenta, vis corrumpere ſumptibus? Jam non delectat cibus, niſi carò conſtet. Nulla fercula ſunt chara, niſi cara, & rara. Illud tibi certò perſuadeas; nullus minùs eſt ſui Dominus, quàm qui ſuo ſervit abdomini. Dictis album calculum adjicit Poëta:

Officies menti, dans pinguia fercula ventri.

11. DIES IVNII.

Tactus, & joci, ſunt morituræ virginitatis principia. *S. Hieronymus in vita S. Hilarij.*

Tactus. I. NUnc pauca tangamus de Tactu. Hic ſenſus eſt omnium infimus, & ad fæcem, ac colluvionem materiæ proximè accedens, & remotiſſimè diſcedens à dignitate animi. Hinc Gregorius Nyſſenus tres ſenſus in

in homine vocat belluinos, pecudum proprios, Tactum, Gustum, Odoratum, qui in cœno maximè voluptatis, suo more volutantur, à quibus refugere oportet, tanquam à putri, & malè olenti cadavere. Idcircò in hoc sensu moderando summa est cura adhibenda, quòd latè pateat illius vis, & in vita usus, unde infinitæ prope occasiones eveniant suscipiendæ labis, ob rerum variarum contagionem. Hinc si tactûs voluptas hominem afflaverit, incipiet æstu libidinis furere, amoreque totus accendetur. Idcircò existimât magni viri, nullum esse in homine vehementiorem sensum, nullum magis in scelere impotentem. Est enim quasi leno libidinis, qui & florem pudicitiæ facillimè contaminet. Et quamvis leve quidpiam initio videatur, emergit tamen, seque magis deinde accendit voluptas, & in corporis ipsius possessionem invadit. Sicut enim miles dum in præsidium ducitur, si præfectus legionis liberum ingressum in alicujus ædes inveniat, illic quidpiam armorum suorum, puta lanceam, galeamque, aut scutum ponit. Et licet ob negotia egressus, foris esse dicatur, potestate tamen intus est, quod armis in eo loco positis jam propriam, suique juris domum fecit. Junius.

II. Sic voluptas, vitiorum quasi legione stipatus, si per sensus irrumpere in animum possit, & veluti in aspectu lanceam, in auditu galeam, in manibus scutum suum defigere, tametsi à corpore abesse flagitium videatur, sceluque voluptatis, tamen sibi domicilium libido metata est, nec aberit diu, cùm in sensibus, velut in ædium vestibulo, arma reposuerit. Imò cavendum est ut non modò, non corpore corpus, id est carnem, præsertim mulierum contingamus, sed ne res quidem alias, quæ proximè illas attingunt, cùm in illis quoque fomes sit libidinis, scintilla voluptatis. In vestitu, in chiroteca, in sudariolo delitescit Cupido, telum igneum ferens; tetigisse, uri est. Nulla stuppa vicina igni tam subitò incenditur. In momento aridum jecur est. Tange muliebrem stolam, aut mitram, aut tenues vittas, statim ut è cesto Veneris vis veneni prodit, seque in venas, atque pectus insinuat, atque ita vitæ arcem mors subit. Hinc tetigisse Virginis vel strophiolum, est virginitatis, vel morituræ præsagium, vel morientis principium, vel mortuæ indicium. Tactæ aconito carnes, necant protinus illum qui gustaverit. Sed nullum est aconitum, quod celeriùs tactu animum perdit.

III. Tactus quàm sit præsens periculum tangenti, voluit toti posteritati manifestum reddere sui jam morientis exemplo Ursinus Presbyter, teste Magno Gregorio. Is vitam summa in severitate, castimoniaque egerat, penè in ipso gremio virtutis, atrioque cæli educatus. Tandem morbo lethali corripitur. Et cùm motu, ac calore omni destitutus, jam animam

Junius. exhalasse crederetur, accessit illius quondam uxor, cujus tactu, atque omni familiaritate, quadraginta jam annis abstinuerat, quod omne tempus in sacrosanctis Ecclesiæ ministeriis, & divinarum rerum commentatione posuerat. Illa dum explorat, an flatus supersesset aliquis, & vestigium animæ nondum abeuntis, tetigit, ut fit, ore suo hominis os, atque vultum, cum ipsa morte luctantis. Qui mulieris tactum sentiens, ardore magno collegit vires omnes, quæ in corpusculo esse potuerunt, ad ea dicenda, quæ pio monito salutari futura essent orbi terrarum. *Recede*, inquit, *mulier, adhuc igniculus vivit, paleam tolle.* Hinc disce, nullum debere sibi fidere, quòd adolescentiæ annos prætervectus, jam ætatis quandam maturitatem, constantiamque attigerit. Homo es, ideoque recusare non potes, quin possis pati humana. Quid tam porrò humanum quàm per periculosum corporis tactum, labi in turpissimos animi actus. Non tantùm qui tangit picem, sed qui carnem, inquinabitur ab ea. Mihi dicenti occinit Poëta, qui illud non tam è Poëtico Parnasso, quàm è cælesti paradiso accepit.

Præcessit Tactus? sequitur mox impius actus.

12. DIES IVNII.

Nihil citiùs hominem pervertit, quàm alter homo.
Oleaster. in Numer. 33.

Consortium pravum declinandum. I. VT sit tibi cum virtute commercium, cave habeas cum virtutis inimici contubernium. Nihil enim homini nocentius, est homine: ideoque nulli tibi magis sunt vitandi, quàm qui sunt pravæ vitæ. Ut homo homini est lupus, sic prauus socius idem est socio, quod avibus viscus, quod piscibus hamus. Qui cum lippis assiduè degit, fit lippus & qui juxta claudum ambulat, discit subclaudicare: serpunt enim ut corporis, sic & animi contagia, & in fidere suâ vicinitate proximos solent. Serpunt vitia, & transiliunt in vicina Nocent non modò contactu, sed conspectu. Minuta quædam animalia, ut sensit Phædon, non sentiuntur cùm mordent. Tumore tantùm morsus indicatur, nullo in ipso tumore, apparente vulnere. Idem accidit in conversatione improborum, qui non videntur nocere, sentiuntur nocuisse Incendent libidines tuas adulterarum consortia. Avarus corruptor, ævus fraudulentus, si prope te sint, mox intra te sunt. Ut quædam ad contactus corporis vitia transiliunt, ita animus mala sua proximis tradit. Lotiosus contubernales in amorem Bacchi traxit, impudicus

pudicus in Veneris retia pellexit. Avaritia in proximos, virus suum transtulit. Junius.

II. Rerum natura sic est, ut quoties bonus conjungitur malo, non ex bono malus fiat melior, sed ex malo bonus fiat deterior. Ante ignem consistens, sis licet ferreus, tandem dissolveris; sic proximus periculo, est proximus exitio. Semper autem est proximum periculum, ubi est malum consortium. Hinc melius est habere malorum odium, quàm consortium; quia facilè fit socius sceleris, cui est societas cum sceleratis. Miraris? vim præcepti obtinet frequenter aspici, frequenter audiri. Malus enim, non tantùm ut mala facias commendat, sed mandat. Qui semper indulget suo genio, si tibi sit victor, paulatim enervat ingenium, emollit animum. Cum illis igitur conversare, vel qui te facturi sunt meliorem, vel quos tu potes facere meliores. Antè circumspiciendum est, cum quibus edas, & bibas, quàm quid edas, aut bibas. Scitè admodum B. Hilarius: *Habemus laqueos in hominibus malæ adhortationis, periculosi exempli, & elicitæ necessitatis, cùm nos ad voluptatem adhortantur.* Vocat loqueos elicitæ necessitatis, quod propter vim potentissimam exempli, & illicium malæ consuetudinis, pereundi propè necessitatem adferant, sceleriſque imitandi. *In Ps. 140.*

III. Sed inter discinctos nepotes, illi ut scopuli remis, veliſque sunt fugiendi, qui dejectis boni pudoris claustris, modestiéque repagulis, non modò in sceleribus delectantur, sed de iis scelerate gloriantur, nudaque fronte planè jam effrontes, sese jactitant, & cùm flagitiosè percaverint, tum se putant quandam turpitudinum palmam consecutos. De illis loquitur, qui olim cum illis loquebatur, S. Augustinus, cùm ait puduisse eos minoris dedecoris, quasi esset decus, commisisse scelus, dedecus, non esse scelestum: tum addit de se. *Fingebam me fecisse, quæ non feceram, ne viderer abjectior, quo eram innocentior, & ne vilior haberer, quo eram castior.* Quid probrosius, quàm ex flagitiorum infamia, aucupari famam, quàm ex facinoribus ingloriis, venari gloriam? Horum proprium est impudenti procacitate, sanctissima quæque irridere, elevare divina judicia, monita sapientum aspernari, odisse monitores, illudere aliorum verecundiæ, damnare Bonitatem, condemnare bonos. Et quoniam placuit semel gnaviter esse impudentes, non jam cuniculis, sed apertis januis omnes intromittunt voluptates, & malè agendi consuetudine, non cursu feruntur in malum, sed impetu ruunt. *Quibus*, ait D. Paulinus, *dulce est quod amarum, & turpe quod castum, & hostile quod sanctum.* De hujusmodi loquitur togæ decus Seneca, quos & locat in fastigio quodam infelicitatis. *Tunc consummata est infelicitas, ubi turpia non solùm delectant, sed placent.* Tales, ne Deo displiceas, *L. 2. Confes. c. 3.* *Epist. 7. ad Sever.*

Junius. non tibi placeant. Quod facies si morem geras suadenti, & canenti Poëtæ,

Illos devita, quos infamat mala vita.

13. DIES IVNII.

Desinit esse remedio locus, ubi quæ fuerunt vitia, mores sunt. *Seneca Epist. 39.*

Consuetudo prava.

I. VEnio tandem ad illud vitium, cui pellendo vix supereſt remedium, ideoque hominem præcipitat in barathrum. Illud est prava in pravis consuetudo. Magnum illius est robur, quod secum trahit quæcunque robusta, quæque secum quandam quasi necessitatem vehit, ideoque vocatur à D. Augustino, *Secunda, & quasi affabricata natura.* Primum igitur, frequentiâ peccandi, potentiis animi vis quædam fit. Unde assuetudine scelerum intellectus circa divina obfuscatur, voluntas enervatur, appetitus distorquetur, libertas constringitur: non amplius singula tam expeditè suo munere funguntur; simillima horologio, quod rotulis ferrugine, aut longo usu exesis, ac vitiosè ambulantibus, ordinem servare non potest. Hinc consuetudo vitiorum ubi semel invaluit, pro imperio est, & legem facit: tardè, & difficulter eruitur, quod altè jactum est. Clavus eò firmiùs inhæret, quò fixus est profundiùs à gravi manu, malleoque. Quisquis à puero exercuerit histrionicam, etiam decrepitus perget ludere, & ineptire, & inter seria jocari. Si quem post cunas, venationis, aucupiique studium tenuerit, etiam canus quoque ludet inter venaticos canes. Nemo à teneris annis assuefacit manus turpi otio, ventrem epulis genialibus, gulam Herculeis poculis, corpus animumque fœmineis deliciis, quem non eadem in devexa ætate suaviter afficiant.

L. 6. de Mas.

II. Argumento sint Hebræi, qui quia Ægyptiorum cibis, ab infantia erant assuefacti; puta non tantùm carnibus, & piscibus, sed leviſſimis quoque eduliis, neque uni fastiditis; peponibus, cæpis porris, alliis, cucumeribus: hinc nauseanti jam stomacho ipsum delicatiſſimum manna desipuit, quod in magnum famis solatium, majus singularis benevolentiæ argumentum, maximum ingentis amoris testimonium, errantibus per desertum 40 ipsis annis quotidie Deus è cælo depluebat. Audi murmurantes. *Anima nostra nauseat super cibo isto leviſſimo.* Itáne verò delicata vobis gula est, ut panis ille, cui cælum furnus, ignis amor, pistor Deus fuit,

Num. 11 4.

nauseam

nauseam faciat? Ille inquam panis, in quem verissimè dixeris omnium ci- Junius.
borum cupædias, deliciasque confluxisse? Sapiebat enim omnia, quorum gustum humana cupiditas desiderabat. Jamq; nihil usquam, usquam regis mensis illatum fuerat ex aviariis, piscinis, culinis, cujus si vellent, delicias non persentisceret vilissimus quisque è plebe agaso: solum, unicumque desiderium fecit, ut manna illud saperet, & electissimos pisces, & omnis generis carnes, gallinas, & pavones, & phasianos, & perdices; denique totum illud, quod sive rarum in cibo, sive pretiosum in condimento, sive artificiosum in coquo, orexin concitare potest. Et erat sanè perjucundum sine magnis impensis, unumquemque in ferculo uno, infinita reperire: in unico manna omnes omnium mensarum lautitias reperire, jamque velut Regem, regiè, hoc est suaviter, pretiosè, dapsiliter supra omnes Heliogabalos, Antonios, Cleopatras, & quidem in victu parabili, unoque pane.

III. Et tamen pulcherrimum hoc ciborum omnium, saporumque compendium, manna, nescio majore insolentiâ, an supercilio, fastidivit Hebræus populus. Nam quoties in mentem venêre pepones, porri, allia, cæpæ; jam hoc præ illis viluit. Consuetudo usque adeò eorum corruperat palatum. Idem nunc multis est ingenium: nauseant divina, fastidiunt cælestia, virtutem excutiunt, pietatem oderunt: sectantur interim humana, expetunt terrena, vitium aucupantur. Et quid hoc aliud est, quàm turpiter à Manna transire ad pepones, & cucumeres? Qui sicut nihil habent soliditatis, ita documentum sunt vanitatis nunquam satiaturæ cor humanum: dum incipiunt malæ illecebræ hominem afficere, jam spectant ad finem, in ipso usu sui pereunt: fluxi sunt pepones, ac cucumeres: nihil conferunt præter lachrymas ex oculis provocatas, & fœtentem ex ore halitum, gravemque totius corporis animum. Cave ergo ne vitia fiant in te mores; opus erit longâ morâ, ut illa semel radicata extirpes. Ut sapias in adulta ætate vir, assuesce à puero contemnere puerilia. Quod ut præstes, illud meditare, quod Poëta est tenui modulatus avenâ:

Quod puer assuescit, senior dimittere nescit.

Junius.

14. DIES IVNII.

Errorem definire, est facilius quàm finire.
S. August. contra Academ. l. 1. c. 4.

Ne cespites in via vitæ, cavendus est error.

I. HIc porrò ut omnibus est communis, ita & cuilibet singularis. Hinc facilius est ejus naturam definiendo exponere, quàm modum finiendo ponere. Ne tamen erres in cogitatione Erroris, hîc nihil est aliud, quàm falsi pro vero approbatio. Quid jam usitatius, quàm errare? Hoc tam est vulgare, ut verè non sit prudentis errantes odisse; alioquin quisque sibi odio erit. Vis videre insignem quem omnes errent errorem? Si omnes omnium terrarum Academiæ, Curiæ, Senatus, Tribunalia, in quibus æquissimi quique, ac prudentissimi concurrerent Judices, Arbitri, Prætores, conspiranti suffragio abjudicarent alicui reo causam, & jam reus criminis convictus, & is quidem stolidè bardus, & insigniter reprobus, unus repugnaret sententiæ omnium, velut iniquæ; cui potiùs assentireris, uni illi ac tantillo, an tot, ac tantis? Cur credis proprio tuo amori, hoc est ipsi errori, potiùs quàm Deo, Angelis, Doctoribus Ecclesiæ, Philosophis Ethnicis, Rationi; imò ipsi tuæ conscientiæ, amorem tui, ut erroris reum accusantibus, & condemnantibus, ea quæ ipse probat, & probantibus quæ improbat? Sic judicare, nunquid est errare?

II. Possetnè fingi gravior error, quàm credere falsum, quod ipsa Veritas judicat verum? quod novem Angelorum chori condemnant ut malum, quod omnes sanæ doctrinæ Professores refellunt ut noxium, quod omnes moralis doctrinæ Magistri refutant ut impium, quod omnes sapientiæ Antistites rejiciunt ut probrosum, quod ratio damnat ut perniciosum, quod conscientia detestatur ut abominandum? Hi omnes quid aliud dicunt, scribunt, docent, clamant, inculcant, quàm amorem tui nocere tibi, non esse illi morem gerendum, esse odio prosequendum: & tu contra hunc torrentem natans, quem omnes condemnant, absolvis, & illum non tantùm omni loco sequeris, sed omni tempore obsequeris: quæ suggerit, excipis ut oracula; quæ suadet, audis ut dogmata. Et hic error eò est exitialior, quia hic Impostor nobis non tantùm est proximus, sed intimus. Quocunque ferimur, nobiscum circumferimus. Atque ita cùm ille sit refertus erroribus, sine feriis, & induciis erramus. Et quod caput est, illud

Digitized by Google

illud eſt noſtri erroris proprium, ut quod nobis diſplicet, etiam Deo diſplicere arbitremur: adeoque errores qui repugnant Chriſti Euangelio, non tantùm non concedamus, ſed quaſi conformes eſſent Euangelio, conſecramus. Sic errores non tantùm committimus, ſed commiſſos defendimus. Junius.

III. Quid non audeat humana temeritas, cùm in ſententiam nefandi præcipitatur erroris, quam relinquere propter vanitatem pudet, & defendere contra veritatem non pudet: Procliviores ſumus, quærere potiùs, quid contra ea reſpondeamus, quæ noſtro obiciunt errori, quàm attendere quàm ſint ſalubria, ut careamus errore. Fateor, *nonnullis errare profuit aliquando, ſed in via pedum, & in via errorum*, ut loquitur D. Auguſtinus. In hac errare, eſt à ſulco & tramite ſalutis deviare. Sed hoc mirandum, imò & deplorandum, cùm adeò uſque homo devitet errorem, ut falli nolit, etiam qui amat fallere; plerique tamen non ſolùm ſibi errent, ſed & aliis erroris cauſa, & auctores ſunt. Si cauſam quæris? hanc accipe: quia ad rumorem componimur: illaque judicamus optima, quæ judicant non optimi, ſed quæ magno aſſenſu recepta ſunt, atque ita non ad rationem, ſed ad ſimilitudinem vivimus. Error gignit errorem. Non enim ibi conſiſtunt exempla, unde cœperunt, ſed quamlibet in tenuem recepta tramitem, latiſſimè evagandi ſibi viam faciunt: & ubi ſemel à recto erratum eſt, in præceps pervenitur. Cave excuſes errorem, quia publicus eſt. Vix cenſetur erraſſe, qui ubi advertit, corrigit errorem. *Enchirid.* c. 17.

Erras ingreſſu? redeas à calle regreſſu.

15. DIES IVNII.

Per os mortalia intrant, exeunt immortalia.

Philo de Opific. mund.

I. NE quæ loquimur mortales, ſint ut nos, mortalia, magna linguæ adhibenda eſt cuſtodia. Per os intrant cibi corruptibiles, mortuorum animalium carnes, adeoque mortalia, proſpiciendum eſt, ut qui inde exeunt ſermones, ſint digni immortalitate. Non ſint, ut monet Epictetus, *de gladiatoribus, non de ludis Circenſibus, non de pugilibus, non de cibis, non de potionibus*; ſeriis nugas, profana divinis, in graviſſimis diſputationibus ſtulta, & puerilia miſcentes. Cave ne de te dicatur, quod Theocritus ajebat de Anaxi- Lingua frœnanda. *Enchirid.* c. 41.

Junius. Anaximenis oratione, qui dicebat eum habere *verborum quidem flumen, ſed mentu gurtam.* Ne ſis ut Graculus garrulus, nec in eodem illo hirundinum muſæo geſtire,& garrire velis. Ne ſis quaſi plenus rimarum,huc atque illuc effluens ; ſed contrà ſto ut pauci, Philologus, non ut multi, Logophilus. Sint ſingula tua verba veluti totidem effata, ſint ſapientiæ pronuntiata, ſint alicujus ſcientiæ axiomata, ſint veluti moralis doctrinæ apophthegmata, ſint velut è tripode effuſa oracula: ſint veluti myſterij alicujus arcana; ſint ſermones digni cedro, & auro. Nihil ex ore prodeat, niſi Euangelium, virtus, cælum, Deus: ſint talia, qualia D. Hieronymus

Epiſt. 99. ſcribit de pia anima, *Cujus canticum Pſalmi, ſermo Euangelium, delitiæ continentia.* Sint hujuſmodi, ut de te dici poſſit,quod de S.Honorato, Hilarius

In funeb. orat. Arelatenſis. *Nunquam in tuo ore niſi Pax,niſi Caſtitas, niſi Pietas,niſi Charitas: nunquam in corde,niſi horum omnium fons,Chriſtus habitavit.*

II. Quia porrò lingua eſt ad lapſum procliviſſima,juxtà,ac lubriciſſima,petulantiæ verborum coërcendæ,vallum natura oppoſuit dentium, ut loquendi temeritas,non cordis tantùm cuſtodiâ, atque vigiliâ cohibeatur, ſed & quibuſdam quaſi excubiis, in ore poſitis ſepiatur. Imò teſte

Catechef. D.Chryſoſtomo, *Idcò Deus linguam velut muro duplici voluit circumdari. Nam dentium tegmine,& labiorum cuſtodiâ continetur, ne verba improvidâ garrulitate proferantur.* Hinc orat coronatus Vates: *Pone Domine cuſtodiam ori meo,*

Pſal 16. 1. *& oſtium circumſtantiæ labiis meis.* Petit à Deo quaſi cohortem præſidiariam, excubias militares, fidos ſatellites ad tuendum os, atque muniendum, ne quid exeat, quod non profit loquenti,vel obſit audienti. Lingua cùm oſſe careat, quo volubilitas ejus ſiſtatur, & nervo, quo adſtringatur, fit ut loquenda nonnunquam taceat,& tacenda ſæpiùs loquatur. Inter tenera tenerrimum, inter inquieta maximè inquietum, inter periculoſa membra

Prov.18. 21. periculoſiſſimum eſt lingua loquax,ut vitæ,& mortis receptaculum. *Mors, & vita in manibus linguæ.* Deus immortalis! Tantumnè theſaurum, quo nullus in terra pretioſior; tantas divitias,quibus nullæ majores; tantumnè bonum,ex omnibus unum unicum, imò omnium bonorum divinitus nobis conceſſorum primum, vitam nempe in linguæ poteſtate ſitam eſſe? Itaque quod janua ædibus,hoc præſtat os hominibus.Quapropter ante os tanquam januam domus noſtræ, ſtat vita ut abeat, & mors ut introeat. Quantum igitur times mortem, quantum optas vitam, tantum æſtima & linguam; quæ ad bonorum optimum,vitam,ad malorum peſſimum,mortem,eſt janua.

III. Quid quòd lingua ſit interpres mentis,ut propterea nihil ſit difficilius quàm cognoſcere ſtultum non loquentem. Quapropter cùm ad

Socra-

Socratem juvenis quidam fuisset adductus, ut in suorum illum gregem reciperet, atque in ejus schola doceretur, & adolescens ille ut peregrinus, & verecundus, loqui apud Magistrum vereretur, *Loquere*, inquit, *amice, ut te cognoscam*, vel ut alij, *Vt te videam, aliquid eloquere*. Non enim ex gestibus quos quis præ se fert, sed ex oratione vel bona, vel mala, quam profert, Socrates hominem vult cognosci. Quia nulla sui parte magis homo qualis sit, faciliùs deprehenditur, quàm sermone. Qualis enim quis fuerit in factis, talis comprobatur in verbis. Cæterùm, multis nimia linguæ licentia, fuit ruina. Quia ut nulla pars corporis ad nocendum promptior, sic nec ulla est ad frœnandum difficilior. Scitè igitur dixit Gellius: *Vtinam muti omnes homines essemus, minus improbitas instrumenti haberet.* Cui accinit Fabius: *Mutos nasci, & egere omni ratione, satius fuisset, quàm providentia munera in mutuam perniciem convertere.* Maneat igitur tibi altâ mente repostum, illud D. Bernardi divino afflatu pronuntiatum oracullum: *Verba bis ad limam, semel ad linguam.* Adeò vera est hæc Poëtæ sententia;

Junius. Gell. 18. Fab. c. 4.

Pauca loqui, sua verba coqui, vult providus: ô qui
Talia consuescit, semper cum laude senescit.

16. DIES IVNII.

Cessetvoluntas propria, & infernus non erit.

S. Bernardus serm. 3. de Resurr.

I. QUis non putaret se conscendisse ad ipsum in hac vita felicitatis fastigium, qui certus esset se post hanc vitam evasurum, non modò tartarum, sed purgatorium. Imò quis nō censeret se digito tangere cælum, qui posset ex rerum natura tollere orcum; & pro suo arbitrio extinguere flammas illas perennes, æternum ardentes in terræ centro, æstuarij? Quantum ad te attinet, quod optas, facere potes abnegatione tuæ voluntatis. Mors propriæ voluntatis, est fons omnis voluptatis. Plus contra tibi officit propria voluntas, quàm omnes junctim inferi, & omnes inferorum dæmones. Quia nulla est vis dæmonis, nisi ab illa adjuta, quæ nobis valeat incommodare. Illa nos hostibus nostris primùm prodit, deinde tradit, denique perdit. Nisi illa repugnaret, malum omnium nullum esset, quod nos turbaret. Illa ipsa denique voluntas tam multiplicium malorum, tormentorumque, quotquot reperiri possunt genera, & classes omnes fabricatur:

Voluntatis propriæ mala.

Junius. catur: tam in hac vita quàm in altera. Nulla est crux, quam non architectatur, nullus qui animum pungit aculeus, quam illa non infigit : Nulla in conscientia est furia, quam illa non immittit; nulla iracundiæ fax, quàm illa non accendit: nullus in corde dolor, quem illa non parit ; nullus in spiritu languor, quem illa non gignit: Nullum denique quod homo patitur malum, cujus illa non sit auctor.

II. Si te non moveant propriæ voluntatis, dum illi obsecundas, mala, moveant quæ producit, dum illi renuntias, bona. Nónne plus est relinquere voluntatem suam, quàm domum, vel agrum? quia plus est se relinquere, quàm sua? At qui reliquit domum, vel agrum, centuplum accipiet. Sic qui relinquit voluntatem suam, ut sequatur divinam, plus centies accipiet, voluptatis, quam illi obsequendo. Si cui Deus eam impertivisset felicitatem, ut quidquid vellet, haberet faciendi potestatem, adeoque quidquid vellet, posset id exequi, & pro libitu consequi, effetque prætereà de hac sua potentia, & fortuna securus: eam tamen existimo, minorem quàm ejus, qui nulla in re vellet connivere suæ voluntati, sed in omnibus Dei causa abnegaret. Ratio in confesso est. Qui suæ indulget voluntati, cùm illa sit humana, nequit frui voluptate aliâ, quàm humana; qui verò Dei se voluntati subjicit, is participabit voluptatem divinam. Ingens homini est gaudium, sequi voluntatem propriam, quæ est fons omnis tristitiæ, quale erit, sequi divinam, quæ origo omnis lætitiæ? Idem est Deo voluntas, & voluptas, quia immensa est Deo voluptas id facere, quod dictat ejus voluntas: quisquis ergo semper sequitur Dei voluntatem, necesse est semper sibi habeat comitem voluptatem: & hanc innoxiam, puram, defœcatam: utpote cujus patria est cœlum, quia ibi nascitur, Pater Deus, quia ab ipso gignitur.

III. In elementis aliud est motus ad locum, aliud quies in loco, in cælo idem est. Lux, & ardor in igne duo sunt, in sole, & stellis idem. Sic voluntas, & lætitia duo sunt, in Deo unum. Quantum ergo tibi est desiderium percipiendæ voluptatis, tantum sit tibi studium adimplendæ divinæ voluntatis. Tunc gaudebis in Domino semper, nunquam mœrebis, quia nunquam non tibi cuncta evenient ex voto. Imò non modò nunquam in quocumque rerum eventu mœrebis, sed semper etiam gaudendo mereberis. Quinam magis circumfluunt delitiis, & exuberanti omnium gaudiorum copia, quam qui in cælis ævo sempiterno fruuntur beati? & quinam tamen minus suæ obsecundant voluntati, aut magis obtemperant divinæ? Tu ergo candidate cælestis gloriæ, & lætitiæ, qui ambis frui cælo, quidni hîc voluntati tuæ renuntias in terra? Prælude ad illam glorjam, abnegando

Digitized by Google

do tuam voluntatem. Tibinè erit in terris seges tristitiæ, quod est beatis in cælo seges immensæ lætitiæ, sequi voluntatem Dei? Eja jam nunc incipe facere, quod facturus es semper per omnem æternitatem, si felicem illam consequaris. In perpetua illa felicitate nunquam exequeris voluntatem tuam, semper divinam: fac hîc aliquando, quod olim facturus es semper. Fac hodie propter Deum, quod gaudebis te fecisse, quamdiu erit Deus. Tua ergo voluntas ejus voluntati in omnibus fasces submittat. Itaque Junius.

Dic, ipse ut velim, nolo, volo, vale.

17. DIES IVNII.

Multi sunt, quos magis puderet in oratione fecisse barbarismum, contra regulam Prisciani, quàm protulisse mendacium in suo sermone, contra regulam Christi. *S. Richard. S. Vict. in Benjam. min. c. 46.*

I. Hic aculeos exero in pudorem planè barbarum, qui non in lingua quidem Tulliana, sed in vita Christiana est maximus barbarismus; & quia despecto Deo, respicit homines, vocatur ab Ascetis: Respectus humanus, qui Dei est despectus prorsus inhumanus; quia cogit abstinere ab eo, quod vel Dei lex imperat, vel ratio suadet, vel officium monet, vel conscientia jubet. Hæc (ut utar verbis S. Chrysostomi) *diabolica timiditas, & satanica reverentia, multos agit in præcipitium.* Qua in re multùm pollet amicitia illa inimicissima; cùm enim amicus urget, ut aut fidem fallat, aut justitiam violet, aut comessantium cætum adeat, & se in vinum ingurgitet: videas illum pudore impudenti, dum offendere timet amicum, non recusare, quo minus offendat Deum, & honestatem prodat; & id facere, quod leges omnes humanæ, & divinæ prohibent. Certè, cùm injusta, & impia flagitantur, non audere negare, est quasi Christum abnegare; & est argumentum humilis, & abjecti animi, & cereæ voluntatis, quam quilibet pro arbitrio suo in partem omnem torqueat, & velut in pompa circumducat. Cùm pudor ille inauspicatus, aditum semel vitio aperuerit; innumeræ deinde fraudes, ac pestes subitò exoriuntur, & noxæ multæ, ut furiæ concitatæ volitant, quæ virtutes omnes labefactent. Respectus humani spernendi. *Serm. 1. de diverf.*

Junius. II. Cùm talis ab amico malæ fidei, atque irreligioso invitabitur; ut diebus festis Christiani hominis officium, & divina mysteria contemnat, jejunium violet, de hominibus Deo sacris, deque cælitibus ipsis, contumeliosissimè loquatur; cùm in furti, aut perjurij societatem vocabitur ad tollendas injustè opes, aut struendam innocenti calumniam; si præsertim qui rogant, aut necessitudine sint conjuncti, quæ pelliciendi vim habet non exiguam, aut potentes, & gratiosi sint apud viros Principes, statim dicto citiùs assentietur. Quid te pudet ea nolle tacere, quæ oporteret te pudere vel cogitare? pereat malus pudor, ne tu malè pereas. Tum maximè pudendum fuit, cùm pudenda faceres, & æternâ ignominiâ vindicanda: pudere autem nunc in maculis eluendis, & concilianda Numinis amicitia, summæ est dementiæ, & præposteræ verecundiæ. Hinc si quis fortè pietatem impiè irrideat, & virtutes Christianas; animo commoventur, remittunt pia proposita, arma innocentiæ deponunt, è corona bonorum operum plurimos sibi avelli, & decuti flores patiuntur. Ob inauspicatam hanc verecundiam, deseritur in templis piè precantium religio; domi modestia; in conviviis, vini moderatio; in sermone, decor; in actionibus, honestas; Sacramentorum laudabilis usus aboletur. Hoc est indignè Christum erubescere, & averti à parentis optimi reverentia, ob linguam è luto, & argilla fictam, & stygio imbutam veneno, & in Deum armatam.

III. Caveamus illa, quæ à Christo traduntur, humanis rationibus oppugnare; ut si remittendis injuriis, prætermittendis voluptatibus, contemnendis divitiis, honoribus, delitiis aditum in cælum aperiri contenderit, non repugnemus, neque illud continuò objiciamus: Quo ore in conspectum hominum prodire audeam, si tantum in existimatione mea vulnus acceperim; si tam insigniter mihi factam injuriam, inultam, impunitamque dimittam? Quid illi homini opus est vita, qui non summam dederit operam, ut semper inter suos procedat, divitiis, & honoribus longiùs? Etenim nullo hic in loco, nullo in numero erit. Non, inquam, his, aut similibus rationibus, Christi dicta refellamus: verùm iis assensionem nostram parati simus præbere, & ingenij nostri fasces submittere: nec assentiendo improbis, Christi doctrinam improbemus, ne fiamus improbi. Simus memores illius, quod Dei instinctu pronuntiavit D. Zenon: *Sine sacrilegio non potes placere sacrilego.* Quisquis placere Deo cupit; impiis displiceat, necesse est. Quid! plurisne tibi erit, ut Deo displiceas, unius homunculi rauca vocula, quàm ut illi placeas, ratio, conscientia, Dei minæ, promissa, sanctorum patrum monita, sapientum consilia, totius cælestis curiæ judicium? Tu times sperni ab homine, qui sæpè est servus peccati,

man-

mancipium diaboli? & non times sperni à Deo? Deus ille gloriæ, & Majestatis, pro te tot probris, & contumeliis affectus est: tu verò ne verbulum ullum pro illo possis pati? sit tibi hoc certum, & fixum, quod monet Poëta: Junius.

Factum factori summo præponere noli.

18. DIES IVNII.

Agrum, si mediocriter colas, possides; si nimiùm, possideris. *Sidonius l. 8. Epist.*

I. PAucissimi sunt, qui ut agros; sic qui ex agris proveniunt fructus, ex fructibus opes possident; plurimi, qui ab illis possidentur. Hic nimius erga seu naturæ fragilia, seu fortunæ futilia bona, affectus; est maximus in Dei obsequio defectus. Non ad illum finem, fictus est homo, ut cogitationes suas humi defixas habeat, ut magnificas villas ædificet; ædes in urbium morem exstruat, refertas signis, atque picturis, Attalicis vestibus, atque conchyliatis peristromatis intus ornatas, auro, argento, & omnibus iis rebus instructas; quibus redundant illi, quos vulgus beatos indigitat; quas ædes, nihil aliud Chrysostomus esse ait, nisi nidos, ex festucis, lutoque confectos. Quis non obstupescat adeò brutas hominum mentes, ut nihil aliud cogitent, inquirant, machinentur, ambiant nisi terram, & quod est de terra? Aliquis noctes, dieque studet struendis opibus, & cumulandis facultatibus: ad quem finem? ut fabricetur sibi sumptuosum domicilium: ubi? in terra, ut comparet sibi latos fundos, & ampla prædia. quo loco? in terra. Ita quidquid mens hominis versat, intellectus cogitat, cor expetit, voluntas diligit; quidquid oculus aspicit, auris percipit, manus palpant, pedes calcant; quidquid totus homo, omnibus & corporis membris, & animæ facultatibus quærit, indagat, explorat, non est nisi terra, vel de terra? Terrena bona despicienda.

II. Unde præclarè Origenes, hujusmodi homines à terra devoratos ait, explicans illud Exodi 15. 12. *Extendisti manum tuam; & devoravit eos terra. An non tibi videtur terra devorare eum, qui nihil, nisi de terra cogitat; qui semper terrenos actus habet? qui de terra loquitur, terram desiderat, pro terra litigat, in terra spem omnem collocat: qui cælum non aspicit, qui futura non cogitat, qui judicium Dei non metuit, nec beata ejus promissa desiderat; sed semper de præsen-* *Hom. 6. in Exod.*

Junius. *tibus cogitat, & terrena suspirat. Talem cùm videris, dicito, quia terra devoravit eum.* Nónne hoc tandem est gnaviter desipere, nil nisi terrena sapere? Quàm sit homo totus quantus, quantus est, ab imis unguiculis, usque ad verticem capitis, terrenus, voluit Deus manifestè innuere, dum jubet Jeremiam, homini sic loqui: *Terra, terra, terra, audi sermonem Domini.* hominem, tertiò vocat terram. Primò, quia de terra ortus: secundò, quia in terra vivit: denique, quia in terram revertetur. Imò Deus volens ostendere, quàm sint omnia bona tempotalia, brevia tempore, quàm exigua spatio, quàm incerta possessione, dixit Ezechieli: *Fili hominis, sume tibi laterem, & pones eum coram te, & describes in eo civitatem Ierusalem.* Quid ais Domine? urbem tam amplam, quæ à Jeremia vocatur ob imperij amplitudinem: *Domina gentium.* ob potestatis magnitudinem: *Princeps provinciarum.* ob ædificiorum ordinem, & splendorem: *Vrbs perfecti decoris.* ob hominum multitudinem, scientiam, sanctimoniam: *Gaudium universæ terræ*, Jerusalem, inquam, & in ea tot splendida palatia, tot sumptuosas ædes, tam amplas plateas, tam sublimes turres, tam excelsos muros, tot amænos hortos, in vilissimi luti portione, in uno latere exprimere?

Ierem 22. 29.

Ezec. 4. 1.

1. Thren. 1.

III. Planè, ut constet omnibus, bona mundi omnia esse tam exilia, & pusilla, ut unius lateris gyro perexiguo possint contineri: sed non tantum bona temporalia sunt vana; sed sunt etiam saluti pernicioſa, animæ periculosa. Olim cum Carolo V. familiariter loquebatur Anthonius Læva, primus ipsius militum: delapso ad res Italiæ sermone, Læva Imperatori facilem, uti rebatur, totius Italiæ subjugandæ rationem demonstrans; ante omnia hos, illos Principes è medio tollendos, inquiens. Cui Cæsar: Quid interim, ac dein Animæ meæ futurum est? Ergo, ait Læva, (cui verè tunc mens erat læva) animam habes? Vade, & imperium abdica: Illud, nempe, innuere volebat, conscientiam, & dominationem non bene inter se convenire. Ecce quot malis nos objiciunt hæc fluxa mundi bona, ut si illis frui velis, vel ut uti possis, necessariùm sit exuere omnem virtutem, animo proscribere pietatem, seponere Dei providentiam, excutere omnem conscientiam, negligere animam. Denique non potes consequi illa fortunæ bona, nisi cum maximo animi infortunio, fias malus. Si ergo sapimus, cavcamus terrena sapere. Ideò esto hoc, viçe oraculi:

De re terrena non sit tibi plena crumena.

Digitized by Google

19. DIES IVNII.

In præceps datis corporibus, nullum sui arbitrium est. *Seneca de Ira l.1.c.7.*

I. NE priveris tuo, quo tibi succurras, arbitrio, cave à præcipitio. Accinit enim Senecæ Tullius: *Qui se præcipitavit, sustinere se, cùm velit, non potest.* Positus in peccandi periculo, proximus es præcipitio. Quantum hoc times, tantum illud cave. In potestate cujusque est, occasioni se offerre; at postquàm illi se obtulit, vix in ejus est potestate, culpam evitare. In mea est potestate, prælium inire; at in mea potestate non est, potiri victoria. In mea potestate est, ingredi mare; sed non est in potestate, evitare periculum, declinare naufragium. Audi, ut sapias Sapientem: *Quasi à facie colubri, fuge peccata.* non tantùm cavendum est, ne incurras morsum, sed conandum, ut fugias etiam tactum: imò non tantum, fugiendum est à contactu, sed etiam à conspectu. Sicut fugiendum est à peccato, quasi à facie colubri: sic multò maximè à facie mulieris, quæ est peccandi, vel occasio, vel causa. Nullus enim tam est corpori noxius coluber; quàm animæ mulier. Quis equus adeò elumbis, & enervis, qui visis equabus, non semel, atque iterum adhinniat? Quis senex adeò effætus; quis juvenis adeò pudicus qui conspectis puellis, non semel suspiret? In rebus voluntariis, virtute præstare aliquem posse non nego: in naturalibus verò, suam quisque imbecillitatem fateatur, necesse est. Non priùs desinet te caro suis illecebris titillare, quàm jacueris in sepulchro cadaver.

Occasio peccandi fugienda. *Cic. Tusc. 4.*

Eccl. 21. 2.

II. Nec quis sibi blandiatur propter ætatem, quia senex est; fænile vetus, difficulter flammam concipit; sed si semel conceperit, difficilius extinguitur. Quis ignorat senes illos, apud Danielem, duos illos fumigantes orci titiones, Veneri auroratos, Asmodæi mali dæmonis emissarios, lenones sævæ libidinis capulares, silicernia impudorata, intempestivos amatores, impuri Cupidinis laternarios, curioso muliebris venustatis obtutu in scelus impulsos, funesto igne haustos fuisse? Itaque illi, qui ætatis beneficio, senectutis privilegio à Venereo amplexu alieniissimi esse debuissent; cùm jam corporis voluptates, post impetum violentum langueścere, & desinere consueverint; cùm ardor sanguinis in adolescentia bullientis defervescat, ut plurimùm: in occasione peccandi, ad luxuriæ motus revocati sunt.

Dan. 13. 11.

Digitized by Google

Junius. ti sunt. Accuratus ille intuitus alieni vultus speciosa forma blandientis, excitavit tenues scintillas, quæ in effætis membris obruebantur, & tantum libidinis æstu n invexit, quantum miramur. Quis adhuc fidat ætati? quis non diffidat suæ imbecillitati? ubi vel unus tantùm radius muliebris venustatis, in oculum curiosum exceptus, sic abripit, & infatuat, & transversum agit, & à Regia virtutum via deflectit, scelere infami, & incomparabili dedecore. De carne nascimur, in carne vivimus, in carne morimur; cavendum ne qui in carne vivimus, carni vivamus, atque ita propter carnem, æternùm moriamur. Itaque ad titillationem carnis, quod attinet, neque juvenibus nimis fidendum, quin & senibus timendum: sed tutissimum in utrisque, ut peccatum effugiant, occasiones peccandi fugiant. Ideò, scilicet, Virgines Vestales intra parietes inclusæ continentur, ut occasiones, quæ in compitis offeruntur, devitent. Non, ut stolidiores amant secessum; sed, ut prudentiores fugiunt congressum.

III. Scitè dicebat quidam, nolle se cum adversariis altercari, ne excederet modum: facilius enim, inquit, est, continere se à pugna, quàm in pugna. Eadem ratio monet vitandam occasionem crapulæ: facilius enim est, continere se à mensa, quàm in mensa. Ita pronius est, animum continere à voluptatibus, quàm in voluptatibus. Facile est, non intrare in chorum tripudiantium; sed ubi intraveris, & tibi tripudiandum erit. *Qui amat periculum, in illo peribit. Periculum*, dictum est à *pereundo*, quia in eo quis facilè perit: Ergo si times perire, fuge periculum; quia in eo invenies, unde pereas. Iterum in verbo *Discrimen*, includitur *Crimen*: itaque fuge discrimen, & effugies crimen. Sic affinia sunt voce, hæc duo verba, occasio, & occasus; quia occasio peccati, sæpè est occasus peccatoris. Attalus Philosophus, cùm Spartæ viveret, quæ à fluvio interfluente in duas partes dividitur, nunquam flumen voluit transire, dicens; terram productam fuisse hominibus, aërem volatilibus, aquam piscibus: cùm pisces, & aves se in terram contulerint; & ego aquæ me immiscebo. Ne pereas in mari, evites pericula maris. Est vetus adagium: *Præstat esse pauperem in terra, quàm divitem in mari.* Noli tuam virtutem periclitari in periculo. Est & illud ut vetustum, sic & venustum proverbium: *Felicissimus tesserarum jactus est, eas non jacere.* Jacis aleam, quoties peccandi periculo exponis animam: sæpè dum talis jacitur alea, jacet anima. Nulli hîc probrosa est fuga, quia fugiendo acquiritur palma: si enim occasionem peccandi fugis, peccata fugas. Nimirum:

Hunc fugiendo fuga, quem fuga sola fugat.

20. DIES IVNII.

Maxima est factæ injuriæ pœna, fecisse.
Seneca l. 3. de ira c. 26.

I. NUllus unquam foret injurius in eum, qui fecit injuriam, si maturè expendat hujus diei tesseram. Quid aliud intendis, dum inimici vis injuriam ulcisci, quàm ut tibi det pœnas? jam dedit, dum injuriam fecit: injuriam irrogasse, non tantum est culpa, sed pœna; nulla enim infertur injuria, sine scelere; at commisisse scelus, supplicium est scelerati. Videte quò, ni frænes, progrediatur ulciscendi cupiditas. Cùm Pausanias, Philippum, patrem Alexandri Magni letali vulnere consauciasset; Alexander superveniens facinori, Pausaniam comprehensum trahi jussit ad parentem adhuc spirantem; & gladium in manum patris immisit, & manu suâ manum patris impellens, occidit Pausaniam: quo facto, ait Philippus, libenter morior nunc, quia ultus sum injuriam inimici; & his dictis, expiravit. At nostrum odium sæpè latiùs se explicat. Quot reperiuntur, qui malunt perire æternùm potiùs, quàm non ulcisci inimicum? Multorum vox est: Peream, modò perimam, semper ardeam, modò ulciscendi ardorem semel expleam. Juvat omnia mala perenniter pati; modò liceat injuriam ulcisci. Hoc qui cogitat, & sic loquitur, nunquid satis à se plectitur? Injuriæ remittendæ inimicis. *In spec. Histor. l. 4. c. 6. 19.*

II. Ulcisci vis injuriam? males, credo, ulcisci gladio integro, & acuto quàm trunco, & hebeti. Vult & Deus te odio prosequi inimicum, & quasi gladio confodere, sed gladio, & odio perfecto, exemplo Davidis: *Perfecto odio oderam illos.* Quod est hoc perfectum odium? est Amor imperfectus, & odium imperfectum. Imperfectus amor est, qui Cupido vocatur: verè imperfectus; quia & puer est, & cæcus. Sic datur odium, quod & puer est, & cæcum, quia sine oculis mentis. Unde & dictum à quopiam, & venustè; quòd duo cæci, & duo monoculi, orbem regant, & sursum, ac deorsum agitent: duo cæci sunt, Amor, & Odium: duo monoculi sunt, Orbis Solis, & Orbis Lunæ; qui dati sunt in potestatem diei, & in potestatem noctis, & cùm unum singuli oculum habeant, sunt monoculi. Vult ergo Deus, ut odio non diminuto, puerili, imperfecto; sed integro, sapiente, & vidente, inimicum prosequaris. Uti enim Amor imperfectus, quia puer est, & cæcus, nequit tela sua immittere in destinatum sco- *Psal. 130.*

Junius. pum, sed ab eo plerumque aberrat : ita & hoc evenit odio imperfecto; cùm enim læsus sit ab iniquitate inimici, ut tangat scopum, debet jaculari sua tela non in hominem iniquum, sed in ejus iniquitatem : sed cùm ejus odium sit cæcum, non peccatum, sed peccatorem odit. Fuerat olim quidam à Rege Galliæ ad mortem damnatus: post hæc, ipse præsente Rege, pomum capiti filij sui impositum, inde, bene dissitus, jaculo confixit, illæso filio : Rex artem tantam admirans, eum morte absolvit. Ita si odium tuum sit perfectum, & in jaculando tam dexterum, ut telo iræ tangat solùm iniquitatem hominis, illæso homine; absolvet te Deus à peccato tuo : quia si dimittas, & tibi dimittetur.

III. *Benefacite iis, qui oderunt vos*, est consilium illius, qui est magni consilij Angelus: Hoc qui exequitur, est arbor bona, onusta fructibus, quam si lapidibus impetas, vel ramos ejus fustibus percutias; pro injuria demittit tibi fructus: sic tu eum, qui te afficit injuriis, affice beneficiis; qui te onerat contumeliis, honora laudibus; qui tibi infert infamiam, refer gratiam. Joannes fundator Ordinis Fratrum Charitatis, cùm quis eum sarcasmis, & calumniis insectaretur, pro more habebat dicere : *Dabo tibi duo talenta, hâc conditione, ut ea omnia proclames altâ voce in platea.* Prudens mercator, qui contumelias, quasi sumptuosissimas gemmas, volebat etiam ingenti pretio nundinari : nolebat quemquam gratis sibi calumniari, tam erant illi calumniæ gratæ. Eidem, solenne erat dicere inimicis suis : *Frater serius, ocyus oportet necessariò me tibi ignoscere ; præstat, id jam faciam.* Interpretabatur se sibi futurum injurium, nisi statim ignosceret facienti injuriam. Et tu, quisquis hæc legis, statim ablega animo, omne odium; & jam nunc sine omni morâ fac, quod optabis te feciſſe noviſſimâ horâ: fac modò ex virtute, quod facere te aliquando oportebit ex necessitate. Alterutrum tibi ex his eligendum est ; vel te perdere, vel inimico parcere. Imitare Gismundum Imperatorem, quem cùm quidam carperent, eò quòd inimicis dignis interfici parceret. Quibus ille: *Inimicis non parco, sed interficio ; quia ex inimicis reddo amicos.* Dum quis occisus est ; verè de illo dicitur ; non amplius est. Id verùm est dicere de inimico tuo, quem tibi reddidisti amicum: Inimicus tuus modò non est, igitur jam obiit, ideò eum interfeciſti. Si ergo juvat mactare, macte, beneficiis macta; & omnis inimicitia tibi cadet victima: quia tunc viciſti, dum pepercisti. Noli igitur irasci inimico tibi irascenti. nam

Iras injustas Dominus non linquit inultas.

Digitized by Google

21. DIES IVNII.

Amor, est otiosorum negotium. *Cato Major.*

I. AMor, est morum instructor. Ut igitur rectè excolas mores; vide, quo tui ferantur amores. Quanta igitur adhibenda diligentia, ut prudenter seligat, quod utiliter diligat. Qualis enim fuerit amor, quo flagras; talis erit & vita, quam agis. Qui bene amarit, bene vivet: qui verò bene vixerit, bene etiam amabit: adeò ut si malè collocatus sit amor; totum etiam vitæ tempus malè collocetur. Amor novus, qui in ætatis vere, ex recenti pullulat sanguine, venenum est. quod subitò per venas manat; aconitum est, quod viscera confestim penetrat; spasmus, quo membra subitò tropescunt; angina, quæ cor statim strangulat; bonæ denique mentis est pestis, & interitus. Quid dicam? nescio, etiamsi quod dicere volo, sentiam. Nemo enim amorem habet in ore; quin dolorem percipiat in corde, quia ubi amor, ibi amaror. Ovidius tantus amandi Magister, ut scripserit librum de arte amandi, dicit: Est Amor, nescio quid; venit, nescio unde; immittitur, nescio à quo; nascitur, nescio quomodo; capitur, nescio quibus; sentitur, nescio quando; interimit, quamobrem. Amor carnis, est odium mentis.

II. Si libido est, cognoscere, quid sit Amor, aspice ejus lineamenta, ab Epicteto expressa: *Amor est otiosi pectoris molestia; in puero pudor, in virgine rubor, in fœmina furor, in juvene ardor; in sene risus.* Romani, olim templum Veneri dicârunt, via Salaria, cum inscriptione hac: *Veneri verticordiæ*; indicantes amorem Venereum, corda quoquo libuerit vertere, invertere, pervertere. *Averterunt mulieres cor ejus*: Cujus? O pudor! illius, qui erat ob sapientiam, mundi oraculum. Cujus? O dolor! qui erat ob scientiam, doctrinæ prodigium; Salomonis, inquam, qui ita sapuit, ut per excellentiam, vocetur Sapiens. Factus est amando sic amens, ac si nulla in eo foret mens: evasit vecors, & excors, per Venerem Verticordiam. Vin illius Verticordiæ Veneris, aliud stratagema? Galeatius Mantuanus, inter primos sui sæculi Heroës, cùm fortè puellam, quam deperibat, in ponte obviam haberet, illa joci gratiâ: Quin tu, inquit, bellissime amator, qui tantum tibi in acie places, è ponte in amnem amoris gratiâ desilis? Ille cum equo statim se præcipitem dedit, quo exanimato, vix natando è Ticino emersit. Nónne averterat mulier una cor ejus? quid fuit aliud, ob unius sordidulæ puellæ vocem, sic de ponte desilire, quàm extremam insaniam insanire? Quàm 3. *Reg.* 11.

Junius. prudenter dixit Cato: Amorem, esse otiosorum negotium, quia hic affectus, potissimùm occupat otio deditos: ita fit, ut dum otio vacant, in rem negotiosissimam incidant, illud enim otium, magnum illis facessit negotium.

III. Hoc unum sit tibi, contra morbum hunc periculosissimum, remedium; ut nunquam incipias amare. Incipies desipere; si incipias malè diligere. Tam mala bestia est amor, ut tenui filo capi, & ligari se sinat, ut nullis postea armis, aut machinis abigi possit. Hic illud verum est: *Ægriùs ejicitur, quam non admittitur hospes.* Canem caudâ, lupum auribus tenere laboriosum; dimittere periculosum est. Sic impudicum amorem facilè in cor induxeris; sed non tam facilè ejeceris. Hamus est amor, qui capit, dum capitur. Vide igitur, cum quibus tibi sit commercium. Talos quidem in manu, & potestate habet lusor, sed jactus admodùm est incertus. Deinde subtrahe huic igni, ne ardeat, ligna; illa ingerunt, Bacchus, & Ceres, sive ventris ingluvies. Rectè Comicus Poëta: *Sine Cerere, & Baccho, friget Venus*: Ergo ne in te Venus ardeat, ut frigeat, sæpè venter esuriat, guttur sitiat. Ebrietatis pedissequa, semper est luxuria. Ut homini cicuta est venenum; ita & lijæum. Bacchi fervorem, lymphâ temperandum, monent Sapientes. Et alius, primum poculum, ait, esse necessitatis: secundum, hilaritatis; tertium, voluptatis; quartum, furoris. Deinde sæpè cum otio tecum expende damna, quæ amor infert amanti, nihil aliud, quàm corpori imbecillitatem, labem famæ, facultatibus detrimentum, vitæ exitium, proximo scandalum, & tandem animæ æternum exitium. Sed & in hac pugna, opus est fuga. Fuge mulieris faciem, quasi animi facem: illius vultus tibi erit vulnus. In hac re locum habet illud adagium, in servitute amoris: *Aut servi, tanquam servus; aut fuge tanquam cervus*, ut possis dicere: *Posuisti pedes meos, quasi cervorum.* A vero igitur non aberrat hoc Metrum:

Ps 17. 34.

Si renum cupis incolumem servare salutem:
Sirenum cantus effuge, sanus eris.

22. DIES IVNII.

Omnia illa, quæ hîc erant magna, modò ſunt nulla.
Eucharius de contemp. mundi.

I. ECce hîc, quò vergunt omnes, quos ſubis labores? quibus te exponis, pericula? quibus te fatigas, vigilas? quas fundis, lachrymas? quæ devoras, tædia? quæ perfers, faſtidia? quas pateris, moleſtias? ut, ſcilicet, acquiras illa, quæ in hac vita hoc eſt momento, ſunt magna; & ideò magni fiunt, ac deinde poſt vitam, id eſt, totâ æternitate, erunt nulla. Sed proderit totam de rerum inanitate audire, & expendere Eucherij orationem: *Vidimus nuper viros honore conſpicuos, celſarum dignitatum inſediſſe faſtigiis, & diffuſo uſquequaque cenſu per orbem patrimonia diffudiſſe. Cupiditates ſucceſſibus vicerant rebus vota tranſvolaverant, ſed privatas tantùm felicitates revolvo. Reges ipſi, magno ſublimes imperio, auro, gemmiſq; fulſerant. Horum tegmina (mirum dictu) textis irradiabant metallis; diadema, diſtinctis intermicabat ardoribus; ſplendebat inſtructa Palatinis aula cultibus, auratiſq; trabibus tecta rutilabant; eorum voluntates, jura hominum, eorum verba leges appellabantur, &c. Ecce eorum ambitus nuſquàm eſt: affluentiſſima quoque opes abierunt; tranſierunt ipſi tantarum opum Domini. Recentium, inclytorumq; regnorum, apud nos jam quædam fabula eſt.* & tandem hæc omnia obſignat his aureis verbis: *Omnia illa, quæ hîc erant magna; modò ſunt nulla.* Vanitas omnium rerum.

II. O filij terræ! ô diſcipuli vanitatis! ô inſani coſmophili! Nónne experientia magiſtra intelligitis evolare tempus, alis non vibratis; fugere vitam, pedibus non ſublatis; digladiari fortunam, brachiis non commotis; commeatum petere mundum, ne verbo quidem prolato: homines nos decipere immobilibus labiis; conſumi carnem, nemine animadvertente; emori cor, nullis adjutum remediis: denique gloriam noſtram, ac ſi nunquam fuiſſet, tranſire; mortemque nobis, ne pulſatis quidem foribus, inſultare? Sed ſi mihi dicenti non credis; illi ſaltem adhibe fidem, cui omnem adhibuit conatum; ut omnes mundi voluptates, non primariis tantùm labris deguſtaret; ſed in eas ſe totum ingurgitaret. Hîc fuit M. Aurelius Imperator; ſic ipſe jam moriens: *O munde! ut nihil aliud es, quàm mundus? Annus hic eſt quinquageſimus ſecundus, ex quo naſcentem me accepiſti; quo toto tempore, ne ſemel quidem ex te veritatem audivi; & in decies mille men-*

Junius. *daciù te deprehendi : nunquam à te quidpiam petij, quin promiſeris ; nunquam mihi promiſiſti, quod dederis ; nunquam tecum commercij quidquam habui, quin deceptus ſim ; nunquam ſocietatem tecum inij, quin perierim : denique nihil unquam in te, cur amandus eſſes vidi, & quidquid in te videbam, dignum erat odio.*

III. Hæc non ruſticus, ex agro ; nec agricola, è tugurio ; nec miles, è diverſorio ; nec plebeius, è trivio ; nec bubulcus, ex hara ; ſed Imperator ex aula. Itaque quantumvis vel rudis, vel demens, negare nemo poterit ; fieri non poſſe, ut in maris profundo ignis accendatur ; ut in præcipitiis altiſſimis, via æqua ſternatur ; ut ex ſanguine tenui nervi, ex venis teneris oſſa fiant : Ita nec fieri poteſt, ut viridis inventæ flos, ſenectutis ævo non aliquando defloreſcat, & mundi bona peritura cum tempore non pereant, & tempus ipſum omne in æternitatis mare non devolvatur. Unde nihil difficilius eſt, quàm inter bona peritura, non perire. Sed hîc ſeriò expendant illi, qui noctes, dieſque ſtudent ſtruendis opibus, ac cumulandis divitiis. Quibus tandem illa relinquent ? patet id ex verbis Davidis : *Relinquent alienis divitias ſuas, & ſepulchra eorum, domus eorum in æternum.* Attende quid tu illis ; quid illi tibi relinquant. Tu illis relinquis tot laboribus, tantas congeſtas opes : ipſi tibi relinquent aliquot, quibus tegaris, ceſpites. Tu illis relinquis tot ſilvas, arbores, tigna, ligna : illi tibi relinquent quatuor, quibus claudaris, aſſeres. Tu illis relinquis tantam ſupellectilem veſtium, ex cocco & purpura & byſſo : ipſi tibi relinquent ſepulchralem, quâ involvaris, ſindonem. Tu illis relinquis tot amplos fundos, tot fertiles agros, tot pingua paſcua, tot ampla prædia : illi tibi relinquent quatuor ulnarum ſub terra ſpecus, cæcum telluris, ubi computreſcas antrum. Claudo cum Poëta :

Pſ. 43. 11.

Dic homo, quid ſperes ? qui mundo totus adhæres ?
Tecum nulla feres, licet omnia ſolus haberes.

23. DIES IVNII.

Hominibus contra Deum credunt, qui Deo contra homines non credunt. *S. Cyprianus ſerm. 5.*

Mundi perfidia. I. MUndum eſſe vanum, & omnia, quæ ſunt mundi, eſſe vaniſſima ; & homines, qui ea ſectantur, eſſe ipſiſſimam vanitatem, clamat ſexcentis locis, æterna Veritas, in ſuis paginis : & tamen hominibus, qui contra

tra Deum afferentibus facillimè; Deo contra homines atteſtanti difficillimè credimus. Quid in mundo ineſt, vel mundi cultoribus deeſt; quod licet eos oderit, eum odiſſe nequeant, licet increpet, diſſimulent: licet calcibus feriat, tolerent; etſi fuſtibus eos contundat, ſilentio ferant; etiamſi illos perſequatur, non querantur: licet bona illorum eripiat, tamen non repetant; & ut fraude eos circumveniat, fraudem tamen appellare nolint; & quod peſſimum, cùm è ſua eos domo pellat, tamen exire recuſant. Sic mundum, qui nos perſequitur, ſequimur; qui nos averſatur, ſectamur; qui nos decipit, credimus; & Deum, qui nos quærit, fugimus; qui nos amat, averſamur; qui nos tuetur, odimus. Pulchrè poſtquam mundum fuerat ſectatus, & mundi perfidiam expertus, D. Auguſtinus de mundo: *O munde immunde, in te habitare, & non dolere, eſt impoßibile! O munde proditor! væ, qui tibi credit! beatus, qui tibi reſiſtit; beatior, qui à te illæſus recedit, &c. Divitiæ tuæ promittunt ſecuritatem, & dant timorem; ſatietatem, & dant eſuriem; ſtabilitatem, & dant ſubitam defectionem.*

Junius.

Ad frat. in erem. ſerm. 31.

II. Sed licet tam ſit perfidus mundus; infinities tamen major eſt noſtra amentia, quàm ejus perfidia. Quis non obſtupeſcat brutas hominum mentes, quod nulla propoſita emolumenti ſpe; cùm per pontem ingredi liceat, vadum quærentes circumimus: cùm via ſicca ſit, per paludes imus; cùm ad manum ſint epulæ ſalutares, venenum quærimus lethiferum; interitu gaudemus, cùm ſervari valeamus; denique nullo propoſito lucro, culpam admittimus, licet pœnam ejus comitem eſſe videamus. Summâ uti vigilantiâ viros prudentes decet; ut videant, quid agant; examinent, quid loquatur; ponderent, quid ſuſcipiant; ſpectent, cui ſe adjungant; & in primis cognoſcant, cui ſe committant. Adeò quippe debilis eſt intelligentia noſtra; ut ad nos decipiendos unus ſufficiat, ad nos errore liberandos etiam decies milleni nihil poſſint. Tanta & mundi, de fallendis; & carnis, de ineſcandis; & dæmonis, de fallendi; nobis eſt ſolicitudo; ut licet anguſtiſſima ſit via, ſemita confragoſa, iter longinquum, vita brevis; tamen nunquam non corpora noſtra, vitiis onerata, nunquam non corda curis referta ſint. O intolerabilem vitam humanam? in qua tot inſunt ſcelera, à quibus cavere debeamus; tot pericula, quæ fugiamus; tam multa, in nobis ipſis, quæ conſideremus; ut tum demum & illam, & nos ipſos agnoſcamus, cùm ex vita exeundi hora noviſſima appropinquat.

III. Si quid ergo in te eſt fidei Chriſtianæ; cave fidas mundo, cui nulla eſt fides; cui proprium eſt, ſub auro tenuiſſimo multam abſcondere æruginem; ſub veritatis colore, mille nos onerare mendaciis; brevi voluptati, myriadem miſcere dolorum; quibus maximam oſtendit benevolentiam.

Junius. lentiam, eos citiùs inducere in discipulam: quanto plus bonorum suorum donat; tanto majora inferre damna: joco sibi servientibus sævam mercedem seriò reddere; & à quibus seriò amatur, iis bona ludrica dare: denique ex somno securissimo, cum maximo nos expergefacere periculo. Tu quidem subdolas mundi strophas, & technas vel nosti, vel ignoras; tametsi ignorare quì potes? si non nosti, cur ei servis? si nosti, cur ei credis? An non dementem judicares furem, qui restim emeret, quâ strangularetur; aut homicidam, qui gladium fabricaret, quo jugularetur; aut prædonem, qui puteum ostenderet, quo mergeretur; aut proditorem, qui in forum sponte prodiret, ubi in quatuor partes laniaretur; aut seditionis auctorem, qui suo se judicio proderet, ut lapidaretur? Sed his omnibus tu longè es stultior, qui si mundum noris, mundo credis. Verè angustus tibi est animus, quem delectat mundus, cùm in eo nihil sit, nisi dolus. Magna servitus est, magna in mundo fortuna, imò maximum infortunium. Nam citò omnis ejus voluptas nos relinquit, quæ fluit, & è manibus vix tacta effluit; penè antequàm venit, perit. Et fueris felix, res est inquieta, felicitas: nam misera est magni custodia census; nec amittitur, nisi cum gravissimo animi sensu. Igitur facessant opes, quia facessunt opus. Admoneo cum Poëta, aurem, si sapias, arrige admonenti:

Quisquis amas mundum, tibi prospice, quo sit eundum:
Hæc via, qua vadis, via pessima, plenaq; cladis.

24. DIES IVNII.

Vix tota vita sufficit; ut hoc unum discas, vitam contemnere. *Seneca Epist.* 111.

Vita spernenda. I. ILla demùm extrema est hominis seu cæcitas, seu calamitas; illud maximi facere, quod oporteret maximè spernere, vitam. Nemo nostrûm in hac vita mortali, se putat mortalem. Cùm igitur videant homines vivendi perpetuitatem sibi denegatam, variis modis eam sibi comparare satagunt. Tota penè vita consumitur in procuranda nominis fama, post vitam. Druso Germanicus pro more habebat, tunc potissimùm, cùm educendus in expeditionem exercitus esset; omnium virorum illustrium, qui in Italia erant, monumenta visere. Rogatus, cur id faceret, respondit: Ideò se monumenta visitare Scipionum, aliorumque Heroum jam defunctorum;

Digitized by Google

rum; ad quorum, dum in vivis erant, tota contremiscebat terra; ut prosperam illorum fortunam considerans, fortitudinem audaciamque compararet. Et addebat; vehementer animum ad cædendos hostes incitari, dum quis sui memoriam futuris sæculis, se relicturum cogitat. Nimirum spes posteritatis, cogit magnanimos in quævis pericula, sine periculi metu sese induere. Est enim virtutis uberrimum alimentum, honos. Nam ornamentis honorum incitatur imitatio; & virtus æmula alitur exemplo honoris alieni. Junius.

II. Prisci illi Ethnici; cùm neque inferos timerent, neque cæli gloriam sperarent; ex imbecillitate, robur; ex pusillamitate, audaciam; ex timore, fortitudinem; ex periculo, confidentiam; ex inimicis, amicos; ex inopia, tolerantiam; ex aliorum astutia, experientiam comparabant, tantùm ut memoriam sui nonnullam inter mortuos relinquerent; & parumper inter vivos gloriæ consequerentur. Quid Ninum impulit, ut bella inveniret? Semiramim, ut tanta extrueret ædificia? Ulyssem, ut tot enavigaret maria? Alexandrum Magnum, ut tot Regiones peragraret? C. Cæsarem, ut justo quinquagies bis prælio certaret? Annibalem, ut bellum tam crudele Romanis inferret? Attilam, ut totam impugnaret Europam? Profectò non ideò res tam arduas suscepêre, ut à coætaneis tantùm celebrarentur; sed ut ea, quæ dicimus, qui nunc vivimus, diceremus: Nimirum, honestus ambitus est, quos sequimur tempore, velle præconiis anteire. Clarorum virorum famam præcedentia pericula extollunt; quæ profectò delitescit, nisi ubi probetur, invenerit. Præstantis viri est, vivum placere velle; mortuum etiam laudari. Cùm porrò immortalis nominis semita non sit, nisi per pericula: hinc vile corpus est illis, qui magnam gloriam petunt. Omnes enim viri fortes, qui in exemplum prædicantur; ærumnis suis, inclyti floruerunt.

III. Sed cùm Auctor naturæ circumscripserit nobis curriculum exiguum vitæ; sed immensum gloriæ, cur illud, quod tam exiguum est, præ eo, quod immensum est, non contemnimus? Incutiat nobis pudorem; & exprimat è vultu ruborem, Ethnicus Imperator M. Marcellus, qui primus tergum Hannibalis in acie vidit; qui rogatus, cur adeò foret audax in committendo prælio? cur ita in conflictu confidens esset? respondit: *Ego, amice, Romanus sum, & Dux Romanorum; itaque singulis, me, diebus decet caput discrimini objicere.* Si hoc dixerit Ethnicus, quid Catholicus? si Romanus, quid Christianus? memineris te stipendia facere sub Aquilis Christi. Dic ergo: Christianus sum, ideoque hæc vita caduca, præ æterna, sicut est in se spatio brevis, ita & mihi pretio vilis, illam pro Christo non tantùm sper-

Junius. nere; sed & perdere, mihi est ingens lucrum. Quis vitam hanc æstimet, cùm in ea minui necesse sit, quidquid fine jam proximo in occidua, & extrema devergat: sive viride, sive maturum, sive putre, sive decerptum, sive excussum; necesse tandem est, vitæ hujus pomum à carnis miseræ arbore avelli. Etsi enim mori, naturale est; tamen sæpè nos in foliis, aut floribus juventæ, morbi pruina, aut calamitatis grando aufert; ut cùm vivos nos è strato surrecturos remur, in æternam claudamus lumina noctem. Laboriosa, sumptuosa, inextricabilis, & prolixa textu, est tela, hæc vitâ: sed ut multis diebus detexitur; ita puncto temporis abrumpitur. Hæc sententia mundo data est ut omnia orta occidant, & aucta senescant. Nónne prudenter interrogat Poëta?

Quid prodest homini, si vivat sæcula centum?
Cùm moritur, vitam transire putat, quasi ventum.

25. DIES IVNII.

Æquo animo toleres, oportet, quicquid intra fortunæ aream geritur; cùm semel jugo ejus colla submiseris. *Boëtius 2. conf. 1.*

Fortunæ inconstantia. I. DEscende hîc tacitâ cogitatione in tumultuosam cuncta miscentis fortunæ aream; ut insolentes ejus ludos, quibus nobiscum colludendo illudit nobis, contempleris. In hac arena quot propè censa fuerunt Heroum capita; tot spectabis ingloria funera. Hæc est, quæ muros excelsos oppugnat, & parietinas defendit; quæ deserta inhabitata frequentat, & populos frequentes affligit; quæ victores vincit; quæ ex proditoribus, fideles; ex fidelibus, suspectos facit; quæ denique instar pilæ datariæ, regna sursum, deorsum volvit; exercitus profligat, Reges dejicit, tyrannos evehit. Nihil inausum fortunæ: adversus imperia, idem habet juris, quod adversus imperantes. Firmissima fortunæ certitudo in incerto est. Mirum fuit illud symbolum, quod secundus Spartanorum Rex portæ suæ inscripserat, his verbis: *Hæc domus est, ubi homo facit, quod potest; fortuna, quod vult.* Verba digna non tam scribi in portis, quàm inscribi fibris. Noverat ille fortunam, qui se depositarium, non proprietarium statuebat. Quoties aliquid perdiderat; non suum sibi eripi, sed depositum existimabat repeti. Itaque si sapimus, quidquid à fortuna datum est, tanquam extemplò abiturum

rum poſſideamus. Quod alteri tantum eſt conceſſum; id repetendi copia eſt, dum velis. Nam jure ſuo, qui utitur, nemini injuriam facit. Ille ſolus à fortunæ inſultu tutus eſt, qui in ſepulchri ſeſe arcem recipit. Junius.

II. Ut ſemper tutus ſis, nunquam eſto ſecurus. Nam incertitudo futuri temporis, non ſinit ſecuros eſſe, vel audaciſſimos. Magni enim caſus, parvis ſæpè momentis intercedunt. Hæc ſumma eſt noſtra miſeria, nos cùm in conſpectu mala habeamus, ea non agnoſcere; cùm manibus palpemus, non ſentire; cùm auribus ingerantur, non audire; cùm clamor hinc inde perſonet, non intelligere; cùm in dies moneamur, non credere. Tum demum intelligimus periculum, dum morbus nullum admittit remedium. Nihil tam leve, quod non magnæ interdum rei momentum facit. Nam ut conſtat experientiâ: aurulâ vel tenuiſſimâ poma decutiuntur; ſcintillâ vel minimâ deflagrat ſylva; in ſcopulum exiguum illiſa navis dehiſcit; in lapidem parvum pes impingit; hamo exiguo magnus piſcis capitur; vulnere leviſſimo vir magnus moritur. Hinc patet adeò vitam noſtram eſſe fragilem; adeò in vita fortunam eſſe ancipitem; ut quâ parte, nulla erat ſuſpicio; eâ ingruat perditio. Adrianus Imperator annulum in digito gerebat, cui inſculpta erat hæc ſententia Senecæ: *Illis gravis eſt fortuna, quibus eſt repentina.* Hoc eſt, facile ſuſtinere fortunam poteſt, qui ſemper expectat. Illud enim exploratum eſt, in ſyrtibus, non in altis undis formidare nautam; ab inſidiis occultis diligentiùs ſibi bonum bellatorem, quàm à prælio cavere aperto. Ita virum prudentem cavere ſibi decet non ab exteris, ſed à domeſticis; non ab hoſtibus, ſed ab amicis; non à bello aſpero, ſed à pace ſimulata; non à damno manifeſto, ſed à periculo occulto. Quapropter ſemper tuta time; quia in maximo eſt periculo, qui negligit periculum. *C. ſ. ad Helmam.*

III. Quòd ſi igitur fortunæ tibi nota eſt indoles; nec turbines moleſtiarum ejus time; nec fulgura, & tonitrua expaveſce; nec ſerenitati deliciarum ejus crede; nec blandimentis ſuaviſſimis fide; nec voluptatem ex iis, quæ tribuit; nec dolorem ex iis, quæ eripit, capias; nec inde, quod tibi faveat; nec quod te repudiet, doleas. Nulli fortunæ minus, quàm optimæ creditur. Quiſquis beatus eſt, verſâ fortunæ rotâ, ante veſperum poteſt eſſe miſerrimus. Illud tibi certò perſuade, eam vitæ partem periculoſiſſimam eſſe, quam incuria ſecuriſſimam facit. Quæris exempla? Agamemnon magnus Græcorum Dux, toto belli Troiani decennio non periclitatus; tandem domi ſuæ noctu trucidatus eſt. Alexander ille invictus, in expeditione Aſiatica, & Indica non perit; & Babylone mox veneni hauſtu exiguo perimitur. Julius Cæſar ille magnanimus, quinquaginta duobus

Junius. prælis vinci non potuit; & tribus, ac viginti plagis in Curia confoſſus eſt. Heu quanta, poſt tantam felicitatem calamitas! quæ ignominia, poſt tantam gloriam! quod periculum, poſt tantam ſecuritatem! quod infortunium, poſt tantam proſperitatem! quàm miſera, & obſcura nox, poſt tam ſerenum diem! quàm malum, poſt tam longum iter, diverſorium! quàm aſpera, poſt litem tam pertinacem, ſententia! quàm abſona, tam bono vitæ principio, mors! Denique rarò quiſquam erga ſua bona ſatis cautus eſt. Eadem in alterutro mutabilitas, nec formidandas fortunæ minas, nec exoptandas facit eſſe blanditias. Denique ſtat hæc mea ſententia:

Rebus tranquillis, metuas adverſa ſubillis.

26. DIES IVNII.

Nulla tam modeſta felicitas eſt, quæ malignantis dentes vitare poſsit. *Valerius Max. c. 4. 7.*

Fortunæ proſperæ comes Invidia.

I. ADhuc magnum ſupereſt illis, quibus lenocinatur fortuna, infortunium, Invidia erga fortunatos. Inter proſperas ſortes, nemo poteſt evadere malignorum dentes; quia adverſus Invidiam, propugnaculum nullum eſt, quo quis ſe tueatur: nullus receſſus, ubi deliteſcat; nullum cacumen, quo aſcendat; nulli montes, quo ſe recipiat; nulla ſylva, ubi latebras quærat; nulla navis, qua elabatur; nullus equus, quo effugiat; nulla pecunia, qua ſe redimat. Hoc diſcrimen eſt inter improbum, & invidum: quòd ille delectetur bono proprio; hic cruciatur alieno: ille diligit mala; hic odit bona. Invidia eſt fera adeò venenata; ut nullus mortalium vel fuerit, vel futurus ſit, quem non dentibus ſuis momorderit, unguibus laniârit, pedibus conculcârit, veneno infecerit. Eſt avida felicitas, & alieni aviditati expoſita. Legas, quos volueris libros; conſule quoſcunque prudentiſſimos viros; inveſtiga, quaſcunque potes rationes: omnibus lectis, conſultis, inveſtigatis; nullum contra Invidiæ peſtem reperies remedium, niſi proſperitatis abdicationem, & adverſæ fortunæ contubernium. Nimirum, talis eſt Invidiæ morbus, ut mortem minetur; tale pharmacum quod adhibemus, ut vitæ ſecuritatem minimè præſtet.

II. Tametſi ſi detur poteſtas eligendi, ſatius eſt inimicos nobis invidere, quàm nos illis, & præſtat illos invidere nobis, quàm hos noſtri miſereri. Nulla ingenia tam prona ſunt ad invidiam, quàm eorum, qui genus ſuum

ſuum, ac fortunam animi non æquant; quia virtutem, & bonum alienum Junius.
oderunt. Hinc aſſidua eminentis fortunæ comes, Invidia eſt. Invidiæ filij ſumus; cum invidia naſcimur, vivimus, morimur. Et quò quis ampliores divitias moriens relinquit; eò major illum ſequitur invidia. Non tamen tibi ſuaſerim, ut declinandæ invidiæ causâ, à virtute illi inimica diſcedas. Homerus ait, ſuo ævo duos Græcos vixiſſe, in diverſiſſimo genere inſignes; alterum, rebus præclarè geſtis maximè clarum; ſed in primis invidiæ obnoxium, Achillem: alterum, improbitate inſignem; cui nemo unquam invidit, nempe Therſitem. Quis autem nolit potiùs eſſe obnoxius invidiæ Achilles, quàm ab ea immunis Therſites? Nullo in perdito homine major improbitas; nullum in viro bono majus crimen ineſſe poteſt, quàm commodis dolere, & incommodis gaudere alienis. Etſi autem omnes invidiâ nos lædunt; tamen multò magis amicus invidus, quàm inimicus officit. Tacitæ magis, & occultæ inimicitiæ timendæ, quàm indictæ, & apertæ. Contra hoſtes licet amicos opponere; contra hos nullum eſt auxilium. Ab hoſte mihi cavere poſſum; & ille timens recidit: amicus verò amicitiæ fœdere me decipit; & ego nihil mali ſuſpicans, ſecurus fio.

III. Utinam invidi oculos haberent in omnibus civitatibus, ut de omnium torquerentur felicitatibus: nam quanta felicium ſunt gaudia, tanti invidorum ſunt gemitus. Nunquam gravius torquebis invidos, quàm virtuti, & gloriæ ſerviendo. Unde quidam interrogatus, quomodo invidos non haberet? Si nihil, inquit, ex magnis rebus habueris, aut nihil feliciter geſſeris: nam ſola miſeria, caret invidiâ. Socrates rogatus, quid bonis viris moleſtum eſſet, dixit: Malorum felicitas. Quid malis? Bonorum proſperitas. Nimirum, flammam primùm emicantem, multus comitatur fumus, qui quidem evaneſcit, jam convaleſcente, & explicante ſe flammâ: ſic res egregias aggredientem, initio multa premit invidia, donec aucta gloria, invidiæ fumum diſcutiat: nam fumus gloriæ, invidia eſt. Et ubi nullum lumen, ibi nulla umbra: ita ubi nulla felicitas, ibi nulla invidia. Ut muſcæ vulneribus, & ſcarabæi ſtercoribus: ſic invidi alienis nutriuntur adverſitatibus. Nota eſt, quæ ſequitur, fabula: Frendens dentibus canis, & allatrans nonnunquam in præſepi jacebat; à quo boves terrebantur, neque admittebantur ad pabula. Cui unus: Quanta, inquit, invidia eſt; non pati te, ut eo veſcamur, quem tu capere nec velis, nec poſſis. Hâc fabulâ pungitur invidorum malevolentia. Proverbium eſt: Una domus non alit duos canes. In eos quadrat, inter quos parùm convenit, propter idem lucrum, quod communiter expetunt: ſic & edentulus

Junius. vescentium invidet dentibus. Pro quorum fulcienda fide, est hoc Vatis effatum:

Va sibi, quando canes veniunt os rodere plures.

27. DIES IVNII.

O nesitas abjecta nascendi, vivendi misera, dura moriendi! *Sidonius c.* 8. 11.

Miseriæ hominis nascentis.

I. NAsci, vivere, mori, sunt compendium omnis, quod homo patitur, mali. Hæc tria, paucis perstringam. Ordior à nativitate. Ab infantia ærumnis conjuncta est humana natura. Ipsum in infante lucis rudimentum, eorum, quæ in vitæ progressu toleranda sunt, est præsagium: quia sicut maleficus aliquis cùm in carcerem ducitur; tum catenis, ac compedibus stringitur: sic miserum hominem, in vitæ hujus carcerem detrusum, vincula excipiunt, & omnium membrorum nexus; atque ita infans, (unam tantùm ob culpam) quia natus est; non antè quàm manibus, pedibusque ab obstetrice devinctis, fasciisque involutus, matris amplexu fovetur, & lacte nutritur. Et, ubi brutum pecus statim cùm ex utero elapsum excidit, matrem agnoscit, & ex uberibus illius pendet: in homine tantum abest, ut idem fiat; ut die, quo nascitur, nec patrem, à quo procreatus, nec matrem, à qua in lucem editus, nec obstetricem, à qua susceptus est, agnoscat: imò nec oculis videre, nec auribus audire, nec gustu discernere potest; nec quid tactus sit, intelligit, nec odoratus sensu uti novit. Itaque nihil æquè miserum, destitutumque nascendi conditio produxit, quàm hominem. Ut rem acu tetigisse videatur D. Ambrosius, di-

Orat. funeb. Theod. cens: *Parvulos naufragos in hanc vitam, quidam naturæ fluctus expuit.*

II. Deinde primus, qui ore ejus progreditur sonus, est querulus vagitus: ita ut infantiæ suæ fragilitatem ploratu ominari videatur. Nascendo plorat, & plorandi materia quotidie ipsi nascitur. Itaque ipso natali die, labore, & procellis mundi, quas ingreditur, ploratu, & gemitu rudis anima testatur. Homini igitur nato, nec ad incessum pedes idonei sunt, nec manus ad scalpendum habiles; soli oculi ad flendum apti, ut verissimè dixerit Tertullianus: *Diu infans, vix puer, tardè homo.* Ad hæc, singu-

Adver. Marcio. 4. lis animantibus natura dedit tegumenta, quo facilius possint calorem æstivum, & frigus sustinere hibernum: ovibus enim lanam, avibus plumas,

mas, porcis ſetas, equis pilos, urſis villos, piſcibus ſquamas, teſtitudini conchas dedit. Quid multis opus eſt? Nullum animal neceſſitate adſtringitur, vel manibus veſtem ſibi conficiendi, vel alienis ſe velandi opibus. Hæc verò omnia homo deſiderat; qui nudus, & naſcitur, & moritur; nec unicam quidem veſtem vel afferens, vel auferens: & ſi vitâ progrediente, veſte aliquâ vult uti; ab animalibus illam mutuetur, neceſſe eſt; ab ovibus lanam, à bobus pelles, à vitulis corium, à bombycibus ſericum. Hoc eſt quod dicit Arnobius: *Homines, imbecillitatis auxilia, animalibus mutuantur à mutis.* Itaque neque Rex, dum naſcitur, ſecum confert purpuram, nec Cæſar paludamentum, nec Princeps trabeam, nec Senator togam, nec miles ſagum, nec Philoſophus pallium. Nemo, non modò non ſecum rudem pannum, ſed nec panni centonem, nec centonis fruſtum, nec fruſti filum in vitam confert. Junius. L. 2.

III. Quid hîc dicam? Natura non modò veſtitu inſtruxit animantes, ſed alimenti quoque curâ liberavit. Nullum enim animal ſibi arat, fodit, putat, ſeminat: ſed exiguis contenta; alia muſcis aëris, alia viarum granis, alia camporum graminibus, alia formicis terræ, alia algâ aquæ, alia oſſibus ſterquiliniorum, alia radicibus plantarum, alia pomis caducis vitam ſuſtentant. Denique curarum omnium expertes, ſomno ſe dant animantes; ac ſi poſtero die non opus futurum eſſet, ut ederent. Itaque beſtiis omnibus, natura tutelam ſui, & ejus peritiam tradidit. O quanto miſerum hominem, Deus affeciſſet beneficio! ſi laborem illi ſeſe veſtiendi, & curam quærendi nutrimenti ademiſſet! ſed quid faciat miſer homo? qui priùs quàm edat, agrum aratro proſcindere, iterare, ſeminare, rigare, metere, triturare, eventilare, molere, farinario cribro ſecernere, ſubire, & coquere cogitur; quorum nihil, ſine mentis cura, ſine intellectus induſtria, ſine artis directione, ſine manuum labore, ſine vultus ſudore confici poteſt. O nos miſeros! quotquot in lucem prodimus vitalem, qui nec, quid nobis noxium, quid nobis comedendum, à quo abſtinendum, quid odio habendum ſit, intelligimus: nec in eo, quod amandum eſt, ſcopum attingimus, vel quibus nos credere, vel à quibus cavere nos debeamus, internoſcimus; nec quid eligendum, quid rejiciendum ſit, diſcernimus. Imò non rarò, ubi nos vadum arbitramur tutiſſimum tranſituros, vix tres paſſus progreſſi, pelago abſorbemur. Cùm igitur tot calamitatum pelagus, dum naſcitur homo, ingreditur; quid miramur, eum à ploratu vitam auſpicari? imò quilibet vocis ſono, ſuas ærumnas lamentatur: Maſculus enim recenter natus dicit A; fœmina verò E.

Dicentes E, vel A, quotquot naſcuntur ab Eva.

28. DIES

Junius.

28. DIES IVNII.

Quid est diu vivere, nisi diu torqueri? S. *Aug. de verb. Dom. serm.* 17.

Miseriæ hominis viventis.

I. NOn tantùm homo est miser, dum vivere incipit, sed dum vivendo proficit. Singula, quibus constat, membra, sunt totidem illi, quibus cruciatur, pœnæ instrumenta. Sed his omissis, cogita quantum in vita, ex animalibus mali sit homini, dum leones nos terrefaciunt, ursi dilaniant, lupi deprædantur, canes mordent, feles unguibus lacerant, serpentes veneno inficiunt, tauri cornibus impetunt: & quod omnium indignissimum, interdiu homini, dum sanguinem exorbet, molestus est culex; noctu, dum quietem interpellat, molestus est pulex. Et quænam major cogitari potest, quàm hominis egestas? qui ad vitam hanc ærumnosam sustentandam, quidquid opus est, inter animantes mendicare cogitur, dum jumentorum operâ, in convehendis lignis, aggerendâ aquâ, faciendo itinere, vineis colendis, frumentis importandis utitur. Quid, quod animantes, lignis oneratæ, flagris concisæ, per vias asperrimas adactæ, pabulo defraudatæ, sobole orbatæ; nullam ex his tristitiam præ se ferunt, multo minus lachrymantur, & ut maximè flere vellent, non possunt. At in hominibus miseris, aliter fit; qui nihil norunt, nisi deplorare amicorum ingratitudinem, inimicorum persecutionem, liberorum mortem, penuriam alimentorum; casus, quos experiuntur adversos; falsa, quibus onerantur, testimonia. Verè dixit Plinius: *Luctus, uni animantium, homini datus.* *Præm. 7.*

II. Quæramus nunc ex primis mundi proceribus; quid artis, eo quo nascuntur die, norint? An more oratorum dicere, cursorum ambulare, Regum gubernare, equitum pugnare, agricolarum arare, Magistrorum docere possint? Respondebunt, scilicet, infantuli, non solùm omnium, de quibus quæsivimus, ignaros se esse, sed nec dicere posse, nihil eorum se nosse. Si ergo instemus, Quid ergo sciunt? nihil se posse respondebunt, præterquàm fletu, dum nascuntur, sese explere. O infelicem vitam! vel potiùs vitalem mortem! in quâ omnes scientiæ, omnes artes, omnia opificia, longo indigent ad discendum tempore: & post omnes labores, plura sunt, quæ omittimus, quam quæ discimus; & eorum, quæ discimus, maximam partem obliviscimur. Solam flendi artem, non opus est, ut quisquam discat:

ad

ad hoc non tantùm sumus dociles, sed sine disciplina faciles: si quidem flentes,& nascimur,& vivimus, & in hunc diem, neminem facilè vidimus ridentem mori. Quid, quod homines non tantùm sint calamitosi, sed & malitiosi? nam imbecillitatem non fugientes,malitiam amplectuntur; gloriam ex probitate captandam,in superbiam; innocentiæ desiderium, in invidiam; ardorem,quo contra malitiam incitari debebant, in iram; liberalitatem,quâ erga bonos uti debebant, in avaritiam; edendi necessitatem, in luxuriam; vigilantiam, quâ animæ consulere debebant, in desidiam mutant. Tanta in hominibus peccandi libido est; ut hoc ipsum eos delectet peccare,etiamsi causa non sit. Junius.

III. Horum conscius, dicebat Augustus Imperator; postquam homines implevissent annum quinquagesimum; aut sponte illos mori, aut invitos debere è vita tolli: tum enim ad felicitatis humanæ fastigium, terminumque pervenerunt. Quidquid homines ultra illam ætatem vivant; in gravissimis morbis,in mortibus liberorum,in jacturis fortunarum,in amicorum funeribus, in fovendis litibus, in debitis solvendis, in gemitu; ob præterita; in fletu,ob præsentia;in metu,ob futura;in devorandis injuriis, aliisque ærumnis innumeris abit. Qui anno quinquagesimo è vita hac misera tollitur; quod in ea miserrimum est, ne videat, subterfugit: & quidquid porrò homo vivit, per declivia descendit; non incedendo,sed volutando,aut etiam cespitando,& prolabendo. An non igitur vero verius est, quod cælesti afflatu pronuntiavit Augustinus: *Quid est diu vivere, nisi diu torqueri?* Priùs desinet cervus currere, lupus prædari, leo non timeri, quàm homo pati. Non antè nascitur homo, quàm patitur; nec priùs desinet pati,quàm incipiet mori. Primum lucis tributum,pati est; inde per reliquas ætates, pendenda sua vectigalia miseriæ. Dolere,primum est, quod docetur,& ultimum,quod discitur. Omnia animalia suas statim agnoscunt vires: homo nascitur rudis ad omnia, nisi ad lachrymas; omnia discere, opus habet,præter luctum. Nihil ergo deest homini,ut patiatur, etsi multum illi desit patientiæ. Vis salubre consilium,& utile monitum; quo tibi consulas, & bona persuadeas, atque ita ad finem, cui conditus es, pervenias? accipe illud non à Prophetâ,sed Poëtâ:

Quid sis? quid fuerim? quid eris? semper meditere;
Sic minus, atque minus peccatis subjicieris.

Digitized by Google

Junius.

29. DIES IVNII.

Sic mors ipsa, cùm venerit, vincitur; si priusquam venerit, semper timeatur. *S. Hieronymus in moral.*

Miseriæ hominis morientis.

I. NOn tantùm homo est miser, dum nascendo, vita illi incipit, dum vivendo proficit, sed multo maximè, dum moriendo deficit. Post omnes, in nostrâ fabulâ, actus, supereſt ultimus actus, isque difficillimus; quia periculosissimus. Sed cùm egentes quærant, quo locupletentur; mœsti, quo exhilarentur, ægri, quo sanentur; cur, qui mortem adeò formidamus, non investigamus modum non timendi? Hunc nobis suggerit hodiernæ diei tessera, quæ tibi erit tessera salutis, si tibi sit ejus usus familiaris. Et consonat illa cum verbis Platonis. Interrogatus à Socrate Plato, quomodo in vita se gessisset, & quomodo in morte se esset gessurus: *Scito*, inquit Socrates, *in juventute operam me dedisse, ut bene viverem; in senectute, ut bene morerer: quare cùm & honesta fuerit vita, & lætus expectem mortem; nec vita mihi est dolori, nec mors erit timori.* Dignior Catholico, quàm Ethnico oratio. Itaque ultimam horam nunc timete, ne tunc timeatis: illam nunc præcavete timidi, ut tunc possitis esse securi Vult nos Deus vitam nobis in vita comparare, quia teste Augustino, *Qualis quisque hinc exierit suo novissimo die, talis invenietur in novissimo sæculi die.*

De verb Dom. 21.

II. Quàm inconsiderati sint homines, non nisi semel sibi moriendum, cogitantes, cùm verissimum sit, eo die, quo cœpimus nasci, incepisse & mori, & extremo die nos mori desinere; non repentè in mortem incidimus, sed paulatim procedimus. Prima, quæ vitam dedit hora, eadem & carpsit. Si nihil aliud mors est, quàm vitæ exitus, & finis cujusque rei; licet dicere, nostram, & infantiam, & pueritiam, & juventutem, & virilem ætatem mortuam esse, quia illarum est finis, & senectutem mori, ac morituram esse. Unde efficitur, singulis nos annis, mensibus, hebdomadis, diebus, horis, & momentis mori; atque ita, dum vitam nos agere securam arbitramur, mortem ubique comitem habemus. Itaque mors non una venit, sed quæ rapit, ultima mors est. Illud porrò in confesso est, eum solùm, mortem sine dolore susceptorum, qui ad susciendam illam diu antè se præparaverit. Hinc prudenter Lactantius: *Ita vivere hominem oportet, ac si post horam unam, ei esset migrandum.* quia quales tunc invenimur, tales & judicabimur.

L. 7. extrem.

Quod

Quod non es moriturus in vita, non potes habere poſt vitam. Quod igitur potes facere in vita, noli differre uſque ad mortem. Denique hoc tibi ſit ad bene moriendum, ultimum præſidium: ſic ſemper, & ubique vivas, ut ultimam quamque lucem, tanquam non redituram conſumas. Junius.

III. Erit aliquando tempus, & elucеſcet illa dies, & hora, omnium horarum noviſſima; qua de omnibus, quæ in hac vita habuiſti, nihil auferes, niſi ferale amiculum: Heu tibi! tunc in arenam deſcendes, ubi non exagitaberis à beſtiis, ſed devoraberis à vermibus; tunc in eas redigeris anguſtias, unde fugere nequis; & ſi opperiris, non aliud, quàm mortem opperiri neceſſe erit. Faſtidium cibi, inſomnia, amor ſolitudinis, tædium ſocietatis, anhelus ſpiritus, frequens gemitus, frigidus ſudor, in genis pallor, in membris tremor, in corde pavor, ubique horror, indicio erunt, quibus fluctibus intus agitetur animus, quanta ſit tempeſtas cordis. Quis, hæc expendens, vitæ tempus non bene impendat? Si enim nihil non agimus, ut aliquanto diutiùs vivamus; quid non agendum, ut bene moriamur, cùm inde pendeat, ut æternùm feliciter vivamus? Catone Cenſorino, Romæ cenſuram gerente; civis quidam clariſſimus defunctus, maximum in morte declaraverat animi robur; cujus, cùm fortitudinem, & quæ tunc protulerat verba, laudarent cives cæteri; Cato, & dicta, & laudes illius irriſit, deque riſus cauſa interrogatus; *Vos*, inquit, *cur rideam, miramini? ego verò vos mirari rideo. Conſideratis enim ærumnis, ac periculis, cum quibus vivimus; & ſecuritate, ac quiete, cum qua morimur; majore, dico, fortitudine opus eſſe ad vivendum, quàm audaciâ, ad moriendum.* Verum eſt, minus mali eſt mors honeſta, quàm vita ærumnoſa: ſed Chriſtiano, mors erit ſecura, ſi juxta leges Chriſti, vita fuerit honeſta: ut talis ſit vita, qualem optabit fuiſſe, dum deſines vivere, juvabit illud ſæpè expendere:

Quid caro? vilis humus: quid carnis gloria? fumus.

30. DIES IVNII.

Omne tempus nobis impenſum; à nobis exigetur, qualiter ſit expenſum. *S. Bern. diſcep.* 208.

I. Unij jam nobis elapſi tempus impendimus; quomodo expenderimus, à nobis olim, coram ſupremi Judicis tribunali exigetur. Si præteriti menſis, malè; ſaltem ut futuri tempus, magno cum quæſtu ſalutis, hoc eſt, bene impendamus. Æternitatis immenſum tempus, ad quod tacitis annis devol- Temporis ratio exacta reddenda.

Junius. devolvimur, animo expendamus. Teste Boëtio, *Æternitas est vita interminabilis tota simul, & perfecta possessio.* quæ licet Deo potissimùm congruat; convenit tamen & beatis Deo fruentibus: illi enim possident vitam, bonis omnibus cumulatissimam, perfectam, integram, & nunquam desituram. Nulla est enim fruendi boni forma præstantior, quàm plena possessio, ut quæ pleno imprimis dominij jure fulciatur; quæ verò habentur seu commodata, seu deposita, non sunt satis expediti usus, planéque liberi: deinde nec rerum fruendarum intercapedine, nec facultatum fruentium pugnantibus inter se muneribus, angustiisque dividitur; sed tota simul est; cùm è contrario, gaudere caducis nemo potest, ac ne pluribus quidem, nisi ea dispenset apta successio; & sic admoveat sensibus, ut possint ab iis percipi, nec sensus unius interturbetur ab alio.

L. 5. prof. 6.

II. Deinde, eadem est *perfecta*, tum quòd tranquillè, vereque secura, tum quòd Beatis nihil obstet bonorum diversitas, longinquitas, celsitas; quo minus in illa totus se animus infundat, totumque illa in animum se penetrent; ac suæ illum jucunditati, quantus quantus est, penitus asserant. O Beatitatem! quæ tota, quantumvis immensa; quæ simul, tametsi æterna; quæ perfectè, plenè, ac intimè, licet varia, multiplex, & effusa possidetur. O nostra, in his vitæ bonis, angusta, brevia, pannosa gaudia; secumque non rarò, sæpiùs nobiscum pugnantia! Unde etiam scripsit Plotinus, *Æternitatem, vitam esse plenam, ac simul totam*; nullâ, scilicet, animæ, sensuum, ac vitæ parte liquidissimis suis voluptatibus vacuâ, vel egente; nullâ facultate alterius occupationem, & gaudia intercipiente. Reorum verò, quos Dei justitia æternis addixit suppliciis, his in oppositum, heu! nimium similes, & lachrymabiles, quâ mente spectabimus? sic enim ij suis arctantur, pervadunturque suppliciis; ut illa se tota totis illorum corporibus, & animis, ac sensibus intrudant; & ut, ita dicam, possideantur non sola injectione manuum, aut pedum; sed omnium virium, & articulorum immersione coactâ, ineluctabili, sempiternâ.

Ennead. 37.

III. Addo, & *plena*, & simul tota, ob cruciatuum omnium concursum, nec sibi obstantium, nec torquendi atrocitate obtundentium sui sensum, nec partis unius dolore, tormentum alterius consopientium: nec enim spiritus, quibus uritur attentus, & absorptus flammis, sentit mitiùs flammas, quibus carnes liquantur: nec famem, & sitim amaror, nec visorum horror, aurium metus attonitos, nec sensus cujusquam, aut partis dolorem, dolor alterius distrahit, aut rerundit: suis, tota præsens tormentis omnibus anima non potest non adesse. Deus immortalis! Saxum excavat aquæ gutta; quadraginta dierum pluvia, orbem mergit; quid, cùm ignem,

ignem, ſulphur, tempeſtates æterno impetu in miſeram animam, ira Judicis vibrabit? Hæc dum legis, necdum qui jaces, ſurgis? qui dormis, evigilas? qui torpes, exilis? qui feriaris, laboras? ut infauſtam æternitatem declines totam; ut hoc vitæ momentum bene impendas, animum inclina. Cuidam quærenti à Biante, quid difficillimum eſſet menſuratu? Nihil, inquit, rerum omnium eſſe, quod tam accuratam deſiderat, quàm tempus, in metiendo diligentiam. Adeò quippe exactè metiendum tempus, ut neque rationi quidquam ad bene agendum deſit, neque libidini quidquam ad malè agendum ſuperſit. Cogita vitam eſſe viam; vitæ tempus eſſe curſum ad metam. Hiſce omnibus Poëta hoc lemma inſcribit: Junius.

Per quaſvis horas, ad metam volvitur ætas.

Julius.

1. DIES IVLII.

Qui agunt, quod bonum est; ab illo aguntur, qui bonus est. *S. Augustin. de grat. Christi c. 25.*

Boni natura.

I. HActenus Mali indolem, genium, naturam, & quæ ex Malo oriuntur, vitiorum lineamenta graphicè expressimus; ut primum illud Davidici consilij membrum observaremus: *Declina à malo.* Sequitur jam alterum: *& fac bonum.* Speciosa hæc erit ut relatu; sic & lectu materia. Primùm, hæc est omnibus communis lex: quod bonum sit appetendum; & contrà, malum fugiendum. At, quia bonum est in convenienti; & aliquod est proprium singulis speciebus, objectis potentias, potentiis organa, utrisque certas actiones certis inclusas limitibus, sapiens natura contemperavit. Uniformis, est primi mobilis motus, omnes secum rapient cælos; singulis tamen Planetis, & Octavæ Sphæræ suus singularis est, quem nunquam desinente cursu à momento suæ creationis sequuti sunt, & in posterum sequentur. Sicut autem omnes cæli moventur à primo mobili; sic quisquis agit, quod bonum est; ab illo agitur, qui bonus est: ille, qui est summum Bonum, efficit, ut omnia appetant bonum: sed singulæ species suum. Jus est, & bonum, piscibus, in aquis degere; avibus, in aëre; quadrupedibus, in terra.

Ps 36. 27.

De divin. Nom. c. 4.

II. Amoris divini fæcunditatem ad extra, D. Dionysius exprimit per circulum boni; qui à bono per bonum procedens ad extremum eorum, quæ existunt, in bonum revolvitur. Hoc boni se longè diffundentis progressu fit longa series graduum; qui à supremo, & illi vicinioribus sensim recedentes, tandem fiunt oppositi: sic inter diversos, diversissimi. Deus infinitus est circulus, in quo, quia nihil nisi infinitum, diameter, erit centrum, & circumferentia; omnis diversitas, identitas; omnis duratio, æternitas; omnis discretio, simplicitas; omnis motus, quies; omnis inæqualitas, æqualitas; maximum, in quo coincidit minimum; quia diversitas complicata, identitati complicanti non opponitur; omnia complicans, quia in eo omnia; omnia explicans, quia ipse in omnibus. Nullum itaque est magis alienum, aut publicum bonum, quàm Bonitas; quia est omnium, & pro omnibus: quapropter Bonitas, est census publicus, alienum bonum.

num. Res omnium, non ſui ſolius patitur eſſe. Bonitas eſt, quæ ſufficit ſibi; imò eſt inſuper, quæ ſufficit omnibus. Parum adhuc dixi: non tantum eſt, quæ nullius eget; ſed cujus omnia egent. Deo egemus, non tantum ut ſimus, ſed ut bene ſimus. Julius.

III. Bona autem omnia hæc creata, quæ ſunt extra ſummum Bonum; literæ ſunt deſuper ad nos miſſæ, in quibus, qui cæcus non eſt, legere poterit Bonitatem Dei. Quæcunque igitur, cæli, & terræ ambitu continentur; quæcunque à ſummo Opifice vel dantur, vel auferuntur; literæ ſunt, quæ nos vel à vitiis extrahunt, vel ad virtutes trahunt; vel terrendo monent, vel monendo frœnant, vel frœnando retrahunt à malo, vel retrahendo à malo urgent, incitant, impellunt ad omnia bona. Quid igitur facilius, quàm facere bonum? Hîc tantùm adhibenda eſt cautela, ne confundamus bona, & mala. Anxia res, eſt humanorum conditio bonorum; & quæ nunquam vel tota proveniat, vel nunquam perpetuò claret; ineſt ſingulis, quod inexpertus ignoret, expertus horreat. Nihil mortalibus bonis, eſt immortale; voluunt humana vices crebræ, & omnium rerum fuga fit. Videre licet magna gaudia ex inſignibus malis; & immenſa mala ex ingentibus gaudiis. Quid ſtupes? Hæc eſt inferiorum conditio, ſic ad tempus quieſcere; ſic moveri, pompa eſt; oſtenduntur iſtæ res, non poſſidentur; dum placent, tranſeunt. Cùm igitur hæc ſit mortalis hujus vitæ ſors; ut mala bonis, zizania tritico; lolia liliis, mœſta lætis; tineæ floribus intermiſceantur: unum ſupereſt remedium, ſeparare pretioſum à vili, mundum ab inmundo, lucem à tenebris, bona à malis. In quo negotio, noſtra poſthac ſudabit induſtria, cùm juxta Poëtam,

Sunt bona mixta malis; ſunt mala mixta bonis.

2. DIES IVLII.

Quidquid eſt magnum ſub Deo; illud minus eſt Virgine. *S. Anſelm. de Excel. B. V.*

I. POſtquam ille, qui nos viſitavit, oriens ex alto, circumſcripſerat ſe Virginis utero, & illa voluit viſitare ſuam cognatam, ſacro divini prodromi partu gravidam. Illa, cui Dominus fecerat magna, cui ſe ſubinittit omnis creata Magnitudo, inviſit illam, quæ erat Mater illius, qui futurus erat magnus coram Deo, & hominibus. Quid ſub cælo, vel in cælo tam magnum, Poſt magnum Deum, nihil majus Matre Dei.

Julius. magnum, quàm Mater illius, cujus magnitudinis non est finis ? sed pace tuâ, ô Virgo ! vide, quò progrediar : audi, quid eloquar. Unde quæso illa in te magnitudo, ut Dei Mater efficereris, nisi à me ? Fuisses quantum vis humilis, & pudica, & prudens ; fuisses, licet omnium virtutum laude præcellentissima ; nihil hæc tibi tantum ad honorem suffragata essent. Nisi enim scelera, & peccata mea fuissent ; nunquam Dei Filius, de sinu Patris in sinum tuum delapsus fuisset : nisi malitia mea ascendisset ad cælum ; nunquam illa Majestas descendisset ad terram. Etenim, sine me peccatore, quid opus fuisset Redemptore ? sine me ægrotante, quid opus fuisset Medico visitante, & curante ? Itaque nisi mei miseri miserearis ; prope, dixerim, te à jure, ab æquitate, ab officio discessuram, neque quidquam obstare, quo minus actione ingrati, tecum experiar.

II. Grati igitur animi ratio exigit à te, ut quo peccante, Dei Matris honore, ac nomine gaudes ; eodem etiam pœnitentiam agente, patronæ ejusdem munere fungaris. Exultavit hodie in Cognatæ tuæ utero infans : in tua est manu, ut hodie totum cum Angelis exultet cælum ; ad illos enim, sic testante tuo Filio, gaudium ingens permanat, ex me peccatore pœnitentiam agente. Ne igitur, me deserendo, hanc illis voluptatem eripias : patere ad summum illorum, æternumque gaudium, quo in cælo fruuntur, hunc etiam lætitiæ cumulum accedere. Neque tibi Jesvs meus, Filius tuus, non poterit, pro me roganti, tibi obsequi. Equidem eidem omnis præcisa est ratio recusandi. Quid enim poterit dicere, plura esse peccata mea, quàm ut eorum numerus possit iniri ? at longè est major numerus misericordiarum suarum, quàm iniquitatum mearum. Et magis peccavit Cain dicendo : *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear*, quàm quod fraternâ cæde se inquinasset. Num apertè, & rotundè respondebit se nolle mihi ignoscere ? at contra pollicitationem suam venire sustinebit, qui toties in sacris literis edixit : simul ac peccator tactus dolore cordis intrinsecus, unicam ex oculis lachrymulam expresserit ; statim se, omnia illius peccata in oblivionem adducturum.

Gen. 4.

III. Vis misericordiam tuam non tam impetrem, quàm extorqueam ? Si Filius tuus, vix jam Filius hominis, quia vix homo, cùm penderet è cruce ; & tu stares juxta crucem, illis ipsis, qui crucifigendo ei vitam auferebant, vitam suam offerebat, & cum illa delicti veniam : quid non faciet pro te Mater sua, à qua accepit vitam ? Si Filius tuus, ut Deus, rebus etiam inanimis, tot, ac tanta illis non petentibus, sed ultrò, contulit beneficia ; quid faciet pro te, à qua accepit, quidquid est hominis, in corpore hominis ? potissimùm oblecrante te, & veluti imperante ex jure materno ? Bonis

nis filiis preces Matris pro imperio sunt: quis melior filius, quàm JESUS? quæ melior mater, quàm MARIA? quæ obligatio major, quàm hujus optimi Filij, erga optimam Matrem? Optimus Filius optimæ Matris, potest efficere, ut uno momento, qui fui pessimus, fiam optimus; imò, ut qui fueram inter optimos, novissimus, fiam primus, & qui fueram primus inter pessimos, fiam novissimus. Filius tuus verbo virtutis suæ fecit omnia esse, non poterit eodem efficere mihi uni bene esse? Ut mihi benefacias, satis est mihi, benedicas? Dicam ergò cum Ecclesia, filius Ecclesiæ: Julius.

Nos, cum prole pia, benedicat Virgo Maria.

3. DIES IVLII.

Homo cùm peccasti, aliud esse cœpisti, & quod eras, esse desiisti, ut fieres ex homine pecus.
S. Ambros. in Psal. 118.

I. HOmo naturâ unus, affectûs diversitate fit varius; est enim, vel CARNALIS, vel ANIMALIS, vel SPIRITVALIS. Carnalis est, qui belluæ ritu, divina & humana negligit; cujus vita, corporis est ancilla, solo negotiosa cibo, somno, libidine; & huic convenit prædicta tessera: dum enim carni nimium lenocinatur; jam ab eo, qui fuerat à Deo conditus, planè fit alius, quia fit pecori simillimus. Animalis est, qui judicio sensus humani, quid decens, honestumque sit, sentiat; & ab omnibus vitiis, propriâ animi inductione se referat; sic ut pecuniam spernat, ambitione careat, voluptatibus resistat, bonitate venerabilis sit. Denique spiritualis est, qui hoc quod agit, non ut animalis naturæ rectæ instinctu, sed Dei afflatu agit; ut intelligens, quæ sit voluntas ejus, arcanum secreti consilij, & absconditi à temporibus sæculi, per revelationem, ac donum Spiritus sancti sciens, quæ ratio sit à Deo carnis assumptæ, qui crucis triumphus, quæ mortis potestas, quæ in virtute Resurrectionis operario. Prior, exprimit in se imaginem pecoris; alter, hominis; tertius, Angeli. Quidquid vis, hoc es.

II. Vide, in quorum te velis referre classem. Deus, qui est ipsa liberalitas, tibi providit liberalissimè; non tantùm tibi dedit naturam perficere, sed eligere. Dedit enim tibi esse, quod velis, cùm dederit velle. Potes igitur, per omnem ambitum orbis jacere invidos oculos; & ad tuum arbitrium, in eam rerum classem adscribi, quæ placet magis. Eia igitur, veni, assur-

Julius. assurge,erigere: veni,non in eminens aliquod montis jugum, nonin verticem Olympi,sed extra omnes anni,& solis vias; extra sidera; in magnam illam speculam non entium, & immanem vastitatem, ubi nihilum imaginarium spatiatur. Finge te inter eas jacere umbras,cum spe solùm, simul & potentia spectandæ lucis, veniendique ex illa tenebricosa nihili abysso, in mundi hujus municipium; & jam te stare in ipso, ut ingrediaris, mundi vestibulo; datam tibi porrò potestatem, eam subire naturam,quam velles; & sub illa larva,quam malles, ut quamcumque in illo mundi theatro agas, quam volueris personam. Audi Magistrum hujus magnæ scenæ amicè alloquentem: Age,dilata oculos, pone invidiam, bono animo sis,in rempublicam coaptaris mundanam.Cumulatissimè tibi indulgeo,in eum conscribi ordinem,quem volueris. Vide omnes, propone tibi singulos, considera universos; eris, quod esse volueris.

III. Ecce servilem gregem, elementa, saxa, metalla: ecce vulgus viventium,herbas,frutices, arbores: ecce sentientium plebem,reptilia,quadrupedes,volucres,pisces: ecce equestrem ordinem,homines: ecce Senatorium, Mentes: ecce meum augustum solium. In nullam te urgebo classem,sine tuo consilio, arbitrio, suffragio. in illam te admittam, in quam volueris admitti.Nunquid tam humilis esses animi,ut eligeres glebam esse, aut aërem,aut rupem, aut pinum, aut pecudem,spretis superioribus ordinibus? Ni fallor, imò scio me non falli, puto potiùs, quid dico? scio relictis splendentibus metallis in vulva terræ; pellucentibus unionibus in Erythræo littore; frondosis arboribus in nemore; armentis in campo; imò & hominibus, in foro;malles esse Angelus in cælo; imò si posses,& Deus supra cælum. Hæc tibi divinitus data est potestas; hæc cælitus concessa libertas: Natura sub votum venit; fies id, quod esse volueris, vel, ut pecus, CARNALIS; vel ut homo, ANIMALIS; vel ut Angelus,SPIRITVALIS; vel ut Deus,unus cum illo spiritus. Nunc igitur, explica, oculorum lumina; dilata cordis desideria; diffunde obtutum per immensa divinitatis spatia: vide, si est,quod esse concupiscas.Cur per valles,& fæces rerum, demittis oculos, & invides? Leva per circuitum oculos; & vide omnes omnium entium ordines,sunt in tua potestate.Quidquid vis,hoc es.Utere prudenter tua libertate, nec velis abuti tua potestate. Non enim à sulco veritatis Poëta erravit, cùm hæc exaravit:

Quanta hominis libertas, est & tanta potestas.

Julius.

4. DIES IVLII.

Nisi divinæ gratiæ subveniat adjutorium; nihil prodest copiosum cujuslibet adhortantis eloquium.
S. *Aug. cont. Iulian. l. 2.*

I. SIcuti, ut declinemus à malo, sic ut faciamus bonum, opus est Gratiâ illius, à quo procedit omne bonum. Quod est Anima corpori, hoc est Gratia Animæ. Illud sine anima, caret vitâ naturali: hæc sine gratia, vitâ supernaturali. Corpus vitâ destitutum, frustrà, in ipsissimo meridie soli, dum toto radiorum apparatu circumfulget, exponis, ut oculos videndo: frustra, vel ex Græcia Demosthenem; vel ex Italia Tullium evoces, ut aures audiendo: frustra, totius Maij è viridariis flores, aut ex Arabia seligas exquisitissima aromata, ut nares odorando: frustra, ex Pontificum cænis, aut Luculli mensis saliares proponas dapes, ut palatum gustando: frustra, cuniculi pilos, vel si quid mollius offeras, ut manus tangendo oblectet: corpus ad nullum sensus lenocinium aspirat, dum caret Animâ, quâ spirat. Sic animæ, nihil, quod est supra animam, nil cæleste, nil divinum placet, & est gratum, absente gratiâ. Circumfulgeat eam de cælo lux, non videt; resonet dulcis illa dilecti vox, non audit; aspiret bonus odor Christi, non arridet; pluat illi manna de cælo, nauseat anima ejus super illo cibo. Nihil, quod est ex Deo, animæ prodest; potiùs obest, ubi gratia Dei abest. Sine Gratia nihil possumus.

II. Quid es cum gratia? quid sine gratia? cum ea, conversatio tua est in cælo; sine ea, in cæno: cum ea, es dignitate Seraphinus; sine ea, es vilitate scarabæus: cum ea, es, quæ solem intueris Aquila; sine ea, es, quæ in tenebris cæcutis noctua: cum ea, in vinea Domini portas pondus, & æstus diei; sine ea, stas totâ die otiosus in foro: cum ea, curris per viam mandatorum Dei; sine illa, *sicut ostium vertitur in cardine suo, sic piger in lectulo*: cum ea, generosus ut Sampson, dilaceras leonem, quasi hœdum; sine ea, dicis ut piger ille: *Leo est foris, in medio platearum occidendus sum*: cum ea, audes masculâ voce exclamare cum illo paludato bellatore: *Si consurgant adversùm me castra, non timebit cor meum*; sine ea, ut meticulosus Adam, jam exutus stolâ primâ, clamas: *Timui, eò quòd nudus essem*: cum ea, nutriris in croceis, & gustas, quàm suavis sit Dominus; sine ea comput- *Prov. 26. 14.* *Iud. 14. 6.* *Prov. 22. 13.* *Ps. 26. 3.*

Julius. trescis ut jumentum in stercoribus suis: cum ea, anima, ut Nazaræi, *est candidior nive, nitidior lacte*; sine ea, *denigrata est super carbones.* Vis compendio illius bona; hujus mala, atque adeò utriusque statum? Audi Chrysologum: *Quod vis, unde vis, quando vis, habes. Nos præter tuam gratiam nihil habemus; per quam stamus, vivimus, movemur, & sumus: sine qua, jacemus, deficimus, perimus.* Quantum perire times, tantum ne pereas; Gratiam ambias.

Gen. 3. 10. *Thren.* 4 7. 8. *Serm* 97.

III. Nihil est tam futile, & imbecille, aut invalidum, quod non valeat ad tui exitium; nisi accedat gratiæ auxilium: sine gratia, ut nihil valeas, & ut pereas, sufficit vel una locusta, vel musca. Audi: *Illos locustarum, & muscarum occiderunt morsus*; sufficit unius crabronis bombus; unius fimbriæ mulierculæ strepitus, vel soleæ ejus crepitus; unius puellulæ arridentis oculo nictus; unius putidæ fæmellæ halitus: denique minima cadendi occasio, tui sæpè est perditio. Sol, fons luminis, & diei est pater; sed subinde patitur Eclipsim: Luna pulchra, sed prodit suas maculas; astra fulgentia, sed nebulis obumbrantur; candidum ebur, sed vetustate nigrescit; speculum, suo lævore clarissimum, verùm halitu inficitur: sic anima, licet gratiæ dono venusta, facilè concipit labem, accipit cladem per insidiantis dæmonis fraudem. Denique vis intueri tui ipsius lineamenta; ut intelligas, qualis sis sine gratia? expende verba Tertulliani de Marcione, & idem de te dixeris sine gratia peccatore: *Marcion, Scythâ terrior; Namaxobio instabilior; Massagetâ inhumanior; Amazone audacior; nubilo obscurior; hyeme frigidior; gelu fragilior; Istro fallacior; Caucaso abruptior.* Cùm igitur sis talis sine gratia; pluris æstima minimam gratiam, quàm cujuscumque rei maximam scientiam. Nec enim erravit Poëta, dum dixit:

Gratia sit plurìs, quàm tota scientia luris.

Sap. 10. 10.

5. DIES IVLII.

Magna hominis miseria est, cum illo non esse, sine quo non potest esse. *S. Augustinus lib.* 14. *de Trinit. cap.* 12.

Gratiæ dignitas; & hominis eam spernentis fatuitas.

I. NOn tantùm magna, sed miseriarum est maxima, non esse cum eo, ex quo, per quem, in quo sunt omnia. Omnes quidem sunt in Deo, sed non omnes cum Deo. Si Memoria illius non meminit; si Intellectus non percipit; si Voluntas non diligit, in Deo es, sine Deo. Præsente gratiâ,

tiâ, es cum Deo: absente, tantum in Deo. Ne igitur gratiam abjicias; quanti illa, quæ est inæstimabilis, sit æstimanda ut capias, animum adjicias. Nemo avarus se præ lætitia capiat; si cùm decubuerit Irus, expergiscatur Crœsus. Quis non stuperet, nisi stupidus; si vesperi agricola, manè post somnium esset Monarcha? Si pridie Jobus in sterquilinio; postridie esset Salomon in solio? Si momento antè, miserorum in hac vita ultimus; esset momento pòst, beatorum primus? O nostram capitalem dementiam! Gratiæ dignitas, hominem sublatum è primogenio pulvere, in divinam familiam transcribit: ejus dignitas, totam infinito intervallo naturam infra se despectat. Præcedere aliquem, aut propter nobilitatem, loco; aut propter dignitatem, gradu; hominum judicio magni fit. Quid erit omnes naturæ gradus excedere? Julius.

II. Immensum propè est discrimen inter naturam nobilissimam supremi Angeli, & abjectissimam vilis vermiculi: sit tamen aliquis pure, & sanie rancidus, ac ulceribus plenus in cœno Lazarus; si gratiâ polleat, magis excedit naturam primi Seraphini, si gratiâ careat. Quid si Deus procrearet aliquem tantæ excellentiæ, ut non modò, quæ vivunt vitâ vegetativâ, plantæ, aut sensitivâ, pecora, aut rationali, homines omnes; sed & novem Angelorum chori illo inferiores, illum, ut omnibus superiorem colerent, ac venerarentur: illine conveniret abjicere se ad haras porcorum? vivere inter brutas pecudes? habere curam jumentorum? Excelsior, quàm dixi, tua est præstantia: Excedis gratiâ præditus, non modò omnem, quæ condita est, naturam, sed quæ à Deo condi potest. Quæ ergo in tanta hominis dignitate, est indignitas? à Deo tantum oblatum donum sperni, & quisquiliis rerum, ac particulâ cœni non solùm postponi, sed dæmoni vendi, ac mancipari? Quæ fatuitas, malle à dæmone accipere unicam è cloaca cœnosæ aquæ stillam, quàm à Deo perennium voluptatum torrentem? malle se submittere imperio dæmonis, ob promissam unius lutosæ suis siliquam, quàm Numinis, ob promissam in cælis æternam gloriam?

III. Verùm dantes hæc munera tam disparia omitte, dantium animum expende. Dat Deus profusè, incredibili amore, inæstimabilem margaritam: dat dæmon parcissimè ex implacabili odio, infame ludibrium; si muneri pretium facit dantis potiùs animus, quàm munus; quid hoc tandem furoris, ac dedecoris est, levi compendio, applausu, ac voluptatulâ, quibus rabie ardens inimicus, mortem miscet, quam tibi objicit, summum summi Dei donum projicere? & jacturâ illud emere, quo infelicius, ac crudelius pereas? Esletnè ille homo censendus inter homines, qui, ut placeret

Julius. ceret dæmoni, mallet potiùs uno momento frui umbrâ asini, quàm, ut placeret Deo, æternùm gaudere dignitate, & gloriâ Angeli? Nec tantùm extrema est fatuitas, gratiam abjicere; sed nolle cum ea negotiari. Fingat sibi tantum unius diei jejunium, totis Indorum pensandum classibus; quis illi persuadeat, ut à tantilla se molestia excuset? ut eâ potiatur fortunâ, toto illo die non modò lubens, sed gaudens, nullam nec gustabit panis micam, nec libabit aquæ guttam. O nos ignava capita! unicum si ad Deum dirigas cordis suspirium mille Indias, ac totidem mundos, intervallo inexplicabili transcendit. Missa identidem cælo vox, JESVM spirans, totum meretur Regnum, JESV. Quis non sexcenties quot horis JESVM nominet, si pari numero auri acciperet milliones? Et hoc quantulum est cum iis compositum, quæ certâ fide nobis promittuntur? Et qui promittit, nec te potest fallere, nec tu ab illo falli. Non ut perfidus mundus, qui

Aurum promittit, ferrum pro munere mittit.

6. DIES IVLII.

Si hominem te fecit Deus, & justum tu te facis, melius aliquid facis, quàm fecit Deus. *S. Augustinus serm. 15. de Verb. Apost.*

Dignior est gratia, dono faciendi miracula. *S. Greg. l. 3. Dial. c. 17.*

I. COnspirans est Theologorum opinio, inter Dei opera, mirabilius esse, ac dignius opus Justificationis, quàm Creationis. Sic opus tuum est præstabilius, dum ad amissam gratiam recuperandam, & promerendam te disponis, & præparatione sedulâ invitas, quàm erat Dei, cùm te creando, in te inspiravit spiraculum vitæ. Hinc teste D. Gregorio, *Pluris fuit conversio Pauli, Christum persequentis, quàm Lazari quatriduani in sepulchro fetentis.* Et meritò; quia dum mortuus à funere excitatur, datur vita carni iterum casuræ; animæ verò numquam desituræ. Hinc opus patras longè mirabilius, Deo, superisque omnibus multo acceptius, dum anteactæ vitæ scelera dolore rescindis, serioque ad frugem redis, teque per gratiam Deo reddis; quàm si omnibus in mundo cæcis diem, surdis auditum, mutis sermonem, quacumque infirmitate laborantibus virium omnium integritatem restitueres; imò & mortuos omnes, apertis eorum monumentis, à funere excitares. Fingamus indici æternæ mortis apud inferos, reis, facultatem vitæ melius retexendæ, atque ita illis se cruciatibus eximendi; an

illorum,

Digitized by Google

illorum, vel unus tantùm munus esset rejecturus, vel ad aliud tempus remissurus; imò, vel ad momentum dilaturus? Nobis integrum est Dei præsidio, quod ultrò offertur, adjutis, emergere ex majoribus malis, quàm sint omnes damnatorum pœnæ, hoc est, è letalibus sceleribus; si quidem iis simus involuti, & tamen adhuc cunctamur, & inconsulti deliberamus, an velimus tot nos malis liberare. Julius.

II. O dotem, dignitatemque! quam Sponsæ Animæ impertit Sponsus Deus! vim, nempe, procreandi Deo filios, & iræ matri, ac dæmoni patri subductos; in sinum gratiæ, & Christi jura transferendi! Potes, dum lubet (& cur, ac cui non lubeat?) parabili labore nocentes ad vitam meliorem revocare; & ex familia dæmonis, in Dei filios traducere. Fecit id, & magno animi quæstu, ex sacrâ D. Francisci familiâ B. Cherubinus; qui, ut mortuas animas gratiâ animaret, antequam conscendebat suggestum ad populum dicturus, septem horas Deo vacabat orando in secessu, ut diceret cum successu: & ut intelligas, quo dixerit fructu; post ejus obitum, occurrerunt illi cælum petenti sexaginta sex millia animarum, quas concionibus suis ab æterno exitio ad beatam vitam traduxerat; cui & gratias immortales, pro immortali, qua illas donaverit gloria, agebant. An non illa major est gloria, quàm patrasse omnia quæ post homines natos, ab hominibus patrata sunt miracula? Quæ, malum! insania nostra, velle corpus mortale sanum miraculo servari; mortem ab anima immortali, ne remediis quidem communibus defendi? *M. Mor. Chron. p. 3.*

III. Quæ hæc est, dicam, miseria, an insania, an socordia, an malitia? ubi tibi jacenti, ut erigat, Dei misericordia, dextram porrigit, nolle surgere, velle altiùs cadere, pertinaciter jacere, perenniter perire? Dubitas fors de Dei expedita, ut tibi succurrat, misericordia? Audi D. Hilarium: *Dei justitiam misericordem præstat criminosorum pœnis indulta patientia. Hoc in Deo præcipuum est; hoc in potente laudandum, non cælum fecisse, quia potens est; non terram fundasse, quia virtus est; non annum astris temperasse, quia sapiens est; non hominem animasse, quia vita est; non mare in accessu, ac decessu movisse, quia spiritus est; sed misericordem esse, qui justus est; sed miserantem esse, qui Rex est; sed dissimulantem, qui Deus est. Quod potens est, naturæ suæ virtus est; quod autem misericors est, salutis nostræ profectus est: & plus est non suis uti, sed aliis præstitisse, quæ sua sunt. Atque adeò præstat cæteris Dei operibus misericordia, quia magnifica ejus operatio, virtutis sua res est; misericordia verò ejus, usus alienus est. Ob quod tanquam in apice divinarum, ob misericordiam laudum, Propheta consistens, debitum Deo honorem, veluti publica confessionis effundit, dicens, postquam dimisset: Miserationes ejus super omnia opera ejus. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, &c.* *Hilar. Ps. 144. f 244.*

Tanta

Julius. Tanta est Dei misericordia, ut sufficiat, te agnoscas, & doleas miserum, ut tollat tibi miserias. Eris mox innocens, si doleas te fuisse nocentem: minima animi, ob commissa scelera, dolentis contritio; est commissorum scelerum remissio. Tu Deo debita omnia solvis, dum Sacerdos te à peccatis absolvit. Aperi Dei Vicario tua crimina; & mox anima tua erit tota pulchra, sine macula. Et contrà;

Crimina si celas, claudent tibi crimina cælum.

7. DIES IVLII.

Time, cùm arriserit Gratia; time, cùm abierit; time, cùm denuò revertetur. *S. Bernard. serm. 54. in Cant.*

Timendū & cum gratia, & sine gratia. 2 *Cor. 6.*

I. ECce hîc pro tribus punctis triplicem timorem. Triplicem priùs timendi causam ex S. Bernardo accipe: *Gratia cùm adest, time, ne non dignè operaris ea; nam hoc monet Apostolus: Videte, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* O si non nesciremus, quantum insit momenti cuilibet temporis momento, ad incrementum gratiæ, & augmentum gloriæ! nullum efflueret temporis punctum vacuum aliquo virtutis exercitio: quælibet respiratio oris, esset ad Deum aspiratio cordis. Si sciremus, quanta nobis sit promissa merces: vel semel ex præscripto virtutis agentibus; foret intolerandum nobis, cùm possemus centum virtutis opera exercere, unius nobis copiam eripi: & quod consequens est; accessionem gratiæ illi responsuram. Non multum à te petitur; ut sis optimus, tantum imitare pessimum, hoc est, hominem avarum: fac tantum pro augenda gratia, quantum ille pro accumulanda pecunia: pudeat te non facere pro Dei domicilio, quod facit avarus pro uno obulo. Non plus à te poscitur pro magna gratia, & gloria, quàm quod ultrò peccator molitur pro vitio, & tartaro. Esto cum laude; imò cum lucro avarus gratiæ, & attentus lucris cælestibus, sint tibi quælibet temporis feriæ, virtutis comparandæ nundinæ. Nunc dies est salutis, potes beneficio gratiæ te salvare. Veniet nox, quando non licebit negotiari. Time ergo, ne si modò negligas negotiari, ante ipsam noctem, veniat tibi illa nox, qua tibi nolenti cum gratia operari, nihil supersit, quàm æternùm cruciari.

II. Non modò timendum, cùm gratia arriserit, sed cùm abierit. Rationem ex citato Bernardo accipe: *Si recesserit, multò magis timendum est: quia*

quia ubi tunc deficit gratia, ibi deficis tu. Time ergo, substractâ gratiâ, tanquam mox casurus. Quis in tam misero statu non timeat à casu? quis non timeat ab eo remotus, qui solus potest amovere omnia timenda? quis nō horreat, cùm in pectore habeat, & foveat, quod est horribilium horribilissimum peccatum? Fors primum, quod committes scelus, erit ultimum, quo mensuram impleas scelerum? Sicut enim divina Justitia certam singulis Regnis, Provinciis, urbibus constituit mensuram, certo numero, & gravitate peccatorum definitam; quâ impletâ, in vindictam exurgit bello, fame, peste, aliovè modo inferendam; ita & singulis hominibus terminum posuit, & annorum, & peccatorum. Quæ porrò, sit illa mensura, illi soli exploratum est, qui omnia disposuit in numero, pondere, & mensurâ. Qui ergo in primo peccato te poterat justè deserere, cur injustus erit, si te deserat in millesimo? Tu cupis perire, quid mirum, si deserat perire cupientem? Quid facit Deus? an semper patiatur se contemni? ut jam non putetur esse amplius Deus, qui scelerum judex, & sceleratorum sit vindex? Clamat ejus justitia, clamant Angeli de cælo, clamant cacodæmones ex orco, clamant, qui injuriam sustinent in terris: *Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus.* Quid mirum, si audiat has voces? si in inimicos suos exurgat, & in eos exardescat? Time ergo, remotâ à te gratiâ, quia tunc propinqua tibi est justitia. Julius. *Psal. 67. 2.*

III. Nec solùm formidabilis tibi sit gratiæ à te abitus; sed ejusdem ad te reditus. Audi ejusdem Bernardi rationem: *Iam si gratia repropitiata redierit, multò amplius tunc timendum, ne fortè contingat recidivam pati.* Qui sæpè relabuntur in easdem, easque mortiferas noxas; hoc habent metuere, ne non possint, in ultimo vitæ periculo, emergere è luto. Quomodo seriò volet, omnia illa esse abolita peccata, quorum propè necessitatem induxit diuturna consuetudo? Quod si dixeris te vadum non posse tranare mane, cùm aqua adhuc exigua est: vesperi, cùm alveus plenus est, & flumen instar maris exundat, quomodo tranare poteris? Si tibi difficile videatur, novellam adhuc vitiorum plantam eradicare; quid facies, ubi profundissimas radices egerit? Quis tibi promittet victoriam contra mille peccata, qui jam prosterneris ab unico peccato? Cassus est labor, & spes inanis; cùm homo, totâ ferè anteactâ vitâ, immanium pondere criminum jacuit suppressus, consurgere velle jam hinc exiturum, & tunc velle bene vivere, dum desinendum est vivere. Nimis, quàm verum est illud;

Quod nova testa capit, inveterata sapit.

Julius.

8. DIES IVLII.

Quod est sanitas ad videndum solem, hoc est gratia ad implendam legem. *S. August. contra Faust. l.* 15.

Gratia est lux animæ.

I. SIne Dei lege, & gratiæ luce, vivimus tanquam homines fascinati, inter tot lumina, cæci; inter tot mysteria, stupidi; inter tot beneficia, ingrati; inter tot stimulos, obdurati; ad tot voces, & clamores, surdi; inter tot divinos ardores, frigidi: cæcutimus, ut noctuæ; pugnamus, ut Andabatæ, palpamus in tenebris, ambulamus in laqueis, circumdamur innumeris periculis. Ubi non est lex, ibi non est lux. Necesse est, ne incedendo erres, videre SOLEM: necesse est, ne peccando pereas, implere legem: sine lege, jaces in fæce; sine sole, involveris nocte. Est rerum, quæ in sensus cadunt, lux facilè princeps; tam clara, ut neminem lateat; tam præstans, ut nemini hactenus satis perspicuè pateat, sciaturque potius quid non sit, quàm quid sit. Est enim lux, mundi decus, cæli risus, colorum flos, hilaritas naturæ, vita rerum: gratia solis, oculorum delitiæ, Regina formarum, recreatio spiritus, Dei simulachrum, vinculum universi, admiratio sapientum, paludamentum Creatoris. Ut tenebris nihil funestius; ita & luce nihil venustius. Et tamen sic laudata lux, gratiæ tantùm est umbra.

II. Cùm necdum audira fuisset illa vox procedens à Patre luminum: *Fiat lux; terra erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi.* Dum non affulget lux gratiæ, homo est terra, quia nil nisi terrena sapit: est inanis, quia cùm sit cælestium inanis, & nil nisi inania meditatur; quasi nihilum, & inane reputatur coram Deo: est terra vacua, quia cùm nunquam illi vacat vacare rebus divinis; vacua est anima ejus coram Deo: tenebræ sunt super eum, quia est filius tenebrarum: est quoque abyssus, imò in eo abyssus peccatorum, abyssum invocat miseriarum. At ubi anima audit dicentem: *Surge, qui dormis, & illuminabit te Christus.* mox nihil eo formosius, nihil amabilius oculis Dei, tametsi super solem lucidis, & qui totus, erat tenebræ, & caligo, & nox; subitò lux est: & ut filius lucis, seu radius quidam lucidus per cæli templa incedit; omnium cælestium oculos in se convertens, & ipsius adeò Regis æterni aspectus exhilarans. Si nobilissimi corporis lux est effusa participatio, quæ se in stellas, & specula, cæteraque pellucida penetrat, à Deo profecta gratia, divinam ejus, cum animis, quos subit,

Gen. 1. 3.

Ephes. 5. 14.

ſubit, naturam communicat, quorum intueri ſpeciem qui cupit, illumina- Julius.
ta ſole cryſtalla ſi cernat, ſoles planè in iis ſe totidem cernere affirmabit.

III. Quid vitreo ſpeculo, atrore, ac materia, contemnendo pulchrius, ardentius, purius, cùm adverſum ſolem repentè conceperit? At hoc ludicrum eſt circulatoris è trivio, præ majeſtate animæ excipientis non ſolùm Dei imaginem, ſed ipſummet cum gratia Deum; nec modo quolibet, verùm pulcherrima, & præſtantiſſima, quæ in eo elucent, trahentis. Ut porrò, lux, cæleſtium corporum maximè affinis, gaudet iis potiſſimùm ſeſe oſtentare, quæ habent aliquid cæleſte, velut ſunt ignea, & pellucida: non diſſimili modo illic regnat ſplendidiùs gratia, ubi plus flammæ incendit charitas. Inter hæc verò præcipuè eminet lucis in tenebras poteſtas tanta, ut omnes quantumvis denſatas nigrore, ac immenſitate fuſas, momento diſſipet; ſed multo adhuc citiùs, multoque potentiùs peccati ſæva, & feralis nox, vel tenuiſſimo gratiæ radio, depulſa evaneſcit. Sed quod pretium gratiæ maximè commendat, eſt, quòd Deus aſſumpſerit carnem humanam, ut pretio ſui ſanguinis, hoc eſt, infinito, eam nobis emeret, emptam tribueret. Inſtituit pretioſiſſima, quibus comparetur, Sacramenta: ſunt ad eam obtinendam, prompta Angelorum miniſteria, & interceſſiones Sanctorum: totius Eccleſiæ, ſponſæ Chriſti ſolicitudo, cura, negotiatio, in eo eſt, ut acquiratur, & conſervetur. Quot, quibuſque modis agit Deus in anima, ut præparetur gratiæ? Ut autem obſerves Dei legem, conſerva Dei gratiam; aliàs eveniet, quod dicit Poëta:

Exlex qui vivit, meritò ſine lege peribit.

9. DIES IVLII.

Virtus, nullo honeſtamento eget; ipſa & magnum ſui decus eſt, & corpus ſuum conſecrat.

Seneca Epiſt. 66.

LEris virtute vacuus, ſi gratia in te fuerit vacua. Cum hac ubi incepe- Gratia manu-ducit ad virtutem.
ris negotiari, ſtatim ad Virtutis te manu-ducet contubernium, ut cum ea tibi frequens ſit commercium: ab illa, magnum tibi accedet ornamentum; quia ipſa ſibi maximum ſui, nullius egens, eſt honeſtamentum. Corpus, quod inhabitat Virtus, ut demiſſa è cælo, & immiſſa à Deo, conſecrat. Quid porrò, & qualis ſit virtus, quantumque illius ſit decus, docebit

Digitized by Google

Julius. te M. Aurelius, sic ipse moriturus, ad Commodum filium suum: *Virtus, est arx inexpugnabilis, amnis impervius, mare innavigabile, ignis inextinguibilis, thesaurus inexhaustus, exercitus invictus; onus, quod non fatigat; explorator, qui semper redit; speculator, qui non fallitur; iter, quod non sentitur; amicus, qui semper subvenit; pharmacum, quod semper sanat; fama, quæ nunquam perit.* Hæc satis ad virtutis commendationem: utinam, & ad commendatæ exercitationem. Primâ fronte terret, quia bona mens, recti conscia, vix se potest expedire à seditiosis intra se affectuum motibus, & inter turbas ad pernicios a ruentes; inter tot hostium pedicas, & insidias; inoffenso gradu, rectum virtutis iter tenere.

II. Virtutem prodes exercitio virtutis. Sellularij suum artificium monstrant in opere; parùm refert, quomodo operentur: Sutor cothurnum, sartor togam, faber tripodem, aurifex calicem, in argumentum, & gloriam sui artificij possunt ostendere, & inde se ostentare. Maxima virtutis commendatio, est actio; nescit illa feriari, quia est negotiosa. Virtus non tantùm vult à nobis coli, sed vult nos se uti: illius tamen usus, non, ut cæterarum rerum, perit cum usu. Quodlibet virtutis opus, quod uno tempore semel exercuisti, habes omni tempore; hoc te ubicunque comitabitur, & rarâ fide etiam in morte, imò etiam post mortem. Quid proderunt conditi cum cadavere thesauri, nisi restituere terræ, quod à suis visceribus avulsum? Defuncto nihil: solùm Virtus insepulta juvat sepultos. Non est mors formidabilis iis, qui habituri sunt aliquid post illam: solùm est terribilis iis quibus omnia, quæ habent, auferet. Virtus, est hæreditas posthuma, quam mors non tollit, sed attollit. Necesse est, virtus sit res bona, quam laudant etiam mali: imò optima; cùm eam extollant etiam pessimi. Cur virtutem in aliis, qui eâ præcellunt, extollimus; in nobis, dum eâ excellere nolumus, deprimimus? Suspicimus justissimos, sanctissimos, fidelissimos virtutis alumnos, ut alienæ à nostra speciei viros, quasi eorum actus ad nos non spectarent. Idcò laudamus, sine invidia; miramur, sine imitatione, quam aut irritam, aut nobis non consentaneam censemus.

III. Sic equum à prolixo crine commendamus, at nos capillum non promittimus. Gloria illa animalis, est extraneæ naturæ, non nostræ; idcò quod in equo tribuimus laudi, in nobis contemnimus. Canes, à persecutione, & morsu feræ æstimamus: nos rictum illibatum, & innocentem servamus. Negamus ad nos spectare alterius generis laudes: ita nobis extraneam virtutem putamus; colimus, non excolimus; admiramur, non imitamur. Quosdam consecrat virtus usque ad simulationem sinceram divinitatis, quasi nihil nisi divinum, aut cæleste spirarent, tanquam factitia quædam

dam Numina. Vigor animi, majestas vultus, suada sermonis, beneficentia manus, in quibusdam Heroibus, quasi divinitatem quandam objecit Barbaris. Cur, quam etiam mali suspicimus in illis virtutem, nos ipsi despicimus? In brutorum animalium nos naturam transmisimus, cur noluimus in divinam? Animalium proprietates alienas contraximus; leonibus furripimus iracundiam, scaris libidinem, lupis furacitatem, accipitribus voracitatem, murænis perfidiam, formicis avaritiam, polypis simulationem, stellionibus invidiam, vulpibus fraudulentiam. Centones brutarum pecudum sumus; si imitemur vitia pecudum, cur non imitamur virtutes hominum? cur non furripimus, vel saltem in nobis exprimimus Humilitatem D. Antonij, paupertatem Francisci, charitatem Augustini, pietatem Dominici, magnanimitatem Athanasij, castitatem Aloysij? Soliciti sumus, ut fiamus ferini; at ignavi, ut divini. Quæ major ignavia, quàm magna diligentia, quâ magna omittimus bona? Qui tam es solers, ut colligas lutum, quid es tam iners, ut colligas aurum? Julius.

Collige thesaurum, qui gemmas vincit, & aurum,
Tollere quem nequeunt fures, nec rodere mures.

10. DIES IVLII.

Omnium virtutum tutela facilior est; vitia magno coluntur. *Seneca de Ira. c.13.*

I. PAucis laudavi nunquam satis laudatam, nec laudandam Virtutẽ, cujus magnitudo opinionem superat, cujus utilitas opes, cujus pretium vitam: nullo virtutem taxare pretio potes, quod non injustum sit, & infra ejus æstimationem. Quid, si spectes, quàm magno colueris, quàm carò emeris vitia? stupore deficies? Aspice pretium, quod imposuisti avaritiæ, voluptati, libidini, imò pœnitentiæ, nocturnas vigilias, diurnas molestias, immanes labores, incredibilia tædia, intolerabilia fastidja, præsentia pericula. Pudeat, majori labore parare sibi damna, quàm lucra; perniciem, quàm salutem. Attende, an non sit promiusiter ad virtutes, quàm ad vitia? Quis tam est debilis, cui vires, quas in vitiis exerit, ad virtutes non sufficiunt? Majoribusnè quis indiget viribus, ut sit helluo, an, ut sit sobrius? ut sit blatero, an, ut sit taciturnus? ut sit diligens, an, ut sit piger? ut sit frugi, an, ut sit nauci? ut sit honestus, an, ut sit nequam? Quisque si voluerit, magi- Virtus vitio facilior.

Junius. magistrâ experientiâ discet, minori labore, & majori fructu fieri posse, ut quis sit optimus, quàm ut sit pessimus: plus enim animi requiritur in malo, ut sit malus, quàm virium in bono, ut sit bonus. Quid mansuetudine otiosius? quid irâ laboriosius? quid clementiâ remissius? quid sævitiâ negotiosius? Iter ad Virtutis clivum adeò non est salebrosum, ut etiam plano adeatur.

Chrysost. in Ps. 7. II. Planum id fiet auctoritate Aurei Oris: *Considera, si voluerit quis ulcisci quempiam, quot mala patitur: furore repletur, ab ira discerpitur, movet innumerabiles fluctus cogitationum, mille vias ingreditur: invadit eum timor, pavor, & tremor; quomodo offendet, quomodo rem perficiet; & ante eum, quem est injuriâ affecturus, seipsum perdit: qui autem iram expulit, ab his omnibus liber est, & jure certè: hoc enim est in potestate ejus, & universum confecit. Sed illud non item, sed & opportunitate opus est, & loco, & dolo, & maleficio, & armis, & machinationibus, & offensionibus, & adulatione, & simulatione. Vides, quàm res sit facilis, Virtus, difficile autem vitium?* Quis tanti emat perire? Minori labore ascenditur ad cælum, quàm descenditur ad orcum. Facilius est virtutes consequi, quàm vitiis obsequi. Major est molestia, bona acquisita amittere, quàm acquirere. Maximâ emimus ignaviâ ignominiam nostram. Virtus dicitur difficilis, quia nos ad socordiam nimis sumus faciles. Lucem iniquè appellabis inaspectabilem, quòd cæci illam non videant. Componamus exactè utrumque; Vitium & Virtutem, & utriusque ad ea acquirenda, labores.

l. 2. epist. 240. III. Expendamus cum Isidoro Pelusio (qui Vrstenuphium ab hac opinione subduxit) *utrum ex his duobus difficilius sit, sexcentos thesauros perscrutari, an præsentibus facultatibus contentum esse? diu, noctuq, turpes quæstus, ac serviles numerare, an fragilitatem amplecti, atque amare? omnes ladere, an lasis opitulari? cum legitima uxore congredi, an alienas nuptias violare? incurabili avaritiæ morbo laborare, an ab hujusmodi furore liberum esse? dolos nectere, an citra fraudem commercia cum aliis habere? Tribunalibus molestiam exhibere, an quietem agere? Bona ad se nihil attinentia rapere, an etiam sua largiri? In negotiorum, ac criminum cæno volutari, an à negotiis & timoribus immunem esse? De multis rebus, quæque perfici nequeunt, in cura & solicitudine versari, an in otio vivere? Nunquam satiari, an ne ea quidem amare, quæ post satietatem etiam contumeliam accersunt? Navigare, ac naufragia pati, an in portu sedere, atque aliorum naufragia spectare?* Non tantùm Virtutis acquirendæ, quàm vitii major est facilitas, sed jucunditas. Gula enim sexcentos morbos habet appendices, dolores capitis, apoplexias, paralyses. Divitias sequuntur timores tui, invidiæ alienæ. Cur difficile putas consequi virtutem, quam faciliùs auro invenies?

Digitized by Google

nies? Non eſt opus confractis terræ oſſibus, exſectis montium viſceribus ſaxa è latebris eruere: occurrit, ſi quæris? illa te quærit. Claudo itaque cum Poëta; Julius,

Quæras virtutem, ſi vis reperire ſalutem.

11. DIES IVLII.

Interrogas, quid petam ex Virtute? ipſam. nihil enim eſt melius; ipſa ſui pretium eſt. *Seneca de beat. vit. cap. 9.*

I. NOn modò Virtus eſt facilis, ſed pretioſa: ut nullum ſit majus pretium operæ, quàm acquirendis virtutibus omnem adhibere operam. Unde, quærenda eſt virtus, propter virtutem; quia ſui non tantùm eſt honeſtamentum, ſed pretium, imò & præmium: ſicut contrà, & vitium ſui eſt opprobrium, imò & ſupplicium; quod tamen paſſim avidè conſectantur homines copioſè inopes, ingeniosè ſtupidi, feliciter infelices. Vide quàm ſit diverſa vis amoris ſati ex Venere, & Virtute. Hic amando, amati beneficium intendit: ille & ſibi, & amato perniciem ſtruit. Ex amore probi oritur Virtus: ex improbi furor. Probi amor, in amicitiam: improbi, in odium definit: ille gratuitus; hic mercenarius: ille maſculus; hic effœminatus: ille laudem incitat; hic inſaniam provocat. Tuo nunc judicio: uter amor pretioſior; & ſi in nundinis uterque venerit, pro quo licitareris? quid dubitas? quidquid eſt pretioſum, à virtute accipit ſuum pretium: ideò pretioſa eſt caſtimonia, ideò temperantia, ideò prudentia, quia eſt virtus. Itaque omne, quod eſt pretio dignum, vel eſt Virtus, vel reſpicit Virtutem. Sed quia trahit ſua quemque voluptas, quàm ſit voluptas præ virtute, voluptatis inops, accipite non à Catholico, ſed Ethnico. Ita Seneca: Virtus ſui eſt præmium, & pretium.

II. *Altum quiddam eſt virtus, excelſum, Regale, invictum, infatigabile: voluptas, humile, ſervile, imbecillum, caducum; cujus ſtatio, ac domicilium, fornices, ac popinæ ſunt. Virtutem, in templo invenies, in foro, in curia, pro muris ſtantem, pulverulentam, coloratam, callo ſas habentem manus: voluptatem latitantem ſæpiùs, ac tenebras captantem; circa balnea, ac ſudatoria, ac loca, Ædilem metuentia, mollem, enervem, mero atque unguentis madentem, ſqualidam, fucatam, & medicamentis pollutam.* Sic ipſe. Nos palantes per magna pericula, in majora, per omnia *De vit. Beat. c. 7.*

Julius. omnia voluptatis præcipitia; per omnes clivos potentiæ; per omnes avaritiæ latebras multiplicamus vota; quærimus, quod destruimus quærendo, transultando de rebus ad res, repetimus luminum Bonum, unde recessimus; sed ignorâmus viam, velut ebrij, domum reverti nescimus. Virtus, solùm via est ad vitam beatam. Quid jam causari potes, nisi difficultatem virtutis; quæ licet beatitudinis sit via, ad ipsam hanc viam, aliam nimis miseram viam esse? Erras, si miseram vocas, qua itur ad beatitudinem? sicut errares, si beatitudinem diceres viam miseriæ? Quid putas, non tanti faciendam virtutem, ut per mala petatur? cur tanti feciſti malum, ut per bona peteres? O ineptiam! per falsissima bona, ad verum malum cucurriſti? & per mendacia mala, ad verum bonum non ibis?

III. Ne porrò, per vias invias devies, dum tendis ad Æternitatem; quàm sit dispar via vitij & virtutis, D. Hieronymus docebit: *Vide, quanta sit inter has vias separatio, quantumq; discrimen: illa, ad mortem; hæc, ad vitam: illa celebratur, & teritur à multis; hæc vix invenitur à paucis: illa enim vitij per consuetudinem, quasi declivior, & mollior, & velut quibusdam amœna floribus voluptatum, facilè ad se rapit commeantium multitudinem; hæc verò, insueto calle virtutum tristior, atque horridior, ab his tantùm eligitur, quibus non tam delectatio itineris cordi est, quàm utilitas mansionis.* Epist. 14. ad Celan. Non minus eleganter utriusque viæ à se distantis intervallum aperit D. Ambrosius: *Duæ sunt viæ: una justorum, altera peccatorum: una æquitatis, iniquitatis altera. Iustorum via, angustior est: iniquorum latior: illa sobrietatis angustior; hæc ebrietatis laxior, ut possit capere fluctuantes. Hîc libertas est cupiditatum; illic servitutis injuria: hîc convivium; illic jejunium: hîc intemperantia gaudiorum; illic perseverantia lachrymarum: hîc saltatio; illic oratio: hîc cantus dulces; illic graves gemitus.* In Psal. 1. Vide, quam viam eligas; ab ejus enim delectu pendet, ut sis inter paucos electos. Ubique sunt tenebræ, in tenebris insidiæ. In loco caliginoso ne erres, opus est luce, & ne illa extinguatur lucerna: *Lucerna pedibus meis, verbum tuum.* Psal. 118. 105. Lex Dei, est lux cæli; hæc sit pedibus tua lucerna. Dic ergo cum Poëta:

Vt meliùs cernam, porto de nocte lucernam.

Julius.

12. DIES IVLII.

Semper necesse est, ut nitatur ad profectum; qui semper vult vitare defectum. *S. Anselmus lib. 2. epist. 37.*

I. IN virtutis tramite debes ambulare, nullo tibi præfixo limite. Ubi statuisti, nolle in via virtutis progredi: jam tunc cœpisti regredi. Alterutrum necesse est: vel, ut ascendas ad collem virtutum, vel, ut descendas ad vallem vitiorum. In extremo Italiæ, columna fuit, quam Autharis, Longobardorum Rex, cuspide hastæ suæ tangens, dixit: *Vsque huc erunt Longobardorum fines.* Cave unquam talem figas in virtutis semita columnam, cui inscribas: Usque huc erit mihi proficiendi in Virtute finis. Piorum voluntas, nullis definitur finibus, ante vitæ finem; nec ullis circumscribitur cancellis, studium proficiendi. In excelso Dei palatio, à summo Imperatore limites constituti sunt. Nobis impressa sint illa Magni Caroli verba: *Plus ultra*; ut partis non contenti, ad nova decora semper animum extimulemus, ardoremque innovemus. Faciamus, quod feciſſe Ethnicos Imperatores, commemorat Mamertinus: *Quacumque pulcherrima facitis, continuò transitis, & ad majora properatis; ut dum vestigia vestra miramur, dumq; vos adhuc esse in conspectu putamus; jam de vobis audiamus longinqua miracula.* Est proprium generosi animi, sic versari in hoc vitæ studio; ut non priùs gradum figat, ut quiescat, quàm dicere possit illud inclyti in Virtutis curriculo Stadiodromi: *Cursum consummavi.* 2. *Tit.* 4. 7.

In virtute semper proficiendum.

In Panegyr.

II. Virtutes diu, multumque expoliri debent; ut gloriæ coronam, quot meritis, tot veluti gemmis collucentem efficiant: nam gemmæ, teste Tertulliano, *tardè teruntur, ut niteant; & subdolè substruuntur, ut floreant; & anxiè forantur, ut pendeant.* Non ut fungi subitò unâ nocte, impetuque nascuntur, & fiunt; sed multo, & subtili artificio indigent, ut Regiâ chlamyde, & honoratis cervicibus dignæ videantur. In hoc debet sudare nostra industria, ut virtutum gemmis simus visendi, & meritis pretiosi. Phocionis uxor dicere solebat; Ornatum omnem suum, & muliebrem mundum esse, mariti sui res præclarè gestas. Nos decus, & gloriam nostram non debemus mutuari ab opibus, sed præclaris facinoribus: & in hoc omnem conferre operam, ut in die crescamus virtutibus. Audi divinum divini Au-

De hab. mul. c. 6.

Plutarc. l. de Music.

Digitized by Google

Julius. *Serm. 15 de verb. Apoſt.* guſtini pronuntiatum : *Semper adde, ſemper ambula, ſemper profice ; noli retrò redire, noli deviare : remanet, qui non proficit ; retrò redit, qui ad ea revolvitur, unde jam abſceſſerat.* Aſcendit virtus, dum procedit; proficit, dum proficiſcitur; creſcit, dum progreditur; ſurgit, dum pergit. *Quod immobile eſt,* (ait Chryſoſtomus) *omninò inutile eſt : quod verò movetur, ad multa conducit.* Sic virtus otioſa, quæ ad opera ſe non movet, ad ſalutem non promovet.

Hom. 3. in Gen.

III. Vacua eſt vita, quam non implet bene vivendi, ac proficiendi cura. Verè dixit Poſſidonius; unum eruditorum diem plus placere, quàm ineruditorum longiſſimam ætatem. Quid ni? anteferenda eſt una hora bene exacta; imò unum momentum, æternitati otianti. Sacra res, tempus eſt, è cælo trahit originem motu, & converſione orbium: inde oritur, ubi æternitas viget; ad ſuam originem reducendum eſt, & in tempore quærenda Æternitas. Fruſtra vivit, qui non bene; at, qui malè, peſſimè moritur, mortem vitalem patitur : mors eſt, quia ſine fructu vitæ : vitalis, quia cum damno, & pœna. A vite tua racemos petis; ab arvo, ſegetes; à campo gramina, ab arboribus fructus : cur fructum tui contemnis? carent opera tua fructibus, dum operans, non proficis virtutibus. Qui expectas fructus à tuis, cape priùs à te. Agit animam, cujus animus nihil agit. Verè Jamblichus, ex Samio Philoſopho : *Omne bonum*, ait, *re, & uſu conſiſtit, non cognitione.* Eſſe bonum, eſt benè agere, & ſic agendo proficere. Iners eſt ars periti Medici, niſi procedat ad manum, & pharmaca pellendo morbo applicet. Non curabunt languentem cogitationes doctæ, & ſcientia medendi; niſi adhibeas medicamenta. Ita non ſanatur animus, ſubtilia intelligens, ſalutaria eloquens, ſed bona benè faciens, & ſemper proficiens. Noli igitur in virtutis ſtadio ſtare; ſic ſtando cades, cadendo jacebis, ac tandem jacendo, peribis. Hodie deficit, qui cras tantùm vult proficere. Noli ergo hærere, & in craſtinum differre, quia

Dum repetis cras, cras, ſenſim dilabitur ætas.

Julius.

13. DIES IVLII.

Si prudentia una adsit, jam continuò unà cum ea, omnes virtutes aderunt. *Aristoteles l. 6. Ethic. c. 12.*

I. ORdior, acturus de Virtutibus, ab illis, quæ, quia mores excolunt, Morales vocantur; & ab ea, quæ inter illas tenet principatum, Prudentia. Hæc nunquam incedit solitaria; sed denso, eoque honorato, non multarum, sed (ut Tessera prædicta innuit) omnium virtutum choro circumsepta. Prudentia enim, (non illa Politica humani cerebri filia, ideoque virtus spuria) sed emissa cælitus, infusa divinitus, est arcana ars res bene gerendi, norma salutis, lux operum, dux operantium, prima lex Regni, Phosphorus justitiæ, obses pacis, & ut Abimiser ait, *Clavis totius utilis, ac via totius spei.* Et qui ea præcellunt, sunt augures boni, auspices æqui, tenaces recti, sequeltres veri, in quibus magis videtur Philosophia, quàm auditur: qui futura longè prospicit, antequam eveniant, ut tanquam de specula prævidisse videatur; qui velut alter Janus, à fronte, à tergore respicit, prospicit; adeoque præterita cum præsentibus, & futuris confert: imò, qui non tantùm à fronte, & occipitio est oculatus, ut Janus; sed centoculus, ut Argus, cui est & præsentium scientia, & præteritorum reminiscentia, & futurorum providentia. Prudentia est prima inter virtutes morales.

II. Prudentiæ effigies fuit illa, quæ Israëlitis, per vasta deserti, in terram lacte, & melle fluentem, præluxit, eoque deduxit, ignea illa columna. Hæc una non tantùm ne per invia, & devia errarent à via, qua esset eundum, suo lumine, quasi digito ostendebat, sed ut rectà irent, præcedebat. Hæc, adversus solis violentiam per diem fundebat umbram: adversus lunæ rigorem, per noctem præstabat flammam. Sumus in hac vita, velut in via ad patriam peregrini, viæ nobis terendæ sunt præcipites, nunc saxis asperæ, nunc obductæ sentibus, nunc gurgitibus interciſæ, nunc torrentibus rapidæ; ut laborare, hærere, cespitare, labi, necesse sit, nisi è cælo nobis præluceat ignea illa columna, Prudentia. Hæc una est, quæ tribuit gladium Judicibus, ut eo rectè utantur; fasces Consulibus, ut Rempublicam solerter moderentur; tela Tribunis, ut ea in hostes cautè usurpent; sceptra Regibus, ut ditiones suas feliciter gubernent; coronas Imperatoribus, ut summa cum gloria Imperij tractent habenas. Hæc ignea columnâ maxi-

Digitized by Google

Julius. maximè elucet, dum per anfractuosas turbulentorum affectuum semitas, velut per prærupta petrarum, ac rupium, præcipites homines rapiuntur: Prudentia enim efferatos in mutuum exitium animos edomat; spiritus ferociter exultantes emollit; æstuantium irarum fluctus componit, debachantes compescit; prudentia siquidem frænum est, quo homines in gyrum modestiæ compelluntur.

III. Ut intelligas, quid agat in Republica vir prudens, oculos in navim, ejusque Gubernatorem, ac nautarum vulgus conjice. Nam cùm quidam vela erigant, & obliquent; alij antennas demittant, alij remos lentent, rimas obturent, malos ascendant, per foros excurrant, sentinam exhauriant; Gubernator interim, clavo assidens in puppi, navim placidissimus moderatur; dum laborant alij, ille quiescere; dum negotiantur, ille otiari videtur. Sed ô vim, sine viribus admirandam! O laborem, absque laboribus operosum! desine mirari: plus ille facit ad clavum sedendo, quàm singuli quantumcumque sudando, laborando, currendo. Idem facit, qui ad clavum Reipublicæ sedet prudens Gubernator, dum alij in officinis operantur; alij in campo præliantur; alij in foro vociferantur: ipse velut è clavo Gubernator, omnes ventos observat, ad illos se accommodat, clavum vertit, donec Reipublicæ navis, coronata puppi, læto vectorum celeumate, in felicitatis portum provehatur. Hæc una Virtus sit tibi semper in oculis, quia, ut prudenter de Prudentia Bion; Illam, dicebat, tanto cæteris virtutibus antecellere, quanto cæteris sensibus præstaret visus. Nam oculi prælucent toti corpori: nec ulla est virtus absque prudentia. Quomodo enim justus reddet cuique suum, nisi Prudentia commonstret, quid, cui debeatur? Potes tuto incedere quocunque calle, præeunte hac duce: cum illa, securus vadis etiam inter vada, cautus inter cautes: nunquam, illâ comitante, cades. Suffragatur mihi Poëta:

Non de ponte cadit, qui cum prudentia vadit.

14. DIES IVNII.

Prudentia, est recta ratio agendorum. *Aristoteles l. 6. Ethic. cap. 5.*

Quid sit Prudentia. I. QUàm paucis, quàm multa! Est primùm, Recta ratio, id est, certum & liquidum judicium de singulis rebus, quæ agendæ, aut omittendæ proponuntur. Hinc eruo objectum ejus materiale, esse actiones omnes humanas, s

humanas, sive quæ à libera hominis voluntate proficiscuntur. Formale verò objectum, est honestas objectiva, ex actione medium inter excessum, & defectum tenente, progerminans. Quia sola honestas, est velut album, in quod collimat insomni oculo, & perspicaci intuitu Prudentia; cùm circa materiam negotiatur, & ejus mediocritatem solicitè rimatur. Est honestas & aliarum virtutum moralium objectum formale, sed hoc discrimine, quòd sit aliarum, prout est bonitas quædam: respectu verò Prudentiæ, prout est veritas. Cùm enim Prudentia sit virtus intellectus, necessariò semper tendit in verum; idque non speculativum, sed practicum. Unde concludendum est, in thesauro illo copiosissimo virtutum moralium, nullam gemmam esse pretiosiorem; atque inter dotes animi Christiani, Prudentiam videri donum maximum, & pulcherrimum divinitatis. Julius.

II. Quærit Philo, cur primo loco ponatur Prudentia, ut Princeps cæterarum; quam, honoris veluti causâ, hinc fortitudo, inde temperantia sequantur? Cujus rei, summo ingenio rationem excogitavit. Ait enim, tres humanæ animæ esse partes: Rationalem, in capite, ubi ratio dominatur: Irascibilem, in pectore, ubi calidi ardor sanguinis cor ambit: Concupiscibilem, in inguine, quæ pars inferior est corporis, esse collocatam. Jam ergo, pro ratione partium corporis, atque ordine à Deo sapienter collocato, virtutum eximia dignitas cognoscitur. Prudentia, ut Domina Rationis, & Gubernatrix Consiliorum præsidet in capite, ut in acropoli veneranda. Fortitudo, & temperantia humiliùs habitant. E tribus autem, velut in trichordo aureo fit harmonia longè suavissima, quam nominamus Justitiam; quæ quarta, est virtus Cardinalis. Justum est, ut, quod est in homine præstantissimum, illud imperet; obediant verò, quæ deteriora existimantur. Ponamus igitur Rationem, moderante Prudentiâ, sceptro uti, parere concupiscentiam, aliasque partes inferiores: justissimus oritur dominatus, eâdem Prudentiâ omnia dirigente; & quadriga illa per domos, urbes, provincias vehitur, convehens secum pacem, securitatem, felicitatem, & quandam bonorum omnium Cornucopiam.

III. Quapropter censendus est stare in ipso felicitatis apice, quisquis pervenerit ad culmen Prudentiæ: quia Prudentia attingit omne bonum potentiæ rationalis: illa potentia, gemina est, intellectus, & voluntatis; utraque habet pro suo objecto aliquod bonum: intellectus, verum; voluntas, honestum. Jam verò Prudentia in primis perficit voluntatem, dum illi subministrat vires, nervos, robur; ut sine luctu, facile; sine ignavia, promptè; sine hæsitatione, firmiter in bonum suum, id est, honestum, feratur. Perficit & intellectum, circa suum bonum, id est, verum; dum eum

Digitized by Google

Julius. promptum, facilem, & expeditum reddit ad assensum certum; & in eo firmatur, ut non abducatur ad falsum. Vir igitur consummatè prudens, est summè felix, quia est simillimus felicitate, superis, qui immortali felicitate fruuntur: illorum enim felicitas in eo consistit; quòd potentia rationalis, omnibus viribus, & modo perfectissimo tendat in bonum omni ex parte infinitum: Intellectus in Verum: voluntas in bonum. Jam verò, nemo in hac vita nec perspicaciùs penetrat, nec firmiùs adhæret, nec clariùs intelligit Verum; quod est bonum intellectus, nec faciliùs movetur, aut fortiùs fertur, aut sæpiùs tendit in Honestum, quod est bonum voluntatis, ut vir prudens. Itaque hæc sit clausula, hæc summa omnium laudum, quæ proferri possunt pro Prudentia: hic colophon ejus commendationis: hæc coronis elogiorum ejus. Nemo in hac vita mortali felicior, aut perfectior viro prudente; cùm Prudentia, sit complexus omnis perfectionis, compendium omnis felicitatis. Sed hæc felicitas, quæ nascitur ex Prudentia, non acquiritur stertendo, nec ludendo: quia

Non fies prudens, si es multo tempore ludens.

15. DIES IVLII.

Nullus fidelior tibi ad consilium potest esse, quàm qui non tua, sed te diligit. *Gregor. lib. Registri.*

Consultatio. I. QUid sit Prudentia, docuit hesternæ: quid agat, docebit hodiernæ diei Tessera. Tres sunt celeberrimi, Prudentiæ, quos elicit actus: Consultatio, Judicium, consultationem claudens, & Imperium. Consilio stant regna, urbes, domus. Dictum Biantis est: *Considera, & postea, rem aggredere.* Quòd si Consultatio, actus Prudentiæ est; multò magis Judicium, consultationem claudens: quia totus ille consultandi labor non tendit, nisi ad formationem hujus judicij proximè prælucentis voluntati, & pronuntiantis de mediis ad finis consecutionem. Sed quia parum prodest consultare, & judicare, si judicium sistat in intellectu, nec progrediatur ad opus; ideo ultra duos actus Consultationis, & Judicij necesse est accedere tertium, actum Imperij, quo rectè judicata, mandantur executioni. Hi sunt tres illi aurei fætus, magnæ illius Reginæ, quæ virtutum omnium est moderatrix. Itaque prudentis animi cogitationes, & consilia debent esse in edito, veluti, loco posita, ut in specula, & vigilia quadam consulari; quæ non modò ea, quæ ante pedes sunt, sed & longè dissita prospiciunt.

II. Ne-

II. Necessariam esse in omni re majoris momenti, Consultationem, non est probandum, sed credendum. Dubitari possit, qui sint in consilium adhibendi? In primis, si juxta hodiernam Tesseram, is sit habendus inter consultores, primus, *qui diligit non tua, sed te.* quis priùs est consulendus, quàm *magni consilij Angelus*? vel, ut Cyprianus interpretatur, *Magnæ cogitationis nuntius*? Deus, cùm vellet crudam adhuc, & exlegem Synagogam divinis imbuere moribus, & excolere legibus, & monere, ut dubiis in rebus ad se recurrerent; Propitiatorium fieri curavit, sive Debir, id est, oraculum, sui Numinis veluti domicilium, unde consulentibus responsa daret. Eamque ob causam, Sancta Sanctorum, Domum consilij vocabant; unde arcana promerentur consilia, Numinis sanctione fusa. Delphis, Apollinem Pythium, ut commune orbis terræ oraculum posuerunt; ut Dei oratione moniti, atque instructi omnes, domum compotes consilij redirent. Sit pectus tuum, velut olim apud Hebræos, Propitiatorium, in quo commoretur *Magni consilij Angelus.* Deum tibi semper in dandis consiliis, ex hoc Propitiatorio experieris propitium. Malè tibi consules, si eo inconsulto, primùm te consulas. E cælo petendum est, quod in terra discernendum. Plerumque in consultando seducitur, qui impetu ducitur. Julius. *Isai. 1.*

III. Rarò errat, qui bene deliberat: ut porrò bene deliberes, liber sis, necesse est affectuum servitute. Varia in hoc mundo, velut in amplissimo atrio proponit Deus bona, mala, mediocria, pejora, meliora, pessima, optima; omnia humano reliquit, ut decernat, judicio; ut eligat, arbitrio; ut exequatur, imperio. Sed priùs, os Domini interroga: deinde spectandum, quid hic, aut ille vir cordatus, aliquando fecerit in simili negotio; quod consilium est Epicteti: *Cùm aliquid negotij tibi futurum est, cum aliquo, ex Proceribus præsertim, ipse tibi proponito, quid in ea re futurus fuisset Socrates, vel Zenon; ita fiet, ut te ratio non deficiat, qua id, quod objectum fuerit, ritè administret.* Tu, tibi propone Franciscum, Dominicum, Ignatium, magnos illos divinæ Sapientiæ è cælo haustæ interpretes. Dein seu solus, seu cum aliis consultationem instituas: pone tibi ante oculos præterita, quæ, scilicet, in tali casu expertus es ipse, vel alij, quidnam contigerit, quem res sortita sit exitum: ac simul futura, quid expectari debeat in hac, vel altera vita. Quòd si alios consulas, sint senes, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientiâ validum sit: Adolescentum animi plerumque parum providi, iique molles, & ætate fluxi, dolis haud difficulter capiuntur. Nec errat verbum vetus; *Consilia senum, hastas juvenum esse.* Deinde fortunâ variâ fuerint exerciti. Reverà enim; quod nocet, docet. Et appositè de se Mithridates: *Mihi fortuna, multis rebus ereptis, usum dedit bene suadendi.* Denique permittenda *C. 5. Enchir.* *Plutarch.* *Sallus in frag.*

Julius. *Tacit. 1. Hist.*

tenda est illis, quos consules, libertas; ut fortiter, non obnoxiè, sententias dicant: *Nevè* (ut acutè Tacitus) *cum fortuna potius Principis loquantur, quàm cum ipso.* Qui sic consulit alios, consulit sibi: atque ita bonum consilium erit consultori optimum. Si Poëtam consulas; accipies hoc ejus responsum, velut effatum:

Consilio factum, non pœnitet esse peractum.

16. DIES IVLII.

Memoria, est vis animæ, accepta retinens, præterita repetens, elapsa recolligens. *S. Augustinus de Spirit. & Anim. c. 37.*

Memoria. I. A Laude Prudentiæ, ad octo ejus partes integrantes; quarum beneficio, octo Beatitudines facilè consequi poterimus, oratione sumus prolapsi. Hæ sunt, Memoria, Intelligentia, Docilitas, Solertia, Ratio, Providentia, Circumspectio, Cautio. Memoria est præteritorum; qualia sunt experientiæ variæ, dissimiles eventus, res benè gestæ, vel quæ ob hominum imprudentiam, & temeritatem, luctuosissimo aliquo fine terminatæ fuerunt. Quò referuntur, monita sapientum, consilia exquisita, prudentum responsa, legum voces, historiarum annales, Patrum sententiæ, præterita studia: quorum opportuna recordatio, ad Prudentiæ florem plurimùm juvat. Romani veteres pinxerunt Prudentiam vultu triplici; ut quæ tria potissimùm tempora, præteritum, præsens, futurum complecteretur. Ad præterita sese explicat Memoria, respiciendo; ad præsentia verò Intelligentia, inspiciendo; ad futura, Providentia, prospiciendo. Prudens itaque, præterita cogitat, præsentia ordinat, futura providet. In tria hæc tempora, vita dividitur, quod est, quod fuit, quod erit. Ex his, quod agimus, breve est; quod acturi sumus, dubium; quod egimus, certum. Homo prudens, præteritorum meminisse, agere præsentia, futura cavere debet. Sed paucis hîc de Memoria.

II. In Memoria est præteritarum rerum firmum quoddam, & stabile domicilium, ac locupletissimus thesaurus, in quo ad omnem diuturnitatem tutissimè impressa, ac fideliſſimè signata rerum innumerabilium vestigia, ac simulacra reconduntur, ac conservantur: quæ collapsa, cùm ex intervallo recurrunt, vim hanc Reminiscentiæ, Recordationem appellant.

Acci-

Accipe nunc fertilissimos fructus, velut ex cornucopia, quos Memoria profert. Quis se non modò felicem, sed propè beatum in hac vita existimaret; si in rebus incertis, cùm deliberat, in dubiis dum ambigit, in obscuris dum excutit, in perplexis cùm timet, haberet semper ad manum virum aliquem catum, prudentiâ excellentem, consilio præstantem; qui & obscura clarissimè elucidaret, & perplexa facillimè enodaret, & dubia certissimè explicaret: qui denique in omni eventu quid agendum esset, quid omittendum, aperiret? Parum dixi. quid, si non in Provincia, in qua vivis; non in urbe, in qua degis; non in domo, in qua habitas; sed in musæo, in quo studes; in ipsis penetralibus ædium tuarum haberes pro voto tuo concilium omnium præstantissimorum Heroum; quos tota posteritas vel admiratur propter Prudentiam, vel veneratur propter Virtutem. Si in illo concilio, cùm de rebus Medicis consuleres, Galenus, Hipocrates, Avicenna; cùm de Bellicis, Alexander, Cæsar, Hannibal; cùm de Civilibus, Plato, Cato, Solon; cùm de Philosophicis, Socrates, Pythagoras, Aristoteles; cùm de arte Oratoria, Tullius, Demosthenes, Hortensius; & ita singularum scientiarum selectissimi forent Antistites, nónne securissimam vitam agitares? Julius.

III. Quod tibi est in voto, habes in manu; tale Concilium, vel potiùs theatrum potes Memoriæ beneficio obtinere; quia, quando quidem præteritis ferè respondeant sequentia, cùm eadem jam sit Natura, idem naturæ Auctor, eædem naturæ causæ, ejusdem naturæ homines, eadem Dei providentia, ex præteritis intelligemus, quid sit in præsenti opus; atque adeò, hinc etiam futura quis poterit providere. Hæc sententia est D. Antonini: *Qui memoria altiùs repetierit hominum congregationes, exercitus, agriculturas, nuptias, pacta, ortus, interitus, judiciorum turbas, regionum vastitates, barbarorum gentes, ferias, luctas, nundinas: in summa, qui colluviem illorum, & ex contrariis præteritorum compositum acervum, tantasq; imperiorum mutationes revolverit; is etiam futura prævidere poterit, Quippe, eandem hæc habent cum præteritis formam, neque alio possunt modo fieri. Itaque etiam idem est, quadraginta, an decies millium spatio annorum vitam humanam examines; nihil enim amplius videbis.* Sic ipse. Itaque vivunt beneficio Memoriæ mortui; adsunt nobis absentes; proximi nobis sunt maximo terrarum intervallo sejuncti. Unde prudenter dixit Seneca: *Qui nihil de præterito cogitat, vitam perdidit.* Addo, erit in vita homo perditæ vitæ. Cave igitur ab iis, quæ Memoriæ vim hebetant; quæ, teste Poëtâ, sunt hæc: L. 7. n. 37.

Ebrietas, somnus, tempus, dementia, morbus,
Tollunt de mentis cista, quæ noverit ista.

Digitized by Google

Julius.

17. DIES IVLII.

Intelligentia est, per quam animus prospicit ea, quæ sunt. *Cicero de finib.*

Intelligentia.

I. PRudens non tantùm præterita respicit, quod obtinet beneficio Memoriæ, sed & præsentia inspicit, quod acquirit præsidio Intelligentiæ. Est autem Intelligentia, cognitio præsentium, & rerum, de quibus agitur, clara præceptio; sine qua præstans illud judicium fieri nequit. Quare intelligentis est, non tantùm res leviter aspicere, quod & brutæ pecudes faciunt; sed inspicere, imò accuratè introspicere; quia intelligentia, est intima negotij præsentis introspectio; sive attenta, non oscitans, aliovè aversa rerum præsentium æstimatio. Itaque vir prudens, & intelligens ex apertis obscura æstimat; ex parvis magna, ex proximis remota, ex partibus tota. Hoc autē illustre fulgentis animi jubar, quo intima quæque, & abditissima Intellectui pateant, & ex recessu in aspectum prodeant; non potest ab alio, quàm à Sole Justitiæ derivari: potest tamen hæc acies Intellectus acui cotę seriæ, & crebræ considerationis; sed in primis, maximo opere laborandum est, ne istud lumen ab eo, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, animo infusum, vel sensim minuatur, vel penitus extinguatur. Hoc facilè cavebis; si, quanta sit dignitas Intellectus, percipias.

In c 6. Matth. 21.

II. D. Chrysostomus Intellectum confert cum oculo. *Quod oculus est corpori, hoc Intellectus est animæ. Sicut, postquam corporalium oculorum lumen extinctum est; pleraque jam membra usu, & officio destituta sunt: ita & mente cæcatâ, innumeris malis vita tua scatebit.* Qui videt, & in videndo est perspicax, sexcenta pericula oculorum subsidio declinabit. Si foveam videat, declinant pedes, ne incidant; si hostem à tergore videat insequentem ferro, fugit, ut mortem effugiat: paries, vel arbor ei opponitur? cavet, ne impingat: currus, vel equus ei occurrit? deflectit, ne lædatur. Denique plurimis, ac præsentissimis se periculis eximit, tum præsidio lucis, tum obsequio oculi. At verò, si sol occidat; si lux se subtrahit; si densæ incumbant cælo tenebræ, & opaca nox terram involvat; quoties ruet, impinget, allidetur, & tandem collidetur? Nullum ei officium possunt præstare pedes, quia nescit quò vadit; nec manus, quia ignorat, quid tangat; nec lingua, quia dubi-

dubitat, quem alloquatur. Eadem, & majora incurris damna, dum animæ lucidus ille Sol, deserit horizontem Intellectus, mentique occidit. Pedes intrant per viam illam latam, quæ ducit ad interitum : manus concinnant iniquitates, vel texunt aranearum telas : os bibit calicem illum meretricis Babylonicæ, plenum luxuriâ, & abominatione. Hinc bene eodem loco Chrysostomus : *Quando lucerna extinguitur ; quando gubernator mergitur; quando dux ipse captivus, quæ tandem obedientibus supererit spes salutis? Ita si occæcamus istum oculum, quo aliis quoque debemus lumen inferre; unde jam ipsi poterimus aspicere?* Julius.

III. Attende, quantus subinde error contingat in tenebris. Cleonice Byzantia Virgo, noctu ad Pausaniæ Lacedæmoniorum Ducis cubiculum aliquanto serius, quàm constitutum erat, veniens, manu lumen gestans, quod à custodibus acceperat; cùm pedem offendisset, & non sine strepitu, ad terram extincto lumine concidisset; Pausanias experrectus, è strato exiliit, insidias veritus, cubiculique ostium, ut in tenebris poterat, petens, Cleonicem gladio transverberavit. Extincto lumine, extincta est vita. Debet tenebris noctis, quod tam citò diem obierit. Proximus es, ut conjiciaris in tenebras exteriores; dum desinis esse filius lucis. Dum à carnifice, reo clauduntur oculi velo, conclamatum est, tunc imminet vertici gladius; nihil tunc supereſt, quàm ut minuatur capite. Sic extinctâ luce Intelligentiæ, es in præsentissimo periculo, ne cadas in foveam. Quisquis est rationis particeps, idem est & compos Intellectus: sed non quivis Intellectus pollet illâ, de qua hîc ago, Intelligentiâ. Sunt enim quidam, qui sive ex hebetudine, & stoliditate; sive ex nimia præcipitatione, & instabilitate mentis, non pervadunt propositiones, de quibus pronuntiandum est: hærent in earum extrema cute, non scrutantur viscera, stant solùm in vestibulo, non adeunt penetralia, tangunt corticem, non pertingunt ad nucleum. Intellectus, ut polleat intelligentiâ, faciat omnium rerum anatomiam; videat, quid res sint, non quomodo appareant: nec sit rerum judex, qui est cæcus Amor; quia

Quisquis amat cervam; cervam putat esse Minervam.

Julius.

18. DIES IVLII.

Non parva pars scientiæ est ; scienti conjungi.
S. August. Conc. 2. in Psal. 36.

Docilitas. I. DOcilitas, est vis animi accommodata ad plurium rerum cognitionem, ab aliis capiendam. Non esse à gradu, & dignitate sapientis alienum, ab aliis doceri, audireque aliorum consilia; communis omnium sapientum vox est. D. Basilius: *Planè non est exigui momenti beneficium, quod à prudente, & benevolo Consule emanat consilium. Quippe, qui suo adventu supplet, quod defit Prudentiæ, consilium de re quapiam captantibus.* Homerus, ex hoc capite maximè putat laudandum Agamemnonem, quòd haberet apud se Nestorem, sapientiâ præsulem, cujus in rebus ambiguis uti consilio posset pleno prudentiæ & felicitatis. Et sanè, sine illo consultore, nihil ad Troiam capiendam profuisset, vel ad victoriam tantam consequendam, vel Achilles animosus, vel clypeatus Ajax, vel sagittator Teucer, vel strenuus Diomedes, vel sceptro insignis Menelaus, vel callidus, & dolo Princeps Ulysses. Plus profuit illi unus Nestor suo consilio, quàm obfuit omnis hostis suo exercitu. Sæpè fieri solet, ut animus, aut rerum magnitudine solicitus, aut honore periculi attonitus, rebus ipsis indormiat, jaceatque. Verùm, cùm accedunt boni, & periti consiliorum participes, rogatis, auditisque eorum sententiis, mirificum in modum mens, animusque exsuscitantur ad omnia, quæ in negotio sunt, aut cum eo conjuncta percipienda.

Inc. 1. Isaiæ.

L. 16. c. 40. II. Prodigio proximum est, quod de Lauris refert Plinius: Si stipiti Lauri duo inter se committantur, & collidantur, ex attritu emicare subitò ignem. Sic ingenia Laureata, & Apolline sacro digna, si consilia sua conferant, lux, ardorque oriuntur, & mirum quantum ad negotium strenuè, & prudenter obeundum juvant. Plura scies, si te conjungas scienti. Sed hîc opus est magnâ sagacitate in selectu eorum, quos consules. Qui periculosè decumbit, bulliente in venis igneo febrium ardore, non advocabit, valetudinis recuperandæ causâ, pictorem, vel sutorem, vel bubulcum; sed filios Medicorum, ipsum si potest Machaonem. Nec præfectus bellicarum regionum consulet Medicos de insidiis, de obsidione urbium, de stratagematis, deque aliis Mavortiis facinoribus: sed Tribunos militares, exercitatos in omni genere præliorum, triarios, emeritos, veteranos. Quis, si

pretium

prorum gemina cognoscere cupit, cur barbarum confulat? quis, ut ve- Julius.
rum aurum à mendacio dignoscat, explorum sibi? Hic nullis rationi-
bus fieri potest, eoque negotiorum eft ignarus, de illis non consilium foum explicet, eademque promoveat. Nullius ergo, dum deliberat, consilio, nisi earum rerum, de quibus deliberamus, ratione, scientia quoque adhibita.

III. Nec tantum in quem consilia, etiam, ad quod, non tantum in Instructio Prudentiæ, fed virtute, Judicium amus, & Nummis reverenda. De facris, parere consilium à profano; de virtutum absolutarum, à vitiofo, de manfuetudine, à furiofo, de fugiendis falutis impedimentis, ab eo, qui falutem ipfe fuam profligit, de fobrietate, ab ebrio, cæterum, nec fatis fine periculo poteft. Audimur ille D. Ambrofius: *In re quovis confilio, Ex offic. plurimum vita prodeft, virtutum præcipuum, benevolentia, quæ judicium præ- lib. 3. cap. 8. fidentia eft. Quis enim à cano fanctus requiratur? quis à turbido aqua potum petat? quis medicum à languente, cum nihil interdum vita ejus à quovis- quam non petat judicem confidio fuperatum, quem vidua infirmum novimus? Itaque nec eft dubitandum, nec contendere pars. An vero cum elementa putabo, qui mihi dat con- filium, quod tandem fuis? Et cum mihi naturæ crudum, qui fibi non naturæ, quas- animum valetudo accepit, libido dirimat, avaritia fubigat, cupiditas perturbet, ignorat mentis? quomodo fis confilio bene, ubi malus quem? Itaque è cupere fla- rentem in omnibus, qui peraget, fuccellum; fi vella omnia ex voto, nihil contra votum evenire; fi cupis evitare infelix, quæque fugiendo fis perfe- ctus, inanem cupere, quæ non fentis fuperos, plurimus, quibus pretium fit- tium, quos confulis, fint non modo prudentes, & fcientes, fed Dei timen- tes, fint graves, fed non gravi, quos*

De prærogativa, laboris in virtutem.

19 DIES. IVIII.

Solertia, eft fubtilicas quædam medii inventiendi par- val deliberationes. *S. Albertus in Pfal.*

Solertia.

SOlertia, quæ eft una ex honoratis Prudentiæ pediffequis, indicat prompta, & vividus animi motus, quo ingenii celeritatem. De fic- ent ftatu laudat is cum venatici ingenioli ingenio eft fortitum, & prompti poffe in prædam incidere: fic in meme fit rectis, expeditis, facilis eorum, quæ cernuntur, cognitionis. Hanc vim in Alcibiade laudit valerius, *Fun lib.* 5 f 3 quem.

Digitized by Google

Julius. quem memorant consilij,& prudentiæ fuisse pleniſſimum. De quo Æmilius Probus in vita sic habet, cùm illum omnium insidiarum præsagum ostenderet: *Erat enim*, inquit, *eâ sagacitate, ut decipi non posset; præsertim, cùm animum attendisset ad cavendum.* Est itaque Solertia, subita conjectatio ex ingenij celeritate, absque multa,& diuturna antecedentium ratiocinationum

In Iulian. c.25. discussione. *Sunt nonnulli, qui* (ut loquitur D. Augustinus) *ad intelligendum quodammodo plumbei*, non nisi improbo labore,& tardâ singulorum expensione pertingunt ad Prudentiæ exercitium; cùm è contrà alij, quia Intellectus pernicitate vigent, & ingenij celeritatem (ut de Julio Cæsare dixit

L.7.c.26. Plinius) *quodam igne volucrem habent*, longè celeriùs,& de fine,& de mediis ad eum consequendum pronuntiant. Emicat igitur in his, laus ingenij, celeres motus, à natura sortiti; quæ, quo major in aliquo fuerit, eo major ad consummatam Prudentiam facultas suppetet.

II. Quæris jam præsidia acquirendæ illius tantopere commendatæ Solertiæ? Nihil est, quod hominem, tametsi obtusissimam habeat mentis aciem, bardi planè sit ingenij, tardique Intellectus, adeò reddat ad excogitandum solertem, ad inveniendum sagacem,& ad agendum expeditum, atque Amor. Solertissimus est Amor, quia rei, quam expetit, obtinendæ, est validè appetens, ideò perpetuâ cogitatione versat rationes, & vias, quibus confici res possit; eam undique contemplatur, & circumspicit, quæ illam attingant, quæ circumstent, quæ præcurrant, quæ consequantur: Inhiat omni occasioni illius assequendæ; atque ita cerebrum crebrâ specierum agitatione incalescit; sicut attritu, ferrum: sicque non tantùm illa mentis veluti rubigo detergitur, & torpor excutitur; sed spiritus, qui in cerebro residunt, quasi radij quidam lucis calidiores, ac subtiliores fiunt; alijque subinde puriores procreantur. Itaque phantasia objicit Intellectui puriora,& plura phantasmata. Intellectus verò, voluntatis imperio obsequens, majori sese contentione applicat, investigando, quæcunque instituto serviunt; eaque pertractans, mira aliquando exprimit, atque excogitat. Hujus solertis Amoris stratagematis plena sunt Annalium monumenta. E sexcentis accipe unum.

III. Ægrotabat in Japonia, puella infans, quam mater infidelis, morti proximam baptizari non sinebat. Aderat unus è Patribus nostris; dolebat is, animam perire, quæ undâ unâ poterat servari. Ut servaret, usus est solertiâ: ille, observatâ in moribundi facie, maculâ, à matre petit, ut sibi potestatem faciat, ejus abluendæ; quâ impetratâ, intingit partem strophioli aquæ; exprimit aliquot guttas aquæ, pronuntiat tacitè verba Sacramenti; atque ita non tam ablutâ facie, quàm Animâ per Baptismum, eam illicò

transf-

Digitized by Google

tranſmittit in cultum. Habes hîc compendium æquitatis Solertiæ, triplex Judicium eruditi iuris, duplex Studium, unus verbo, duo. Vis effe ſapiens, diſtribue, ſolerti, Ant. Unum eſt plorare dignum: quod cum duplex ſit amor, ſocer, & profanus, divinus, & humanus, homo ſuorum bonorum amans, & adeò ſolers, & perſpicax, ut videatur tenax dignus: ſi verò humanum amans, ſit adeò cæcus, ut videatur Polyphemus. Illa ita videndo, eſt Aquila: hîc, eſt Noctua: ille, in perpetuis nox quæ nocet, habet oculum Lynceis: hîc, in quibuſdam, quæ proſunt, habet oculum talpæ. O! ſi quis effet impenſæ amans Dei! quæ præclara media ſibi ſuggereret pro Solertia, quibus Dei gloriam propagare, & ſua merita augere, & alterum ſalvi facere poſſet: quoties, dum in peccatum hominem proverti effe luciferas, reſpondo alio ſole inte ſubbecerari? quoties, dum aëreus mundus à maledictis ejus tradiceretur, ingeniosè ſermonem serperet: quos peccendi occaſiones, pro dolo declinaret: quos delinctos impenſo ad fingrum, ſalutari effuſu redueret. In iſtiuſmodi ſolertibus hominibus triumphat Amor divinus; triumphatur Amor humanus. Hoc fiet inhumanus, imò vix humanus: quia ille mors eſt cæcus, & excæcat. Liquet id ex Poëta:

Quiſquis amat injuſtus, juſtum putat ipſe voluntum.

20. DIES IVLII.

Ratio, eſt affectus mentis; quæ bonum, malumque diſcernit, virtutes elegit, Deum diligit. S. Auguſt. de Ver. & ſer. an.

RAtio, prout eſt pars Prudentiæ, eſt facultas ratiocinandi, & colligendi unum ex alio, & comprehendi multa inter ſe, & diſcernendi in eârum luce ponendum, quæ concoctionem inter ſe habeant, quæ diſcrepent, aut repugnent, quæ ſint alia mediorum, & priſtinationis. Quia Prudentia maximè natur conſultatione, & experientiæ ſimium, ac collatione mediorum. Hæc autem omnes functiones in eo præſertim illuſtres tantur, qui ordinè, & in rue eſt, ex uno progrediatur ad aliud, quod eſt mentis ratiocinantis, quæ etiam facultas intellectus, dicitur Ratio. De ejus præſtantia Pſ. 138. 14. Pſ. 118. 73. Pſ. 31. 9. Pſ. 72. 25. Pſ. 118. 66. Pſ. 118. 125. Pſ. 142. 10. Pſ. 118. 34. Pſ. 118. 169. Pſ. 118. 144. Pſ. 118. 27. Pſ. 118. 73

Julius. *& nudum edidit, & imbellem, ac debilem, robur exiguum, velocitatem nullam penè; volandi facultatem omninò negavit; natandi vix parvam indulsit. Quid ergo? occultam, quâ se tueri posset, quasi scintillam concessi ei, quam Mentem, sive Rationem dicunt homines. Hoc uno se tuetur; hoc uno quidquid deest, resarcit; & reliqua, quæ concessa sunt corpori, explet: hoc uno singulæ, quibus reliqua antestant animalia, facilè compensat.*

II. Imbecillitas armata ratione, perpetuò vincit: vincitur robustior potentia, exarmata ratione. Pusillanimis est omnis calamitas; nihilque est, quod hominis animos adeò dejicit, & penitus prosternit, atque miseria. Tunc enim deficiunt vires, enervatur omne robur, exarmatur quasi animus, languet mens, torpet ratio; totus homo & corpore, & animo jacet. Tamen, si Ratio rectè suo fungatur munere, ac secum solerter differat; eludet homo omnia sævientis fortunæ tela, velut adamantino thorace munitus, & quasi ad saxum; ita ad firmum ejus, & immobile pectus, omnes ingruentium calamitatum fluctus frangentur. Deinde hæc promptè ratiocinandi virtus servit prudenti homini; partim pro scuto, quo contra invadentes se defendat; partim pro gladio, quo hostes ultrò invadat. Habet enim cornuta quædam in promptu argumenta, qua quidlibet suadere, vel dissuadere est expeditus. Tale erat argumentum Biantis: Hic cùm rogatus esset à quodam, deberetnè uxorem ducere, an vitam vivere cælibem? respondit: Aut uxorem pulchram habebis, aut deformem: si pulchram, erit communis; si deformem, erit tibi pœna: alterutrum autem non est bonum; non ergo ducenda est uxor. Sed uxorius aliquis adolescens, ratiocinandi peritus, facilè potuisset in hostem retorquere hoc telum, dicendo: Vel habebo pulchram, vel turpem: si pulchram, non erit pœna; si turpem, non erit communis: ergò ducenda est uxor.

Luc. 12. III. Quàm inconcinnè fuit olim argumentatus ille apud D. Lucam, dives opum, ac frugum; homo tamen minimè frugi: *Anima mea, habes multa bona reposita in annos plurimos.* Quid inde infert? Ergò, pauperes alam, ut Job? Ergò, peregrinos excipiam, ut Abrahamus? Ergò, fami publicæ providebo, ut Joseph? Ergò, derelictos visam, & mortuos sepeliam, ut Tobias? Ergò, oppressos, & viduas defendam, ut David? Nihil horum. Quid igitur? *Requiesce, comede, bibe, epulare.* Hæc vox est potiùs ex hara Epicuri, porci grunnientis, quàm hominis ratione utentis. Ad hoc semper enitere, ut Ratio semper inter omnes animæ facultates obtineat principatum. Eâ rerum potiente; nullum in Animæ interiori politia est dissidium, nullus tumultus cietur, nulla gravior cura mentem solicitat, nulla vis immanior eam de statu detorquet: Oculi, manus, lingua continent se intra gyrum

suæ

Digitized by Google

suæ stationis; nec longiùs, quàm par est, divagantur. Est igitur, tum status rectissimus, dum recta est ratio. At verò, cùm animum praui alicuius affectus truculentia rapit, & versat, & quocunque ei lubet, impellit: tunc Ratione è suo gradu deiectâ, mens furori, & dementiæ servit, tunc Libido faces accendit, tunc Auaritia menti tenebras offundit, tunc Iracundia sævam exercet tyrannidem, tunc amor, odium, spes, metus, liuor, & reliquæ pestes animum conficiunt: tunc animus excæcatus, cæcos reddit omnes affectus. Et quid inde sequetur, nisi illud Poëtæ; Iulij.

Cæcus, agens cæcum, facit ipsum sternere secum.

21. DIES IVLII.

Prudentis est prospicere; ne frequenter eum pœniteat sui. *S. Ambrosius epist.* 82.

I. PRouidentia, ad futurum pertinet; cùm intenta mens, in varios euentus, qui possunt, aut solent etiam contingere, rei apparatum, hoc, aut illo modo instruendum videt, ne spes frustretur, ne laudabili fine suo careat. Itaque sine Prouidentia, nec præcipitia videntur, nec apparet portus boni euentus, quo cymba negotiorum, tuto, ac molli appulsu dirigatur: & coguntur multi, illud acroama imprudentium ore inuito eiicere, *Non putabam*, scitè D. Ambrosius: *Fortis viri est, non dissimulare, cùm aliquid immineat: sed prætendere, & tanquam explorare de specula quadam mentis, & obuiare cogitatione pronidâ de rebus futuris, ne fortè dicat postea: Ideò in ista incidi, quia non arbitrabar posse euenire.* Hic igitur, Prouidentiæ fructus est vberrimus; quòd mala prævidendo, si non euitet, certè minuat. Prouidus fuit Diogenes, & maxima, quam ex stoicæ Philosophiæ arcanis præceptis hausit, scientia, fuit prouidentia. Vnde interrogatus, quid in Philosophia didicisset, respondit: *Prouidere aduersa, & cùm aduenerint, patienter ferre*, Nam, ut sapienter Seneca; *Quæ multò ante præuisa sunt, languidius incurrunt.* Itaque viri prudentes, continuò sunt quasi in specula, vnde futura prospectent. Hinc Tullius de se, aliisque senatoribus ait: *Idcircò in hac custodia, tanquam in specula collocati sumus.* Prouidentia. *l. 2. Offic. c. 38.* *Consol. ad Mart. c. 9. Philip. 3.*

II. Vos igitur, qui in specula domus, ut œconomi; in specula vrbis, ut consules; in specula Magistratus, ut senatores; in specula Reipublicæ, ut Præsides; in specula Prouinciæ, ut Gubernatores excubatis, ut possitis omnibus

Iulij. mnibus impendentibus periculis prospicere; si velitis speculatoris munere cum fructu, & plausu fungi, necesse est, Prouidentiæ virtute præcellatis. Nec tantùm in publicis; sed in priuatis quoque negotiis virtutem suam explicat Providentia. Hinc Salomon, doctâ, & symbolicâ sententiâ docuit: *Sapientis oculi in capite eius.* Caput vocat, quod est princeps, & præcipuum in opere. Quare hoc axioma sic illustrat Caietanus: Vident sapientis oculi, caput, id est, principium operis, qui finis est, & quod sequitur, media congrua, in quo, prudentia potissimùm elucet. D. Hieronymus per caput, Christum intelligit, in quo fixi oculi sapientis perpetuò hæreant, quẽ vnum operis ducem, & auctorem sequatur, ne contemplatione futilium, & humilium rerum, susceptæ à se actiones maculentur. Nam, qui ad lucrum, aut corporis lenocinia, aut pompam glorioſæ ambitionis, & alia sceleris instrumenta, conuertunt aciem luminum suorum, in calcaneis habere oculos, non in capite monet Gregorius Nyssenus: Illi oculi, terram continuò lambentes, & spectantes solùm præsentia; non possunt imminentia pericula, adeoque nec futura incommoda prævidere, nec cauere.

Eccl. 2. 14. *In c. 2. Eccl.* *In c. 2. Eccl.*

III. Filij lucis, oculum Providentiæ explicant, potissimùm ad nouissima, consilio Magni illius Legislatoris: *Vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent!* Qui hîc dignitate, gloriâ, opibus sunt primi; in alterâ vitâ sunt noviſſimi; quia in hâc non prouident, nec præuident noviſſima. Dæmon improbissimè satagit impedire, ne quis oculos coniiciat in noviſſima; ideoque illum Prouidentiæ oculum, qui se explicat, vel ad sepulchreta, ut mortem; vel ad vallem Iosaphat, ut Iudicium extremum; vel ad Orcum, ut supplicia; vel ad cælum, ut æterna contempletur præmia, excæcare conatur. Refert Plinius, Getulum Pastorem, sub Claudio Cæsare, irruenti in se leoni pallium iniecisse; eoque facto torpuisse leonem, & trepidum substitisse, eodemque spectaculo in arenam deducto, deprehensum fuisse; vim omnem leoni in oculis esse, quibus ligatis, superbam illam belluam fieri imbellem, ac ingum pati. Non fugit dæmonem; quanta sit vis in oculo illo Providentiæ, dum ad noviſſima extenditur; tunc homo velut Leo confidens, ad nullius calamitatis pauebit occursum: tunc insurgit magno nisu aduersus obluctantes hostes, leone ferocior. Quid igitur agit dæmon? nititur velare oculum istum, ut noviſſimorum eximat intuitum: sic enim facilè hunc leonem torpere, capi, ligari, & iugum subire. Sæpiùs igitur conuerte oculorum lumina ad mortuorum funera: & audi Poëtam, ut sis providus, consulentem prouide:

Deut. 32. *l. 8. c. 16.*

Disce quid es, quid eris; memor esto, quòd morieris.

22. DIES

Digitized by Google

22. DIES IVLII.

Iulij.

Speculator in alto debet stare per vitam, ut possit prodesse per Prouidentiam. *Sanctus Gregorius Homil.* 11.

Circum-spectio.

I. Circumspectio, est accurata omnium circumstantiarum perlustratio, quæ rem afficiunt, & cum ea coniunguntur: ut in hominibus ætas, opes, imperium, vires, dignitas, & id genus, alia considerentur; atque in ipsis rebus tempus, locus, & similia; quæ nisi cum animo reputentur, & intelligantur; vix Prudentia id præstabile, virtutum medium inuenire poterit, in quo tamen exquirendo laborat. Est igitur proprium munus Circumspectionis, metiri res, actionesque, & quid sectandum, quid fugiendum, quid prodesse, quid obesse, quid commodi oriri possit, vel incommodi, circumspicere. Nihil nos adeò, ut circumspecti simus, adhortari debet, quàm innumera, quæ nos vndique circumsident pericula; qui oppugnant hostes, quæ obvallant mala, qui nobis structi sunt laquei. Quare id quisque sibi, quod olim Ezechieli à Deo dictum, persuadet; *Speculatorem dedi te domui Israel.* Speculatoris est, esse in editissimo vrbis loco, in sublimi fastigio, in excelsa specula. Speculator non iacet in valle montis; sed stat in culmine turris. Deinde speculatoris est si velit suos numeros absoluere; non tantùm prospicere, quæ antè sunt; nec respicere, quæ retrò; nec suscipere, quæ infrà; nec aspicere, quæ à dextris, vel sinistris sunt; sed oportet eum, instar oculatissimi Argi, circumspicere. *Ezech.* 3. 17.

II. Dum civitas aliqua, circumsidentium militum coronâ, in toto ambitu obvallatur; si vnquam, tunc profectò debet vrbis Gubernator esse circumspectus; ne quis, hosti vspiam pateat in vrbem aditus. Quid est homo, nisi quasi quædam in Orbe vrbs? sic de eo Isaias: *Vocaberis ciuitas Iusti, vrbs fidelis.* Sed quàm sit hæc civitas parùm munita, quàm sint fragilia eius præsidia, quàm vitiosa mœnia, quàm malè materiati muri, docebimur oraculo Iobi: *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu.* Sed quomodo plasmauerunt? *Memento quæso, quod sicut lutum feceris me. Nónne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti. Pelle & carnibus vestisti me, ossibus & neruis compegisti me.* En qualis civitas? quæ mœnia? ex luto, quod ba- *Isa.* 1. 26. *Iob.* 10. 10.

Iulij. culo penetres? ex lacte, quod infantes exsugant? ex caseo, quem mures corrodant? ex pelle, quam scalpello dissindas? ex carnibus, quas vermes consumant? Quæ vrbs, vel muris infirmior? vel propugnaculis debilior? vel munimentis fragilior? Hæc tamen civitas ex luto, lacte, caseo, carne, nervis coagulata potiùs, quàm conflata, noctes, dieſque obsidetur, & à validissimis hostibus, quos timent omnes, etiam qui timentur, sine missione oppugnatur.

III. Dum tu dormiendo quiescis; dæmon cuniculos agit: dum tu te effundis in delitias; ille tibi struit insidias: dum tu segnis oscitas; ille classicum canit: scalas admouet & nunc oculis, nunc auribus, iam moribus, iam faucibus: dum assides mensæ, teque ingurgitas, occulit se in lãcibus, ut vnà cũferculis se insinuet in stomachũ: dũ vacas exhauriendis cantharis, mergit se in vino, ut per fauces influat in venas. Singula, quæ ad corporis officium numeras membra, sunt totidem hostis tui, quibus te infestat, arma. Circumspice, & nusquam non videbis vel hostes, qui te oppugnent; vel arma, quibus possis oppugnari. Quidquid Deus tibi concessit ad salutem, hostis tuus convertit ad tui perniciem. Sol ortus radios suos exerit? Prodis in publicum: vt vel videaris, à quibus videri, est arrogantia, vel ut videas, quæ vidisse, est luxuria. Ita per ipsam lucem solis obfuscat iubar mentis, & in luce facit te filium tenebrarum. Sol occidit? non tua cum sole occidit iracundia, oritur lascivia. Obvium habes in plateis amicum? blandiris. Occurris inimico? irascceris. Vides pauperem? despicis. divitem? invides. mulierem? concupiscis. quàm ergò oportet te esse circumspectum, vbi tot te circumstant pereundi pericula? vbi non sit punctum loci, in quo non sit hostis, qui oppugnet? vbi non sit momentum temporis, quo non oppugneris? Nunquam hic est securus, vbi semper ad radicem ponitur securis. Satis est, ut semper caveas, paueas, posse cadere.

Non stat securus, qui protinus est ruiturus.

23. DIES

Digitized by Google

23. DIES IVLII.

Nullum vitium, apertâ fronte in medium prodit; nisi mutuum priùs à virtute vultum accepe-rit. *Sanctus Chrysostom. Homil. de virt. & vit.* Iulij.

I. AGmen claudit inter honorarias Prudentiæ pedissequas, Cautio. Cautio.
Hæc omnia respicit, quæ vel per se mala sunt, & fugienda; vel inopportuna: vel etiam impedire possunt, quo minus quæ constitit, ratio recta sequatur. Magnum planè momentum habet in persequendis bonis, cautio malorum. Semper qui obstet virtuti, considerandum est, ne casu vnico totus labor pereat. Cautionibus plenæ sunt syngraphæ, & contractus: ne fraus subrepat. In rebus fortunæ nemo decipi cupit: in rebus salutis nemo non decipi propè ambit. Ratio præcipua, cur tanta sit vbique adhibenda cautio, hæc est, quia mundus, & omnia, quæ sunt mundi, infinitis obnoxia sint fraudibus. Nullum propè est incommodum, cuius pellendi non sit aliquod præsidium. Si nos vrit Sol, vmbræ succedimus: si iter conficere, est labor, equis vehimur: si mare traiiciendum, conscendimus navem: si frigore algemus, in promptu est focus: si sitis molesta, potu extinguimus: si imbres, ad tecta confugimus: si contagione locus aliquis infestetur, aliò migramus: vbique possumus adversus nocentia, fragilitatem nostram munire: sed quodnam adversus mundi insidias, pedicas, dolos, remedium, ut illa fugiamus, ne illa incurramus?

II. Remedia laborum, quæ mundus exhibet, ipsis profectò laboribus laboriosiora sunt: instar cauteriorum, quæ plagas non sanant, carnes exustas relinquunt. Frustrà mihi quisquam blanditur remedio, cuius patior tormenta. Malorum, quæ mundus suggerit remedia, sunt maiorum malorum germina. Vbi nobis suadet, ut vlciscamur aliquam contumeliam: id agit, vt in vlciscenda illa, sexcentas alias recipiamus contumelias: Si offert gloriam, illâ ipsâ refert ignominiam: si obtrudit lautos cibos, immittit multos morbos. Quid ni hîc accommodaverim illud Tullij: *Vrbem prodi-tis, dum Castella defenditis.* Sic perfide munde: dum nos suaviter lactas, crudeliter necas. Esto igitur cautus, si vis tot inter insidias esse tutus. Satius est *De Divinat. 2.*

Digitized by Google

Iulij. benè timere, quàm malè fidere. Mundus periculosior est blandus, quàm sævus. Etiam cùm caviſſe ratus, sæpè cautor captus est. Et necesse est caducis lapsibus elidatur, qui viam lubricam tenuit. Igitur, si sapis, mundum contemnendo, calca: à quo, cùm diligeris, calcaris. Tantò magis deseris Christum, quantò magis diligis, quod improbat Christus. Quanta dementia id velle; quod & nocuerit semper, & noceat? Vis paucis causam, cur cautum te esse oporteat, ne in mundo, decipiaris à mundo? expende verba Augustini: *Nemo in hac vita habuit gaudium, sine merore: pacem, sine discordia: quietem, sine metu: lumen, sine tenebris: panem, sine dolore: risum, sine fletu.*

Ser. ad frat. in erem. serm. 31.

III. Altera causa cur nos cautos esse oporteat, est: quòd tanta sit inter bona, & mala vicinitas; inter vitia, & virtutes affinitas, vt nihil sit difficiliùs, quàm alterum ab altero secernere. Ex porrò, caligine nostra, & vitij pro virtute, malique in locum boni se obtrudentis, fallaci specie profectum, ait Nazianzenus: vt homines in nominibus quoque aberrent, dicantque malum bonum, & bonum malum: *Morum*, ait, *constantia, & gravitati, fastus nomen imponitur. fortem, temerarium appellant: prudentem, & circumspectum, timidum: temperantem, agrestem, & inhumanum: iustum, asperum, & contumacem.* Cùm itaque, tam sint vicina vitia, & virtutes: quis non videt, cautelâ hîc opus esse? ne amplectamur pro Gratia furiam: ne bonum apparens, pro vero malo admittamus. Quàm cautè ambulat, qui incedit per vias spinis vndique horrentes, ne inde cruentus redeat. D. Bernardus exponens illa verba. *Sicut lilium inter spinas! O candens lilium! O tener, & delicate flos! increduli, & subuersores sunt tecum, Vide quomodo cautè ambules inter spinas: plenus est mundus spinis: in terra sunt, in aere sunt, in carne tua sunt: versari in his, & minimè ledi; Divinæ potentiæ est, non virtutis tuæ.* Hîc opus fugâ, vel cautelâ:

Orat. 20.

Ser. 48. in Cant.

Tutiùs est verè morsum fugiendo cauere;
Quàm propè serpentem procumbere virus habentem.

Digitized by Google

24. DIES IVLII.

Qui fit nimium iustus, ipso nimio fit iniustus. *S. Augustinus Tract. 95. in Ioan.* Iulij.

I. EXpositis Prudentiæ partibus, propono quædam eius præcepta, variis acquirendis virtutibus. Primùm, sit illud breue quidem verbis, sed plenum reconditis sensibus: *Nihil nimis.* Hoc est effatum; quod ipsa quasi Prudentia, ore magno sapientis dictasse videtur. Latè patet illius vis, & promanat ad multa, & frænos, quodam modo nobis in manu ponit, vt summâ animi æquitate omnia moderemur, nihilque nimium vrgere velimus. Magnus è Græcia Poëta describit Nestorem Antilocho filio prudentiæ monita suggerentem, vt in circuli certamine potiatur victoriâ, commendatque imprimis; vt *nimium* vitet. Ita in honorato huius vitæ circo: si nimium stringis, in metas incurris, rotisque euersis, naufragium inducis, si nimium laxes; ad Euripum abis, & longiori circunductione volitans, linquis æmulo victoriam. Quare pro Nestore Poëtico, nos illam Ecclesiastici vocem, quasi Dei, circumferamus: *Noli nimius esse, ne fortè offendas.* Absit à dictis, exuberans hyperbole; ab animi affectionibus, immoderatio; ab agendo, præcipitatio, à contentione, violentia, à severitate, rigor, à summo iure, iniuria. Verbo: fuge *Nimium.* Nihil nimis: modus vbique seruandus. *Iliad. 23.* *Eccli. 31. 20.*

II. Alioquin, & Religio desinere posset in superstitionem, & constantis animi robur, in pertinaciam, & tristitia, in desperationem. Periret magnis virtutibus, suus decor; animo quies conscientiæ; tranquillitas; benefactis meritum, benefacientibus præmium. Si de rebus alienis prædicas, ne nimium attollas, ne blandus, & leviculus adulator, neque deprimas, ne invidus, & inimicus videare. Ama illos, quos tuâ benevolentiâ dignos iudicabis, sed caue *nimium*, ne in motus animi turbulentos, & insaniam rapiaris. In arguendo si nimium instas, dum medicinam adhibere vis, plagam inducit graviorem, è qua stillans deinde cruor in pus vertat, subeatque in pectus, & memoriam obsideat iracundiæ seminarium, atque odij diuturni futurum. Quid Iustitiâ pulchrius? quam Aristoteles cum Hespero comparat, stellâ omnium amabilissimâ, cuius tamen conspicuus fulgor, Iustitiæ splendore vincitur. Absque illa, in chaos antiquum, & fædissimam omnium

Iulij. nium rerum confusionem, pulcherrima hæc rerum machina tecideret; cùm velut aureâ catenâ cælum terræ, Divina humanis connectat, & ordine suo contineat. Ecclesiasticus clamat: *Noli esse iustus multùm*, vel vt alij *Eccl. 7. 17.* vertunt, *Nimium*. Adeò illud nimiùm, omnium rerum venustatem deuenustat, elegantiam deformat. Quare, vt sapiens, Nimiùm fugiens, directam Prudentiæ viam tenebris, & placido omnium rerum cursu perfunctus, dices: *Medium tenuere beati.*

III. Adagium peruetustum est: *A Dorio cantu ad Phrygium ire.* Quod de iis dicitur, qui in re aliquâ mediocritatis transiliunt septa, & ab vno extremo statim ad aliud eunt: & qui faciunt omnia vltra modum, dum nullâ in re seruant modum: nec intra medij cancellos consistunt; cùm à vitæ genere modesto, & æquabili ad immoderatum degenerant, & à modestiâ transeunt ad intemperantiam. Moderatum enim, & graue erat genus Musicæ Dorium, incitatissimum Phrygium. De hoc modo admodùm *l. 5. ep. 3.* appositè Petrus Abbas Cellensis: *Non tam quatenus peruenerit, pensare debes; quàm quò pergendum, & peregrinationis meta figenda, atque trahendus funiculus. Ne tamen nimis extendas, & protendas funiculum, caue rupturum: Melius enim est tendere, quàm rumpere. Est modus in rebus: Ne quid nimis. An inuideo, quia citò, & benè curris? Nequaquam; amo cursum, sed timeo defectum. Virtutes non bene colligit, qui matrem virtutum spernit: à stirpe virtutum degenerat virtus, quæ lineam temperantiæ non seruat.* Ieiuna, sed non vt palpites, & respirare vix possis; accumbe mensæ, sed non vt succumbas gulæ; impallesce chartis, sed non vt affligaris morbis; vaca precibus, sed non vt deficias viribus: incumbe in studium, sed non vt frangas cerebrum: enitere ad perfectionis fastigium, sed non postea cadas in præcipitium. Declina à dextera excessus, & à sinistra defectus: medio tutissimus ibis. Suspice tanquam sacrum Apollinis axioma, hoc Poëma:

Preualet in cunctis, discreta modestia punctis.

Digitized by Google

25. DIES IVLII.

Remotâ iustitiâ, quid sunt Regna, nisi magna latrocinia? *Sanctus Augustinus libr. 14. de Ciuit.* Iulij.

I. PRudentia nunquàm incedit solitaria; eam, vel præcedunt, vel comitantur, vel subsequuntur aliæ virtutes. Has inter familiam ducit Iustitia; quâ remotâ, nulla stare potest vel Respublica, vel priuata familia. Democritus dicebat, duos esse Deos, qui res vniuersas gubernarent. Præmium, & supplicium. Vtrumque munus est Iustitiæ; quæ probis præmia, impiis infligit supplicia. Hoc vltimum non tantum est vtile, sed necessarium. Nisi enim parentur erronibus flagra, blasphemis forcipes, periuris equulei, hæreticis, ignes, homicidis gladij, furibus cruces, seditiosis carceres: plures essent in ciuitate fures, in semitis grassatores, in syluis prædones, vbique homicidæ, quàm in memoribus belluæ. Maximilianus Imperator, triplici spectaculo fertur delectari solitus. Primò, conspiendo campum, copiis militaribus instructum. Secundò, Chorum refertum Monachis. Tertiò, patibulum plenum furibus. Primùm, vrbes tutari dictitans: Secundùm, Religionem: Tertiùm, Iustitiam. Iustitia.

II. Sine hac, Regna forent omnium præda. Tot enim sunt passim malefici, & tot committuntur maleficia: vt si in crucem agendi forent, quicunque coram tribunali, Diuinæ id merentur Iustitiæ, defuturi videãtur & carnifices, à quibus supplicio afficerentur, & cruces, quibus affigerentur. Tot enim, deberent esse cruces, quot sunt ferè arbores. Scitè Macrobius: *Sine Iustitia, nec exiguus hominum cœtus, imò ne domus quidem parua constabit.* Rectè, quia si noxij nihil timerent, innocentes semper pertimescerent. Hi igitur duo, sunt Reipublicæ poli, præmium, & pœna. Licet pulcherrimum sui præmium, & pretium, ipsa sibi sit virtus: tamen pœnitet multos gratis esse bonos: vix est, qui credat grandem sui mercedem esse virtutem: quare appendice aliâ, præmio, necesse est provocari mortales. Adiicienda est mercedi sua soror pœna. Multitudo non rationi paret, sed necessitati: minorem sensum honoris habet, quàm doloris. Quare improbi, velut iumenta, afficiendi sunt ictu, aut metu: & quos pudor innocens *Sum. 1. §.*

Iulij. non vltrò cruenta';timor severus invitos consternat. Intremus scholam, in qua Magister non adest:quanti ibi clamores?quantæ insolentiæ? Spectemus exercitum sine disciplina militari:quæ non confusio, quæ non licentia,& immanitas? Intueamur Rempublicam, in qua nemo suspenditur, nullus agitur in rotam, nemo capite plectitur, nullus carcerem metuit:an non ibi omnia furtis, rapinis, homicidiis scatent? Ita si in mundo desit Iustitia;virtutes exulant,clavum tenent vitia.

III. Vtinam quilibet Princeps Catholicus tam foret æqui tenax, ac Imperator Ethnicus Traianus. Is Iustitiæ non tantùm, ne in suo periret imperio,conservandæ: sed vt floreret, observandæ fuit studiosus, vt aliquando ensem strictum Præfecto vrbi in conspectu omnium dederit,dixeritque:*Cape ferrum hoc, & siquidem Imperium rectè gessero, pro me;sin aliter, contra me hoc vtere.* Succedat Gentili Princeps Christianus. Cùm Fridericus Imperator Hungariæ, ac Bohemiæ Regem educaret, non defuerunt, qui pendendum suaderent puerum, cuius vita ingentes molestias Cæsari,mors Regna,& maximas opes esset allatura. Ad quos ille: *Ergo me opulentum magis Regem, quàm pium, quàm iustum cupitis? at ego Iustitiam, bonumq; nomen,diuitiis,cunctisq; rebus antepono.* Quisquis cupit in leges Iustitiæ iurare,eo sit animo, quo Cleon, qui cùm Reipublicæ administrationem capesseret, testatus est se iam omnium amicitiarum vincula velle soluere: quòd amici plerunque obstent, ne liceat vbique rectum tenere clavum. Quod si amicus quid petat,quod Iustitiæ repugnat legibus, reponat, quod Rutilius, qui amico cuidam,rem iniustam petenti, pernegabat: cumque is commotus per summam indignationem diceret: Quid ergò mihi opus est tua amicitia, si quæ abs te rogo, non facis? Imò, inquit Rutilius: Quid mihi opus est tua amicitia; si me vrgere cupis, vt in Iustitiæ leges, tuâ causâ peccem? Itaque, nunquam stateram transgrediaris: quia

Cui lanx longinqua est,sunt illi damna propinqua.

Digitized by Google

26. DIES IVLII.

Elige; postea dilige. *Seneca epistol. 3. ad Lucil.* Iulij.

I. HÆc Tessera non tam est sapientiæ præceptum, quàm veritatis effatum. Amicus non tantùm debet esse dilectus, sed è millibus electus. Sub aquilis Iustitiæ militat, vt aliæ plures virtutes, sic & Amicitia. Maximum humanorum bonorum, amicus sine delectu non est admittendus: non casu, nec temerè, sed consilio, & maturè parandus est. Ne adulterinam habeamus gemmam, sine periculo, & iureiurando, aut vadimonio non emitur, cùm idem, & ornatui, & aspectui officium præstet genuina & adulterina. Cur sine delectu, & experimento amicus, qui non alio ære quàm amore emitur? qui tantùm potest, nocere falsus, quàm prodesse verus. Amicitiæ sydus, sola est virtus; sine ea, est virus. Digni sunt amicitiâ, quibus in ipsis fuerit causa, cur diligantur. Amoris artificium, est copulantis animos, conflantis, scilicet, ex duobus vnum. Hæc vera amicitia est, cùm extra se agitata mens amantis, in amatum transfunditur, cùm animus est, vbi amat, non vbi animat; cùm amans fit alter, & alter fit ipse, & ipse per alterum, in seipsum redit; altero per alterum, & in altero viuente. Pulchrè Gregorius Nazianzenus de sua amicitia, cum Magno Basilio, dixit: *Aberat inuidia, solâ æmulatione flagrabamus. Hoc vtique certamen, non vter primas ferret; sed vter alteri primas cederet.* Quia vtrique vna anima videbatur in duobus corporibus. Amicitia. *Orat. in laud. Basilij.*

II. Nisi velis dissentire cum Veritate, assentire Anacharsi dicenti: *Præstare, vnicum habere amicum multi pretij, quàm multos nullius.* Nec enim aquâ, nec sole, nec igni, pluribus locis vtimur, quàm amico. In omni actu, in studio, in certis, in dubiis; in quolibet euentu, in fortuna qualibet, in secreto, in publico, in omni consolatione, domi, forisque, vbique amicitia grata, amicus necessarius, vtilis gratia reperitur. Quocirca amici, ait Tullius, & absentes adsunt sibi, & egentes abundant, & imbecilles valent: & quod difficilius est dictu, mortui viuunt. Igitur, amicitia est diuitibus pro eleemosyna; exulibus, pro patria; pauperibus, pro censu; ægrotis, pro medicinâ: mortuis, pro vitâ: sanis, pro gratiâ: imbecillibus, pro virtute; robustis, pro præmio. Qui multos habet amicos, perinde est ac si multis manibus,

Iulij. pedibus, oculis esset præditus: imò, ac si multus esset, geminus, triplex scilicet, quotquot veri illi sunt amici. Briareus, centum manibus, Argus, centum oculis, Darius, centum Regnis, non ita felix, ac amicus fideli amico. Vnde scitè dixit Dion Philosophus: Quot amicos pararis; tot oculos habes, quibus, quæ velis, videas: tot aures, quibus, quæ decet, audias: tot consilia, quibus de iis, quæ conducunt consultare, & prospicere possis. Non enim se aliter habet plurium amicitia, quàm si cui Deus vnum corpus habenti, multas daret animas, quæ omnes illi providerent, ac consulerent.

III. Quæ calamitas, extra amicitiam, non intolerabilis? quæ prosperitas, remotâ amicitiâ, delectabilis? Eum iustè miserrimum iudica, qui in miseris multos habet, qui lætentur, in rebus autem iucundis, qui delectetur, neminem. Hinc verè Augustinus: *Non est validior vulneribus nostris medicina, quàm habere, qui in omni incommodo occurrat compatiens; omni commodo occurrat gratulans, ut iunctis suis humeris, onera sua inuicem tolerent.* Amicum quidem colas, plus tamen diligas. Sic Alexander Magnus, inter amicos quos habebat præcipuos, ac potentissimos, omnium maximè videbatur honorare Craterum: sed omnium maximè diligere Hephæstionem. Craterus enim, inquit, amat Regem; Hephæstion amat Alexandrum. Sentiens Craterum in his, quæ ad Regiam dignitatem attinebant, præstare fidum amicum: Hephæstionem, priuato quodam affectu diligere Alexandrum. Est adagium inter Hebræos: *Ad ianuam tabernæ, multi fratres, & amici, ad ianuam carceris, neque fratres, neque amici.* Sic in prosperitate, ingens est amicorum multitudo: in aduersitate est solitudo. Illi sunt amici ollarij, paralyti, qui tempori seruiunt, Ideò vero verius, est illud tritum multorum ore adagium: *Amicus diu quæritur: vix inuenitur: difficilè seruatur.* Hinc sola est virtus, amicorum tessera, quâ in pectorum admittuntur hospitia. Qui aliquid diligit in amico, præter amicum, non est amicus, sed negotiator, & mercator: sua quærit in amico, non amicum. Quapropter insideat illud animo tanquam certum sibyllæ folium, aut cælestis cortinæ responsum:

Aug. l. de amicitia.

Ioan. Vlantaustius in Rabbinico florileg.

Verus amicus erit, qui plus me, quàm mea quærit.

Digitized by Google

27. DIES IVLII.

Foris terribiliter personet increpatio; intus lenitatis teneatur dilectio. *Sanctus Augustinus serm.* 18. *de verb. Dom.* Iulij.

I. INter actus Amicitiæ, recensetur correctio fraterna. Nec enim, sincerè diligit, qui fratrem peccantem negligit, errantem non corripit. Quis non admiretur; imò & indignetur, eorum, quæ ad corpus spectant, licet sint minima, maximam geri curam: eorum, quæ ad Animam, licet sint maxima, penitus nullam. Sit in fronte nævus, in genis labecula, in vultu macula; illam vel ipsimet delemus, vel vt alter deleat, admonemus. Et interim, tota proximi tui anima, non est sæpè nisi vna macula: tota, vtpotè, vitiis sordida: quis illius maculas, corripiendo conatur expungere? Committat quis loquendo solicismum; admonebitur peccasse contra Priscianum. Committat quis vivendo etiam Barbarissimum, nemo loquitur, omnes conticescunt. Expendit D. Chrysostomus illud Dei præceptum: *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asinum odientis te iacere sub onere: non pertranseas, sed subleuabis cum eo.* Trutinat id, quod interest legis ad legem; populi ad populum; rei ad rem, & damni ad damnum. Si namque in illâ lege, quæ erat timoris, non amoris, Deus decreverit; vt quisque tantam bovis, & asini, etiam inimici sui susciperet curam: quid eum velle arbitraris in lege Euangelicâ, quæ est lex amoris; vt agas, non cum hostis tui iumento, sed fratris tui animâ, adeò pretiosa, vt cæli, terræque prævalear pretio? Correctio fraterna. *Hom. 44. ad popul. Exod. 23. 4.*

II. Concludit tandem Chrysostomus: *Quomodo non est summa inhumanitas, & ferina crudelitas, nos non tantum curæ hominibus impendere: quantum alijs, iumentis?* Plurisnè forsan est, asinum iacere in puteo; quàm animam in flagitio? Et tamen si ceciderit asinus in puteum; quis non accurrit, vt conferat auxilium? Severè, sed verè Augustinus; *Si neglexeris corripere: peior factus es eo, qui peccauit.* Sed in corripiendo, primæ partes dandæ sunt lenitati, & clementiæ. Vnde sic loquitur D. Leo: *Plus erga corrigendos agat benevolentia, quàm seueritas: plus cohortatio, quàm commotio: plus caritas, quàm potestas.* Primùm, adhibeatur mollior, tum gravior oratio; deinde increpatio, tandem sequatur punitio. Sit iuxta prædictæ tesseræ monitum: *Foris increpatio: intus dilectio.* *l. 1. de ciuit. c. 9.* *Epist. 84.*

Iulij. *dilectio*. Sit tempestas in ore, malacia in corde; in fronte nubes, in animo serenitas; in lingua romphæa, in mente oliva; in verbis fulmen territans, in venis lumen delectans. Nec hîc timeas displicere pessimis. Aude tantum facere pro Deo, quantum impius contra Deum. Peccare, est operum omnium malorum pessimum: corripere peccantem, est opus omnium Deo gratissimum. Si ergo non pudeat alterum facere, quod est pessimum, hoc est, peccare; pudebit te facere, quod est optimum, hoc est, corripere peccantem? Tuum, dum alter peccat, silentium, est tacitum quoddam alieni peccati à te approbati testimonium.

III. Sed si obdurata in vitio mens de sua sede, de cathedra pestilentiæ non dimoueatur, addantur minæ; si nec illæ prosunt, subsequantur pœnæ. Sic fecit Gennarius Antistes, qui, cùm haberet in Ecclesia sua Clericum insolentem; qui armis audaciæ fretus, & monita ridebat Antistitis, & in omni genere lasciviæ impunitâ licentiâ volutabatur. Præsul, cùm remedia omnia deessent, ad Divinum confugit: Templo illi præerat, in quo S. Eleutherius Martyr colitur; proindè magno ardore plenus, ad illum hunc in modum scripsit literas: *Sancte Martyr Dei Eleutheri, miles tuus incompositam agit vitam: quapropter aut tibi ille corrigendus, aut tu ab Ecclesia reiiciendus es.* Quæ voces non priùs in charta fuerunt exaratæ, quàm in cælo exauditæ. Nam post scriptas literas, derepentè Clericus ille concidit mortuus. Quot nunc corrigerentur peccata, si sic corriperentur peccantes? Et hoc, signum est sincerum sinceri amoris; si amicum errantem à via, deducas in viam; si violantem Divinam legem, admoneas violatæ legis; si cadenti in peccatum, porrigas manum, ne cadat; vel si ceciderit, iacentem erigas, vt surgat. Peccantibus dissimulando connivere, est peccata fovere. Vnde hoc esto rata sententia.

Iusti vexantur, nisi praui corripiantur.

Digitized by Google

28. DIES IVLII.

Nobis vixerunt veteres; viuimus nos futuris; nemo sibi. *Chrysol. Sermone.* 101. Iulij.

I. PEr omnia sæculorum curricula sunt quædam inter homines amoris, quibus, innectuntur vincula. Ætate nos præcessêre nostri Maiores: nos illis successimus: posteri nobis sunt secuturi. Ex illis omnibus nemo vixit, viuit, aut viuet sibi soli. Ut porrò aliis viuas, tibi morere. Ut viuas proximo, prodesse stude. Si tibi soli viuis, & illi mortuus es, neutri viues: prosis autem corpori eius, & Animæ, facultatibus pariter, & virtutibus. Quòd si non potes factis, supple votis. His nunquam destitutus es, quantumcumque infirmus. Malo inprimis illum, si quo tenetur, & tu potes, penitus libera; sin potes, minimum subleua. Malum, si naturæ, aut pœnæ; si corporis, aut animæ: præbe malo tollendo media, si non alia, saltem minuendo, solatia: demulcent illa, si non persanant. Malum si morum, aut culpæ est; fac, sciat esse malum; tanto peius, quanto maiori spoliat bono. Inculca cautelam, inde solùm speret tutelam: iube inuigilare initiis, explorare suggestiones, non fidere inclinationibus, cæli opem invocare, Deum testem statuere. Profer consilia, adhibe monita; minas non tuas, nec è tuo; sed Divinas, & è Deo recita. Proximum exonerare malo, pars amoris vna est; cumulare bono, pars altera est: vtramque complectere. Charitas in omnes.

II. Bonum in Virtute statuo: extra quam, si quod bonum est; non hominis bonum est, aut certè non hominis boni. Hanc porrò, ut suadeas; efficaciùs facies exemplo, quàm præcepto; vitâ, quàm linguâ; factis, quàm verbis. Infer de virtute opportunum subinde sermonem; ostende illius exercendæ occasionem; expone pretium; propone præmium; accende desiderium. Ut verò accendas, anteà feruceas. Iobum sequere; sis oculus cæco, auris surdo; manus debili; cor afflicto. Ut viuas proximo, sic illum ames, sicut alterum te. Amoris consortium, non timet dissidium. Candore verba pinge, fervore vota, honore facta, rubore consortia: ut probes amare, stude honorare. Abstine, quo possit ille offendi; sustine,

Iulij. sustine, quo tu lædi. Cave fastidium, definit non rarò in odium. Nullâ mercede vendendus est amor in proximum: gratis, ut sit gratus, semper prodigatur. Deum vendit, qui charitatem alicui impendit, nisi propter ipsum; nam Deus, charitas est. Non te eò abiicias; ut proximo beneficia tua obiicias; sed sicuti iudicas Dei esse munus, si quis de te sit benè meritus: ita beneficium Dei æstima, quidquid aliis exhibueris; nec tuum illud existima. Imò reputa maius beneficium tibi à Deo factum; quod te elegerit, aliis benefaciendi instrumentum. Amorem ab aliis non concilias de temporalibus: nam talis amor perit cum tempore: nec illa tam est charitas, quàm cupiditas: non amor hominis: sed auaritia bonorum humanorum.

III. Dum piè, & sincerè diligitur proximus: tunc celebratur ille cordis contractus, sine partium iniuria, quo alter alterum reddit, & accipit: contractus firmissimus, & super omnes ratus commercij ritus: animarum, scilicet, & voluntatum. Amor enim, proxeneta est cordium, trapezita animorum, tabellarius voluntarum. Hinc æternùm ex se fœdus amoris est, & nodus Gordij nexibus arctior: contractus nunquam rescindendus, nec pœnitendus. Pacta dissolui alia possunt; quia eâdem voluntate, quâ fiunt, resoluentur: istud idcircò fit, quòd alia commutent paciscentes; non voluntatem, quâ commutant: in amoris autem contractu, eadem vtriusque voluntas, materia est contractus. Voluntas alienatur, dum fit alterius: voluntas traditur, non amplius iam sui domina: ipsum pœnitendi ius amittit, dum alieno se arbitrio committit. Itaque fortissimus est nodus amoris. Qui aliquem amore capit: fortiùs arripit, quàm maxima violentia: implicatiùs constringit, quàm retibus: securiùs ligat, quàm vllis funibus; imò, quàm ferreis catenis: non enim exteriùs vim immittit: sed intus vrget: atque ipse vinctus, non vult solui: potiùs se liganti insinuat, atque colligat: sed licet ille nexus non possit dissolvi, potest secari: ut enim Alexandri gladius nodum Gordium: sic violenta mortis falx secabit. Itaque solùm, si illum contractum cum Deo ineas, iustissimus, & securissimus est: cuius nec amor perire potest, nec ipse. Nequit leuiter voluntatem mutare, nec mutari: nulla pœnitentia illum subit amandi bonos, hoc est, amantes ipsum, siue summum Bonum. Hunc semper ama, quem potes semper oculis tuis habere obiectum â te amatum. Quid potest esse iucundiùs, quàm amare, & semper videre amatum? Quia, ut rectè Poëta:

Est oculis gratum, speculari semper amatum.

29. DIES

Digitized by Google

29. DIES IVLII.

Membra sumus Magni Corporis. *Seneca Epistol. 95.*

Iulij.

I. QVàm est facilè cuiuis homini velle: tam non est difficilè, omnibus benè velle. Hinc nascitur ex Charitate, pulcherrimæ matris, pulcherrima proles: Benevolentia. Cuius, si pondus non intelligis: pondera Diui Ambrosij verba, ut intelligas: *Tolle ex vsu hominum Benevolentiam, tanquam solem è mundo tuleris, ita erit, quia sine ea vsus hominum esse non potest.* Eiusdem momentum capies, si suis momentis expendas illud adagium, haustum è penu Diui Hieronymi: *Vnus Beneuolentiæ pilus magis trahit, quàm centum boues, centum bobus iuncti.* Benevolentia non tantùm fortiter trahit: sed firmiter munit. Hinc, amicis suadentibus Antigono, ut si Athenas caperet, validis illam præsidiis communiret, ne quando deficeret: respondit, se semper fuisse in ea opinione: ut crederet nullum esse Regni præsidium firmius, quàm civium benevolentiam. Est autem Benevolentia latè patens, & ad omnes quoscunque fusissimè sese explicans; quia nullus omninò est, quem suo sinu non complectitur: nullus, qui eius fructu excluditur. Omnes quippe homines sumus: eodem, omnes, parente Deo procreati: cuius etiam sapientissimum consilium in vniuerso hominum genere, ex vnius primi hominis substantia, ad stabiliendam Charitatem educendo, omnes Sapientes meritò suspiciunt.

Benevolentia.

1. *Offic. c. 32.*

Nou. l. 2.

II. Plurima habemus in rerum natura concordiæ inter nos pignora, & Charitatis vincula. Hoc accuratè expendit Diuus Chrysostomus: ex eo, quòd omnes eiusdem substantiæ simus. *Deinde, quod ex viro fit mulier, & liberi, item ex vtroque. Hinc multi nascuntur affectionis nodi. Hunc, quia pater est, amamus; illum, quia auus: hanc, quod sit mater: illam, quod nutrix: hunc, quod filius: illum, quod nepos: & illum, item quòd pronepos: hanc, quia filia: illam, quia neptis: hunc, quia frater: illum, quia ex fratre nepos: hanc, quia soror: illam, ex sorore neptem: & quid recensere vniuersam cognationis seriem attineret?* Sic Deus nos vndique coniunxit à natura, à sanguine, à cognatione, ab affinitate, à commerciis,

Hom. 20. ad Ephes.

Iulij. merciis, à similitudine, à lingua, à loco. Aliud deinde, insigne est argumentum ad infigendam sinceram, & integram erga omnes Benevolentiam: ex eo petitum, quòd omnes quotquot sumus, fratres sumus. Quod obseruat in hunc modum Diuus Ambrosius: *Omnes homines, vnius naturæ partus sunt, intra eius concepti viscera, & vno foti, atque effusi vtero. Vnde nobis iure quodam germanitatis, velut fratres connectimur, ab vno Patre conditi, & vnâ Matre, tanquam fratres vterini editi. Et ideò, cùm simus rationabilis naturæ soboles, tanquam vterinos diligere debemus amore mutuo.*

l.2 de Abraham c.6.

III. Est & aliud argumentum in hanc rem deductum: quòd non modò simus tanquàm vnius vteri fratres: sed vnius humanæ societatis, tanquàm vnius corporis membra. Vndehanc formulam humani officij sic tradit Seneca: *Omne hoc quod vides, quo Divina, atque humana conclusa sunt, vnum est: Membra sumus Corporis Magni. Natura nos cognatos edidit: cùm ex iisdem, & in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, & sociabiles fecit. Illa, æquum, iustumque composuit. Ex illius constitutione, miseriùs est nocere, quàm lædi. Ex illius imperio, parata sunt iuuantis manus.* Sed ad persuadendam hanc mutuam inter homines concordiam: nullum est neruosiùs argumentum, quod nisi Benevolentiam inuicem exhibeamus, & tueamur, actum erit de humana societate: ut non tam leviter ostendit, quàm grauiter conuincit Seneca: *Nam, quo alio tuti sumus, quam quòd mutuis iuuamur officiis? Hoc vno instructior vita, contraq; incursiones subitas munitior est beneficiorum commercio. Fac nos singulos, quid sumus? Præda animalium, & victimæ, & vilissimus, ac facillimus sanguis. Quoniam cæteris animalibus, in tutelam sui, satis virium est. Quæcunque vaga nascuntur, & actura vitam segregem, armata sunt. Hominem, imbecillitas cingit: Non vnguium vis, non dentium, terribilem fecit cæteris; Nudum, & infirmum societas munit.* Hæc bene expensa, Benevolentiam cuilibet non tantùm suadebunt, sed extorquebunt. Non cuivis est integrum, cuivis benefacere: quivis tamen potest cuilibet bene velle. Vbi non datur munus: superest, ut detur saltem benignus vultus. Enim verò,

Epist 95.

l 4. de benefic. c.18.

Dat multum: placidum dans, vel sine munere vultum.

30. DIES IVLII.

Illis maximè, laudis est benefacere; quos nemo speraritt, bene esse facturos. *Lactantius libr. 6. capite 12.* Iulij.

I. HÆc germana est indoles Amoris, esse munificum, imò in munificentia magnificum. Sorores sunt, Benevolentia, & Beneficentia. At amicitia sine Beneficentia, est planta sine flore: flos sine fructu: fructus sine succo. Dare, est quiddam longè præstantius, ut Philosophi definiunt, quàm accipere. Illud enim, est Regium, Heroicum, Divinum: hoc plebeium, humile, & avarorum proprium. Donare, esse dicunt, ut formam, & actionem: Accipere, ut materiam, & passionem. Forma autem, est rei pulchritudo, & gratia: sine qua materia ipsa, ut deformis, & inamæna despuitur. Ita Beneficentiæ laus à donando vim suam, ac venustatem accipit. Deinde, cùm Liberalitas sit quædam emissio: quanto illa fit ad maius intervallum, longioremque distantiam: tanto à maiori virtute procedit, ut patet in iis, quæ proiiciuntur. Nec enim, bombardæ æneæ vis, impetusque agnoscitur, si in vicinum, & coniunctum murum, ore vasto fulmineos globos eiaculatur, quos debiliùs verberare tum obiectam molem necesse est, quàm remotiùs constituti vehementiùs quaterent, conuellerentque facilius. Sic dicendum est, maiori virtute, emissionem fieri pecuniæ in alios, quàm si animi cura, & solicitudo in eadem pecunia apud se conservanda, & in proprios vsus collocanda hæreret. Itaque dare, Regium est. Hinc, Anaxilaus rogatus, quid esset in Regno beatissimum, respondit: Nunquam vinci beneficiis. Beneficentia.

II. Sed cùm Beneficentia sit Regalis, & maximè honorata virtus: necesse est, ut præcipua illius actio, hoc est, Largitio, Regiis veluti ornamentis vestiatur, & tanquam ab ornatricibus scitis, & venustis: sic ab adiunctis, & circumstantiis decoretur. Has inter, duæ maximè eminent: *Cui*, & *Quantum* sit donandum. Habenda est ratio personarum in dando. Tullius non vult Beneficentiæ fontes omnibus patere, ne benefacta malè collocata, malefacta videantur. Non vult ergò, dari ingratis, maculosis, indignis. Seneca neminem excipit. Sic enim ipse: *Vbicunque homo est, ibi beneficio locus est.* Et alibi; *Si Deos imitaris: da etiam ingratis: nam, & sceleratis Sol oritur, & pyratis* *l. de Beata vita c. 24.* *l. 4. de bene. sic. c. 25.*

Julius. *piratis maria patent.* Lactantius vult dari illis, à quibus non speres mercedem, ut patet in prædicta Tessera. Sed habendus tamen est selectus, iuxta D. Ambrosium: qui vult nos eo largiri consilio, ut prosimus: ne sceleratam animi voluntatem, vsumque maleficiorum sustentemus: *Nam, si luxurioso,* inquit, *ad luxuriæ effusionem: adultero, ad mercedem adulterij largiendam putes: non est beneficentia illa, vbi nulla est benevolentia.* Tribui tamen aliquando possit malis: si speretur fore, ut eo modo, à flagitioso vitæ genere abducantur. Et de Christiano lubet dicere, quod de suo sapiente Seneca. *Donabit ut bonis: aut eis, quos facere poterit bonos.* Sicut igitur, dandum est malis, ut fiant boni: sic & inimicis, ut reddantur amici. Hinc, Alexander Severus rogatus, quis esset Rex optimus? Qui, ait, amicos muneribus retinet, & inimicos beneficiis ambit, & sibi conciliat.

l. 1. Offic. c. 3.

De Beat. vit. c. 23.

III. Non tantùm *Cui*, sed *Quantum* sit dandum, oportet expendere, ne sit inconsulta largitio. Quod euenisse subinde ait Tullius: *Multi patrimonia effuderunt, inconsultè largiendo.* Hoc etiam Deo displicet, teste S. Ambrosio: *Dominus non vult simul effundi opes, sed dispensari.* Inprimis, ut hic modus servetur, tribuendum est pro facultatibus, quantùm patitur res familiaris, & partæ opes, & commoda familiæ. Nemo enim debet, qui coniugatus est, improvidis, & profusis largitionibus, incommodare suis liberis, quibus inprimis consulere, necesse est, ne quasi ex illo bonorum naufragio in littus eiecti, ad malarum artium scopulum adhæresçant, ut familiæ ope, & præsidio spoliatos tueantur. Itaque erogandum est secundùm modum facultatum, ne subitò immodicè largiendo, beneficentiæ fontes penitus exhauriantur, & posteà desint, quæ in multos conferri potuíssent, aut illi ipsi, qui tam effusè tribuere voluerunt, in molestam paupertatem, aut domesticæ rei difficultatem incidant. Denique accedat, ut gratius sit donum, in dante hilaritas, ut libenter, & celeritas, ut festinanter donet. Propterea audi Parœneticum Poëtam:

2. Offic.

l. 1. Offic.

Gratia debetur pro munere: si citò detur:
Sed si tardetur, non gratum munus habetur.

Digitized by Google

31. DIES IVLII.

Ad maiorem Dei gloriam.

S. Ignatius

Iulij.

S. Ignatij encomium.

I. NOn est maior Sancti Ignatij gloria; quàm semper, & vbique quæsiviſſe maiorem Dei gloriam. In profana militia erat ei, vt profano militi pro Tessera, maior gloria sui; in sacra, maior gloria Dei. Huius non tantùm conseruandæ ambitiosus; sed & propagandæ fuit impensè studiosus. Sed quoniam summam, & numerum rerum per Ignatium, eiusque socios vbique gestarum: non est procliue aut diligentiâ consequi, aut complecti memoriâ: Vnum propono Ignatij elogium; quod inter omnia censeo esse vnum præ omnibus, quo illum supremus Ecclesiæ mystagogus, Vrbanus VIII. anno huius sæculi trigesimo sexto mirificè condecoravit: qui maximorum, ac immortalium meritorum, quibus vniuersam Christi Ecclesiam illustravit; magnitudinem volens exquisiti honoris amplitudine adæquare, in Sacro-Sanctos Ecclesiæ fastos, quos vulgò Martyrologium vocant, placuit Ignatij nomen his ipsissimis verbis referre: *Romæ, natalis Sancti Ignatij Confessoris, fundatoris Societatis Iesu, sanctitate, ac miraculis clari, & Christianæ Religionis vbique dilatandæ studiosissimi.* Pondera illud: *Vbique*, & per Africam, & per Americam, & per Asiam, & per Europam. Nusquam sol emittit radios: quo non Ignatius ad propagandam gloriam Dei, misit socios.

II. Dei gloriam quæsivit primùm, per militiæ sanctioris asperrima rudimenta, per insidias dæmonum, per oppugnationes hominum, per compedes, & vincula in carceribus, per opprobria, & falsas criminationes, per coniurata in vnum omnia. Sed potissimum per legionem in Ecclesia Dei fortissimam, & quasi prætorianam, quam Iesu nomine, non suo conscripsit. Sed omissis, quæ gessit, plurimis, & maximis, ad vltimum, eumque felicissimum scenæ ipsius actum, mentem conuerte. Tria sibi Ignatius petierat à Deo concedi, antequam è

Iulij. vita discederet. Primùm, videre perfecta exercitia spiritualia, auctoritate Apostolicâ comprobata. Alterum, confirmatam eâdem societatem: Postremùm, Constitutiones conditas. Horum compos votorum factus, vnum illi erat desiderium, Deo reddere vltimum spiritum. Quid dubitas Ignati? iam securè sine metu morere? cuius omnis vita, fuit aliis viuendi norma. Morere Ignati? vides iam per te eversa passim dæmonum castella: proscripta vbique gentium, inter Gentiles vitia: revocatas tuo studio virtutes ab exilio: Musas à funere excitatas: scientias ab interitu vindicatas. Morere Ignati? Audiuisti per socios tuos, infantes è plano Christianis præceptis imbutos, pueros, pietate in templis informatos, iuuenes moribus, in gymnasiis probè excultos: viros, è superiori loco officij admonitos, pœnitentes, in æde sacrâ, Deo reconciliatos, tot Parthenicas congregationes Virgini consecratas: vsum Sacramentorum, propè abolitum, pristino vigori restitutum.

III. Itaque Ignatius imbutus immensâ quâdam exuberantis lætitiæ copiâ: incensus incredibili Christi videndi cupiditate. Sæculo à partu Virgineo, decimo-quinto, illius sæculi anno quinquagesimo sexto, ætatis, sexagesimo quinto, à confirmata Societate, decimoquinto. Postquam pro sociis centum erexisset Collegia: duodecim Provincias, cùm solus sine luctu, pacato animo, egisset animam: eandem illi, à quo acceperat, redditurus, illo, auspicatissimo nomine, cui infinitis nominibus erat obstrictus: illo nomine, quod illi sæpè fuerat in ore, semper in corde, voluit facere finem: ut loquendi, sic & vivendi, Iesu. Paries tibi nomen, quod nulla delebit ætas, omnis stupebit posteritas, tota intuebitur æternitas, si & Nomen Iesu, cultu prosequaris, & virtutes Iesu, moribus exprimas. A Christo, in hac vita mortali diceris Christianus; fac tanti nominis amplitudinem virtute adæques: à Iesu, in vita immortali diceris Iesuita. Quid stupes verbi insolentiam? sisto pro me fidei-iussorem illum, cui fidem derogare, foret piaculum, vtpote, qui à toto mundo habetur mundi oraculum, Diuum Augustinum, cuius (auctore Ludolpho Saxone) hæc sunt verba: *Differunt Nomen Iesus, & Christus: Iesus, est nomen proprium, Christus, commune: nomen Christi, est nomen Gratiæ: Iesus, Gloriæ: vt enim per gratiam Baptismalem, à Christo dicimur Christiani, sic in cælesti gloria, à Iesu dicemur*

mur Iesuitæ. Nec est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oportet nos salvos fieri, quàm nomen (ut eodem verbo desinam de Ignatio dicere, quo ipse desiit viuere) Iesus: Iulij.

Cuncta tui Ignati currunt per climata Nati:

Cuncti vt ament Iesum, pro cunctis vulnere lesum.

Digitized by Google

1. DIES AVGVSTI.

Augusti. Mortalium vita conteritur, die diei succedente soliſque cursibus; nunc accedentibus, nunc recedentibus. *Gregorius Thaumaturgus in Eccles. c.* 1.

Tempore restè vtendum.

I. ESt homo pietate vacuus, atque adeò perditus: cui vacat tempus perdere. Ecce modò cæli metator sol delapsus est ad mensem Augustum, caue ne hoc tempus tibi reddas malè vtendo angustum. Vt huius, quem auspicatus es, mensis tempore, vtaris cum fœnore, Æternitatem tibi propone, quæ omnia complectitur tempora. Æternitas, quolibet puncto temporis possidet omnia tempora, illisque omnibus adest, quæ vel iam peperit, vel potest parere infinita annorum successio. Est igitur Æternitas momentum stabile, permanens, & fixum, quo tanquam aluco sic fluunt omnia, vt nunquam effluant, sed fugientibus per sese vbique perpetuò adsit. Contra, Tempus, punctum volatile, & si substiterit, periturum secum vrget, rapitque in continuatum interitum vniuersa. Et sicut diei immensitas spatia infinita in atomum colligit, sic eius æternitas innumera sæcula puncto indiuiduo comprehendit. Hinc verò fit consequens, vt quibus malis Æternitas, bonisuè accedit, iis addat incrementa duo, quæ nullam habent comparationem. Primum quidem, diuturnitatem nunquam morituram, quæ si bonis accedat leuibus, ea inęstimabili pretio supra quoduis excellentissimum, sed caducum bonum attollit. Nam si dies vna, in atriis Domini millibus dierum vitæ huius anteponenda est, quid annus? quid anni? quid sexcenti? æuumque infinitum, num infinito pretio censendum?

II. Quis verò sapiens, si detur optio, non malit Martyrum omnium cruciatus, omnium probra, & supplicia reorum centenis decies annorum millibus perpeti, quandoque tandem absoluendis, quàm dentis vnius acutum dolorem, nullis sæculis mitigandum? vtpotè, quem facit æterna longinquitas intolerabilem. Nos igitur, stultè improuidos, qui cruciatus inferorum æternos, leuibus his nostris, dum viuimus, perpessionibus non antevertimus, nec terremur toto sempiterni incendij furore, dum temporarias molestias

molestiæ nimium vitamus, quibus arcana redimere possemus. Sic tamen Augustus, res habet; ut boni cujusdam dominum se vocari, arcana possessio bene emisse non omnibus bonorum præsidium est, quæ cum ipsis laborem. Imo cerni in cadis oculi, aut fenfus alterius voluptus, licet fola, fed tamen perpetua, bonis omnibus calcaria propondera. Alterum, quo probe & à tranquillitate advenit incommodum; ex perceptione eorum præfentis dolorum, aut jucunditatis in perpetuum futuræ. Tutum enim commodum, quod potest ex aliqua infinito tempore afferre, in unum æternitas collige, & simul percipi facit. Ut fitus voluptas, qui potest ex fatisfactione innumerabilium annorum convivia in unum colligitur; horum eft infinita major, ac minor: fic genus illa innumerabilium, eti brevi tantùm parte fui exiftant, tamen simul fumpta, ob æternitatem æternitas, illique ex fe infinitum emendum inunt perpetuo dolorem. Confiigat hoc unum falutis nos metus duplex telum, turmentorum infinitas, & infinitus carnifex scelerum, quæ illic dominantur, incompatibili cruciatu in nostram perniciem figuntur.

III. Addo & tertium,ex Æternitate,rebus avaritiæ incrementum; ut non præfentes folùm, aut futuræ, fed præteritæ quoque, tam beatos in cælo, tam in orco lautos officium, utique illos tentatis vita mulcere poffint; ac tenero, & gelis olim virtutibus fauoffimè addicere: fic illorum dolorem, patrocinantibus imaginibus fceleruin, & reverum voluptatem obtrectationibus malevis, divitiæ incredibili cumulant: latrocinium in cælum, quantuluscunque eft ifthis præfens, quam unam lumbinus, futuri timore, & præteriti experientia vel amarulentus, vel dulcis. Cum igitur conflet, Deum terræ effe animi modo cadacitas meliora; fpreviffe, generofo fatis eft illa fortiter contendamus; & adhuc in terris potiri, Æternitatem, imitando, *Serm. 1. de* proorere nodque præcurramus. Nam, ut fanctus Bernardus, *Paupertas, fola omnis mortalitatis*, *& fortu remotrix in anima fimilitudo pacatum, & tranquillum animum*, *fola omnia temptatione complacibilem, dum pauperrat, fatura mercat, mansuetudinem, fine qua finia vendicat; laitu panitentia, præterea quaque nocuerat.* Dulce eft æternos, & immenfo Bono, noftri luxus avi nihilum mutare. Optabile hominibus in tam infinitorum cavernis, feu fatum cafu gaudia affecutare, obiter aliquid perferre: ut hæc omnia, illas ordinas. Quid denique oppofitibus tantum æterna peccati damna tantoque modico fcire, & quod eft per fe nequit inftrahere, offerre, quod aquipari fit fadum. Hæc facilè monico ftera. Itaque

Via pro patuit, in calum landantes pro.

Digitized by Google

Augustus.

2. DIES AVGVSTI.

Beatus, qui amat te; & amicum, in te; & inimicum, propter te. *S. August l. 2. Confes. c. 9.*

Inimici diligendi: injuriæ remittendæ.

I. HAbet Charitas augustum sinum, non tantùm, quod est etiam Ethnicorum, ad amicos; sed quod Christianorum, ad inimicos se explicat, adeoque omnes suo amplexu implicat. Quisquis eâ pollet, injurias non modò lubens admittit, sed gaudens remittit. Non nescius maximum esse supplicium injuriæ illatæ, intulisse: adeoque gravius esse, injuriam facere, quàm accipere. Inimicos diligere, iisque injurias remittere, non tantùm decet, sed oportet: quia Deus illud non tantùm ut amicus consulit, sed ut Dominus præcipit: Christus illud non modò suadet, sed jubet. Quid, inquies? egonè illum onerabo beneficiis, qui tot me insectatus est maleficiis? Ipse mihi atrocem intulit injuriam, & ego referam illi gratiam? Egonè pro illo piè precabor, qui mala mihi omnia imprecatur? Is odio mei rabidus, ubique me persequitur, & ego amore illum prosequar? Non potest fieri: repugnat naturæ, pugnat contra Rationem, excedit hominis vires. Itanè verò? egonè illa tibi censetur prudentia, malle se perdere, quàm inimico parcere? præstare potiùs esse malum, quàm pati mala? satius esse, æternùm ardere in tartaro, quàm ignoscere inimico? Quæ hæc mentis cæcitas? quæ voluntatis pravitas? quæ animi perversitas?

II. Quid, si tu alicui deberes mille aureos; & alter tibi decem, & in hunc modum tecum paciscereturr: Tu mihi remitte decem, & ego tibi remittam mille. An non millies illi gratias ageres? an contractum rescinderes? Ubi igitur judicium tuum? ubi prudentia? ubi fides? Quodlibet, quod commisisti, flagitium, est immane debitum. Etiam à peccato absolutus, non es solvendo; quia remissâ culpâ, supereſt solvenda pœna. Es igitur Deo debitor plusquam decem millium talentorum, utpote reus perennium suppliciorum: inimicus verò tuus, unius duntaxat tibi injuriæ illatæ est debitor. Deus autem sic tecum paciſci cupit: Tu illi remitte debitum illud minimum, & ego remittam tibi maximum. Et pactum admittere dubitas? & tecum an admittendum sit, deliberas? imò admittere recusas? Certè, si rem grandem tibi præcipisset; cui quidlibet præcipiendi jus est, ut posset vel minimi, quod concipi potest, delicti debitum tibi remittere; si quotidie

Digitized by Google

quotidie expiatoriis in te flagellis animadvertendum foret, si corpus inediâ macerandum; si cilicino amictu caro castiganda; si trans Alpes peregrinari oporteret; si facultatibus omnibus renuntiare; certè, nisi impos fores mentis, facere debuisses: quanto magis, dum tibi dicit: *Dimitte, & dimittetur?* Audi Chrysostomum. *Non dixit Christus, ut oremus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittemus debitoribus nostris; sed dimitte nobis, sicut & nos dimittimus: ut priùs dimittamus, & posteà dimissionem nobis petamus; & sic dimissionem nostrorum peccatorum à Deo accipiamus.* Non hìc licet differre, oportet priùs dimittere, quàm petere, ut Deus dimittat. Augustus. *Matth. 5.* *Matth. 5. In imperf. Hom. 6.*

III. Quid, si medio in foro arderet pyra, & accensis facibus arderet ignis, Judexque tibi minaretur, te piceâ veste, molestâque tunicâ induendum, vel inimico ignoscendum. Age, quid ageres? an tecum diu quid agendum foret, cogitares? Imò licet inimicus ille tuus omnia abstulisset tua; licet filium unigenitum jugulasset, aut uxorem mactasset: injuriam quantamcunque, nullâ interpositâ morâ, remitteres, ut pœnam evaderes. Et ubi nunc Christiane, tua fides? Minatur tibi æquissimus sceleratorum Judex, & severissimus scelerum Vindex: Aut inimico injuriam remitte, aut à me aliquando audies: Recede à me maledicte in ignem æternum. Et tu tam es vesanus, ut non modò non remittas injuriam; sed cogites etiam vindictam. Ruborem hîc tibi incutient, si quid tibi in fronte supereſt ruboris, Ethnici, injuriam, quàm faciles admittere, tam non difficiles remittere. Zeno inimico dicenti: *Dispeream, ni malum tibi dedero.* retulit: *Et ego dispeream, ni te mihi conciliavero.* Pleni sunt Veterum annales hujusmodi exemplis, sed malo te Christianorum exemplis accendere, quàm Ethnicorum confundere. Ludovicus XII. Galliæ Rex, gravibus lacessitus contumeliis, cùm in Regni hæreditatem successisset; & calumniatores sibi fugâ consulerent, absentes Regio hoc edicto revocavit: *Privati personam exui; Rex quippe constitutus, hæc convitia neque curo, neque ulciscor.* Non te Deus suum filium agnoscet, nisi inimico ignoscas. Inimicus tibi erit seges honoris, & gloriæ, si immemor fueris injuriæ.

Digitized by Google

Augustus.

3. DIES AVGVSTI.

Grande est, intra se aliquem tranquillum esse, & sibi convenire. *S. Ambr. l. de Iacob. l. 2. c. 6.*

Pax animi. I. PAucos qui sibi conveniant, invenies. Intra se esse tranquillum, tam singulare, quàm commune extra se esse seditiosum. Quomodo residebit in corde Pax, ubi ardet fax omnium bellorum cupiditas, quæ perpetuò effert signum, canit classicum? Pax absoluta omnibus suis numeris, haberi non potest, ubi qui pacem tollunt, sunt hostes innumeri. Hîc enim secreti à principe pacis, in exilio degimus, sepositi à patria pacis, hoc est ab illa, quæ sursum est Jerusalem, in hac tetra colluvione vivimus. Tunc imperturbabilis erit pax, cùm ad centrum omnis boni dabitur aditus, & exuti mortalitatis exuviis, arctè cum principio nostro, Deo, qui in principio creavit cælum & terram; relictâ terrâ, ingressi cælum, conjungemur. Quare cùm divini proprium sit esse omnino immobile, totum unum, multiplicare vacuum, molestiarum omnium expers, & contrariorum inane, se contentum, atque in bono, quod affectionem omnem exhaurit, felicissimè quiescens. Anima Deum possidens, & ab eo clarissimis radiis illuminata, & affluentiâ omnium bonorum circumamicta, illum statum, & quietem imitatur. Hujusmodi plenam pacem frustrà in hujus vitæ curriculo expectes, supra Empyreum tutum sibi, & nullis mutationibus obnoxium, nacta est domicilium.

II. Addo tamen connitendum esse, quantum studio, & contentione consequi possimus, ut si non penitus extinctis, at sopitis inter carnem, & spiritum bellis, tam optabili pacis bono perfruamur. Est enim præstabilissimum Dei donum, pulcherrimum animi bonum, compositæ rationis decus magnum, politiæ beatarum mentium simillimum. Et hæc pax, quæ affectuum excludit illecebras, ac perturbationes mitigat, sublimior est, quàm ea quæ barbaricos sedat incursus. Hinc D. Ambrosius illud vetus dictum inculcat; *Assuesce unus esse.* quod sic interpretatur: *Vt vita tua quandam picturam exprimat, eandem semper servans imaginem, quam acceperat.* Negat igitur unum esse, qui per momenta varius, & discolor, nunc in vultu, iracundiæ æstu irrubeat, nunc pallore immutetur, nunc instar Protei aliis turbidis animi affectionibus insaniat. Nam qui invidi sunt, qui impatientiæ

Ambros. l. 2. epist. 25.

motu

motu furiosi, quibus ardens dominatur iracundia, vix unquam, etiam cùm magna perfruuntur solitudine, sunt soli. Fingunt enim sibi adesse à quibus superbiùs se appellatos, aut contemptos putent: ingerunt convitia, minantur, respondent, quasi aliena dicta exaudirent. Denique miserum cor, ut diversorium audacium bellatorum, tragœdias, tumultus, seditiones sustinet. Hujusmodi enim homines affectionum in freto, atque inanium rerum perturbatione incredibiliter jactantur, unde à littore, & quieto animi statu, quasi à benefida statione, sævis turbinibus rejiciuntur, cùm nusquam minùs, quàm apud se liceat consistere. Augustus.

III. Qui verò uni Deo adhærent, sibique, ac secum conveniunt, seseque ventis, ac procellis subducunt, in quieto sinu cordis, ut placidissimo in portu, dulcissimâ tranquillitate potiuntur. Est enim certum illud Davidis pronuntiatum, *Factus est in pace locus ejus.* In hac quiete animi pacifici est honoratum Numinis diversorium, & venerandum Tabernaculum, in quo lubens commoratur. In tali corde Deus circumseptus omni genere gratiarum, sibi hospitium deligit, ibi ut sol radios suos immittit, ad divina cognoscenda: ut Magister docet, ut Patronus defendit, ut Sponsus amat, ut Pater providet, ut Rex conservat, ut fons dulcedinum mentem inebriat. Ubi est, ex mente Salomonis, *juge convivium.* Quia cor pacificum, quasi in opiparo convivio, & perpetuis lætitiis viveret, continuâ animi jucunditate perfunditur, Dei præsidio, & amicitiâ lætatur. Non Persici apparatus, non saliares dapes, non cœnæ Pontificum, non obsonia Curiarum, non delicatorum scitamenta, tot, tantas, ac tam liquidas percipiunt voluptates. O Regiam dotem cordis pacifici! In eo est tabernaculum Dei, hierotheca Spiritus sancti, promptuarium cælestium gratiarum. Ibi frontis serenitas, mentis tranquillitas, animi fœlicitas, Numinis præsidium, juge convivium, uno verbo, vita beata. Placet accipere tanti boni obtinendi methodum, & quidem per compendium? Accipe D. Leonis pronuntiatum: *Tunc est vera pax hominu, & vera libertas, quando & caro animo judice regitur, & animus Deo præside gubernatur.* Huic accedat suasor pacis Poëta. Tunc in pace fueris, si ut ille monet, *Psal.73.3.* *Prov.15.15* *Serm.1.de quadrag.*

Certamen, lites, rixas, & jurgia vites.

Digitized by Google

Augustus.

4. DIES AVGVSTI.

Sol oculus est mundi, jucunditas Dei, cæli pulchritudo, naturæ gratia. *S. Ambros. l. 4. Hexam. c. 1.*

S. Dominicus Sol Ecclesiæ.

I. SOcratem ferunt exorientem Solem subinde ad occasum usque defixis in eum oculis secutum. Hodierna dies clarior est D. Dominici in Ecclesiam beneficiis, quàm Solis per cælum diffusis radiis. Hunc Ecclesiæ Solem, Socratis æmuli, fixis oculis, non tam ut contemplemur, quàm ut imitemur, aspiciamus, vel aspiciendo reddemur suspiciendi. Quod dicitur de Sole, sicut Sponsus procedens de thalamo, sic Dominicus processit de matris utero. Quia cùm Mater uterum gestaret, illi prædictum est vaticinio, parituram eam filium, qui in Ecclesia esset, quod in nocte lucerna, quod in orbe Sol, à luce virtutis, & splendore eruditionis. Vix processerat ex utero, ut Sponsus de thalamo, cùm cœpit in ipso ortu paulatim se luce suâ prodere, ut Sol radiorum apparatu. Cùm enim Infans sacro latice abluëretur, matrona spectata, quæ illum spectabat, vidit ex illius vultu emicare alios, atque alios lucis amœnæ radios: qui deinde in illius fronte coaluêre, & stellæ figuram expressêrunt. Hinc pingitur cum stella lucente in fronte, adjecto in ejus, ac Ordinis illius scuto, hoc lemmate: *Lucet, & ardet*; tota siquidem ejus familia lucet scientiâ, ardet Charitate; hac orbem illustrat, illâ omnes in orbe inflammat; illâ emittit radiorum jacula, hac flammarum spicula: illâ ignorantes instruit, hac frigentes calefacit.

II. *Sol oculus est mundi*; sic & Dominicus Ecclesiæ. Idque potissimùm, quia ipse oculos semper obvertebat in Solem Justitiæ. Quod ipsum testati sunt aliquando Principes tenebrarum. Non ita pridem cùm quispiam qui inter sacros ritus pellendis dæmonibus adhibebatur, proponeret Religiosis fœminis Laudunensibus, quas maligni spiritus possidebant, pulcherrimam D. Dominici imaginem. Vix illa apparuerat, cùm subitò possessæ omnes terga illi avertunt, nec adduci possunt, ut in eam oculos defigant. Tandem vi exorcismorum coactæ intuentur, unicâ exceptâ, quæ mirum in modum reluctabatur: tamen eâdem virtute compulsa, non solùm aspexit, verùm etiam obtutum defixit in imaginem oculos, uti Sacerdos diabolo præceperat. His peractis exigitur à dæmone ratio, cur tanta cum difficul-

Barrij solitudo dic. 1. discert. Pomerit.

tate

Digitized by Google

tate imaginem illam intueri detrectasset? Vix obtineri responsum potuit, tandem extortæ hæ voces: Ha, inquit, cùm hic Sanctus inter mortales degeret, semper in Deum intuebatur, in omnibus actionibus suis oculos habebat in illum obversos: nos verò, nos ipsos aspeximus, & quia aspeximus, periimus, & in hanc conditionem miserrimam delapsi sumus. An non igitur meritò Dominicus mundi oculus, qui oculos suos mundissimos, ut heliotropium ad solem, sic ipse ad illum, qui fecit solem, defigebat? Augustus.

III. Sol deinde, ob claritatem dicitur *Iucunditas diei*; ob venustatem, *cali pulchritudo*. Fuit & Dominicus, ut Sol, & pulcher, & clarus ob virgineam castitatem, corporis, ac animi integritatem. Castæ generationi duas illas dotes attribuit Sapiens, pulchritudinem, & claritatem: hac enim, & illâ captus, exclamavit: *O quàm pulchra est casta generatio, cum claritate!* Ab eadem castitate Dominico tanta fuit & pulchritudo, & claritas, utpotè quem S. Catharina Senensis in excessu mentis, vidit in ipso Patris æterni corde, una etiam cum Jesv Patris æterni Filio: vidit, & simul audiit: O Filia, vides in corde meo hinc Jesum, inde Dominicum? Ille mihi naturalis, hic adoptivus est Filius; illum ab æterno genui, hunc in tempore: & quia in hunc particulari ferebar amore, volui esse in corde meo. Simul cum Jesv, ut sic mihi essent quasi gemelli Filij, naturalis ille, hic adoptivus. Quòd si in corde fuerit æterni Patris, certè ex eo hausit puros, castosque amores: uti etiam à Virgine, quam scilicet Magistram habuit, anno ætatis suæ decimo, utpotè cui illa se spectandam præbuit, docuitque ex tunc Rosarii Mariani leges, modumque, quem deinde Dominicus alios, totumque orbem edocuit: eandem & sponsam habuit anno ætatis 18. Solem denique se prodidit, cùm cælum supra solem subiit. Cùm enim P. Ro pro recuperanda ejus valetudine (utpotè quem adhuc vivere credebat) sacrificium offerre parat, illicò præpeditus excessu mentis statuæ instar immotus subsistit. In illo porrò raptu vidit Dominicum, corona aureâ redimitum ad instar solis omni parte radiantem. Bononiæ excedere. Vis sic lucere, & ardere? vide luceas à luce virtutis; vide ardeas ab igne charitatis. Opta hunc ignem, æstima hanc lucem. De illa enim luce Sap. 4.

Prævia lux dat eunti scire ubi debeat ire.

Augustus.

5. DIES AVGVSTI.

Misereatur, qui misericordiam sperat: Pietatem qui quærit, faciat: qui præstari sibi vult, præstet. *S. Chrysologus serm. 14.*

Misericordia.

I. MIsericordiam ut cum omnibus, tum multo maximè Christianis propriam, & lex, & Euangelium, & mysteria insignium cæremoniarum, & Messiæ vox, & Apostolorũ monita, & Ecclesiæ decreta religiosissimè commendant. Quæ omnia volunt Christianos omnes esse *filios Olei.* *Zachar. 4. 14.* Præit nobis Pater misericordiarum, de quo David: *Vniversæ viæ Domini, Misericordia, & veritas.* *Ps. 24. 10.* Per has vias, velut è Semmeo Bonitatis, & Potentiæ suæ exit, & progreditur ad hæc exteriora, quæ intuemur. Duobus his pedibus creata omnia circumlustrat. Itaque in hoc Dei motu, & progressu ad nos, Misericordię pes primus attollitur, & ab illo ut dextero, omnis inchoatur motio. Effatum est Aristotelis: *Fons, & principium motionis est à dextera.* *De incessu Animi c. 4.* Unde nimirum stellæ oriantur, dextrum esse contendit. Sic & motionis divinæ principium est Misericordia, indeque insignium gratiarum benefica sydera, velut à dextra parte oriuntur. Illud igitur certum inter summas Numinis proprietates, Misericordiam primas ferre, ac in Divina politia velut dictaturam gerere, quæ cùm vocem extulerit, sileat Justitia necesse est, aliæque Virtutes revereantur.

II. Patrem Misericordiarum imitatur Filius ejus, cui sunt viscera Misericordiæ. Unde Salomon in sacro Epithalamio illum reverens, sic effatur: *Cant. 1, 15.* *Oculi tui columbarum.* quæ est perspicua Misericordiæ ejus commendatio. Est enim proprium miserationis, animos in alium transformare, & alienam personam induere. Sic illos videas, qui benefici animi affectu in aliorum miseriis commoventur, illas ipsas miserias animo excipere, & iisdem propè ærumnis affligi, ut non jam duo, sed miserationis vi, & amoris communione unus esse videatur. Quod de se testatur Apo- *2 Cor. 11. 29.* stolus: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Hunc autem affectum columbarum oculi exprimunt, quorum hoc proprium est, ut sicut speculapellucida, rerum species viva quadam, & agente ratione concipiant, & ponant in conspectu. Non est mirum si columbæ se osculentur, quòd cùm mutuò se in oculis conspiciant, incredibili quodam amore afficiantur. Io earum oculis tam conspicua est repræsentatio, ut non columbæ quandã effigiem

effigiem,sed columbam ipsam,quanta est,videre putes. Hos oculos Christo attribuit Salomon:Ille enim omnium infirmitates per commiserationem ita in animo suo impressit, ut omnes continuè in oculis ferre videretur. Audiamus illum loquentem. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Nos miseros homunciones non modò in oculis suis gerit, verùm in pupilla,quæ pretiosissima capitis pars est, flos amoris, paternæ providentiæ velut medulla. Augusti. Zacha.

III. Exemplo igitur suo tam Pater æternus,quàm eius Filius, docent nos,ut simus misericordes;sicut & illi fuerunt:si velimus & ipsi misericordiam consequi. D. Paulus vult nos *flere cum flentibus*, quod genus miserationis, amicissimi animi est pignus. Unde dictum illud Apostoli naturæ vocem esse puto,ad lachrymas miserationis adhortantis. Sic enim in officina matris compositus est infans,& fabricatus, ut curuus in vtero genua genis,oculisque attingat,ut observat Rupertus:vnde inquit, & *à genis genua dicuntur.* Cumque omnium nationum consensu,genua ipsa velut omine Misericordiæ celebrentur, iisdemque ab initio vitæ, oculi,& genæ cohæreant, est naturæ mutum præconium, oculos miserationi esse devotos, lachrymasque deberi calamitati. Præivit in hoc officio humanitatis, Christus D.N. qui cùm videret Martham, & Mariam acerrimo dolore confectas,& lachrymis perfusas,collachrymavit, mirabili exemplo humanitatis. Hunc imitati sunt & Prophetæ, qui non ut olim apud Romanos, *guttam iugiter manantem*, sed fontes Misericordiæ vberrimos in omnium gentium luce aperuerunt. Nam cùm Dei afflatu præviderent calamitates insanientium populorum,qui sprero Deo se in scelus ingurgitarent, haberentque in oculis Numinis iracundiam, & dirum fulmen, mortem, exitium, Orci malitiam, furiarum impetum,& horribilem pœnæ apparatum in facinorosos invehendum,mœrebant ipsi. In Ieremia perennes videbantur rivi in genis innocentibus,& continuus fletus,cùm in clades suæ gentis contueretur. In ea scena insignium malorum, funestisque tragœdiis, de die,de nocte,lamentis indulgebat magno, & assiduo flumine lachrymarum:sic enim ipse:*Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum,& plorabo die,ac nocte,interfectos filiæ populi mei!* Cupit totum verti caput in aquas, novamque venam exoriri perennium fluviorum, ad miserandæ gentis piamentum. Hunc tu imitare,& ut imiteris Propheram,audi hortantem Poëtam. Rom. 12.15. l. 6. in Cant. Ier. 9.1.

Quando mala exundant,tunc lumina flumina fundant.

Digitized by Google

non præceptum clarum è esuriens consumitur, nudus riget. Vnam nosti vocem. Non *habeo, neque dabo. Sum enim pauper. Reuerà pauper es, & omnis boni inops, pauper dilectione, pauper humanitate, pauper fide in Deum, pauper æternâ spe. Cui inquis iniuriam facio, si mea retineo, atque conseruo? Qualia dic mihi tua? Vnde accepta in vitam intulisti? Si à casu spontaneo dicis, impius es. Cur ergo tu dives es, ille verò egenus? Profectò omnino quo, & tu bonitatis, ac fidelis dispensationis mercedem accipias, dans Eleemosynas, & ille ob magna patientiæ certamina, præmia referat. Videigitur quid facias, qui non solùm detines, quæ tua sunt: sed etiam, quæ sunt proximi!* Augusti.

III. Obserua quæ sequuntur. *Esurientis est panis, quem tu detines: nudi est pallium, quod tu in vestiario conservas: discalceati est calceus, qui apud te computrescit: indigentis est argentum, quod apud te defossum est. Videsnè divitias esse animarum redemptiones, & qui servat eas, perdere: qui verò perdit propter Deum, conseruare?* His non dissimilia habent alij. Sextus Pythagoricus: *Melius est nihil habere, quàm multa habentem nemini impertiri: si non das egenti cùm poscit, non accipies à Deo cum poposcerit.* Huic accinit D. Zenon. *Non est Tyranno dissimilis, qui solus habet, quod potest prodesse commodis plurimorum. Quid, quod paupere quotidie moriente oppressione, fame, frigore, iniuriâ, amicum tibi excolis aurum, custodis argentum, vestem pretiosam ornamentaq; superba, ac superflua pro Sacro-sancto habes, sicut idolum: te per momenta componis, dives in publico, ditior in secreto. Non intelligis, quia homini inopiâ morienti, tantis opibus qui cùm possit subuenire, non subuenit, ipse eum videtur occidere? O quantarum neces animarum in phalaris pendent ornata matrona, ornamentum cuius vnum si soluas in pretium, distribuasq; necessitatibus singulorum, ex eorum respiratione cognosces, quantorum malo ille constat ornatus.* Obsigno hoc de Misericordia erga pauperes, D. Augustini effato, velut aureo sigillo. *Perde ne pereas; dona ut acquiras; semina ut metas:* & audias hoc non tam meum scribentis, quàm Poëtæ canentis monitum: *In sentent. Zenon ser. de Iustitia.* *De verb. Dom. ser. 35.*

Cùm sis in mensa, primùm de paupere pensa.

Digitized by Google

7. DIES AVGVSTI.

Augusti. Nec referre potest Gratiam, nisi qui meminit; & qui meminit, iam refert. *Seneca libr. 2. de benef. capite 24.*

Gratitudo erga homines.

I. CVi relata est gratia, illi debet esse relatæ memoriæ; ut in hodierna Tessera monet Seneca. Præit exemplo vniuersa Natura. Sic enim ima summis in mundo consentire Sapientes asserunt, ut nullum sit beneficium sine gratitudine; licet ad causam, cui defertur, non perueniat. Philolaus dixit; Suffimenta aquæ, & terræ, esse tributa quæ persoluunt; incruenta sacrificia, quæ litant cælo regnanti. Quo plus arbores receperint à terra; illi radicibus magis adhærent, & in grati animi signum, parentem exornant gratissimis frondibus, amœnissimis floribus, & fœcundissimis locupletant seminibus. Corui, aquilæ, accipitres, sui iuris effecti, & à parentibus emancipati illis loco cedunt, ne videantur æmuli rapinæ; vnicuique enim, ex illis magno ad populandum, ut satietur, opus est tractu. Ita cùm adolevit apum iuuentus, & ad laborem roborata convaluit, relinquitur liber parentibus locus. Magnum hoc est homini documentum, de gratitudine parentibus exhibenda. Sed generatim obseruandum est, ne leges Gratitudinis violemus; quod præscribit Romanus Philosophus, his verbis: *Hæc beneficij inter duos lex est: alter statim obliuisci debet dati: alter accepti nunquam.*

Plin. l. 10. c. 3.

Seneca de benef. l. 2. c. 10.

II. Præcelluit gratitudinis virtute Philippus, qui Hipparcho Euboico vitâ defuncto, ingenti dolore præ se ferebat, quàm illius mortem acerbè ferret. Itaque cuidam volenti dolorem illius mitigare, dicentique: Attamen ille tempestiuè decessit, iam natu grandis. Sibi quidem ipsi, inquit Philippus, tempestivè decessit, sed mihi præproperè. Mors enim, illum anticipavit, priusquam à me beneficium acceperit nostrâ dignum amicitiâ. Porrò, ut quis absolvat omnes numeros hominis grati; hæc sunt obseruanda ex mente Senecæ. Primò, requiritur in accipiente beneficium, æstimatio beneficij, & eiusdem æstimati continuata memoria. Sic ergò ipse: *Nihil magis præstandum est, quàm ut memoria nobis meritorum hæreat, quæ subinde refricanda est,* &c. Item alibi: *Qui meminit, sine impendio gratus est.* Imò, sic potest gratis esse gratus. Nullo enim constat quæstu, meminisse.

l. 2. de benef. c. 24. l. 3. c. 2.

Sicut

Digitized by Google

Sicut enim, vbi deest faciendi facultas, apud Deum, vel voluisse sat est: sic apud homines prudentes, ut sis gratus, vel meminisse sat est. Secundò, debet in accipiente beneficium, grata esse eiusdem acceptatio. Sic enim idem: *Cùm accipiendum iudicauerimus, hilares accipiamus, profitentes gaudium; & id danti manifestum sit, ut fructum præsentem capiat: Iusta enim causa lætitiæ est, lætum amicum videre; iustior, fecisse,* &c. Paulò pòst: *Nullo magis Cæsarem Augustum demeruit, & ad alia impetranda facilem sibi reddidit Furnius; quàm quòd, cùm patri Antonianas partes secuto, veniam impetrasset, dixit: Hanc vnam Cæsar habeo iniuriam tuam; effecisti, ut viuerem, & morerer ingratus.* Videlicet, nemo non gaudet beneficium suum latiùs patere. Augusti. l. 2. c. 22.

III. Tertiò, Agendæ sunt & gratiæ. Seneca vult hanc gratiarum actionem esse publicam: *Quomodo danti in tantum producenda est notitia muneris sui, in quantum delectatura est eum, cui datur: ita accipienti, adhibenda concio est. Quod pudet debere, ne acceperis. Quidam furtiuè agunt gratias, & in angulo, & ad aurem. Non est ista verecundia, sed inficiandi genus. Ingratus est, qui remotis arbitris agit gratias. Quidam nolunt nomina secum fieri, nec interponi patarios, nec signatores aduenire, nec chirographum dare. Idem faciunt, qui dant operam, ut beneficium in ipsos collatum quàm ignotissimum sit. Verentur palam ferre, ut suâ potiùs virtute, quàm alieno adiutorio consecuti dicantur.* Ad extremum, priores actus vani, & inanes; nec introrsum pervadentes, sed in extremis labiis nati censentur, si supperente rependendi facultate, & occasione, sterilis sit, qui beneficium accepit. Hanc esse turpissimam mortem, ex sententia Socratis, legitur apud Antoninum. Socrates, inquit, Perdiccæ quærenti, cur non ad ipsum veniret; respondit: Ne turpissimo interitu peream, hoc est, ne beneficio affectus, id non possim compensare. Scitè hîc Salvianus: *Et natura ipsa hominum, consuetudoq; communis, hâc quasi generali cunctos lege constringit: vt à quibus aliquid liberalitatis accipimus, plus eis gratiæ debeamus. Arctat quippe nos ad retributionem dati, accepta largitio. Ante vsum enim, & munificentiam liberalitatis alienæ liber est quispiam, beneficiorum fœnore non grauatus. Coguntur autem omnes ipsâ conscientiâ suâ ad repensationem vicissitudinis, post quam cœperint debitores.* Hinc audi salubria suadentem: l. 2 *supra* c. 23. l. 11. *num.* 22. l. 4. *ad Eccles.*

Gratia quando datur, studeas ut restituatur.

Digitized by Google

8. DIES AVGVSTI.

Augusti. Totum quod es, illi debes; à quo totum habes. *S Bernard. serm. de 40. debit.*

Gratitudo erga Deũ. I. O Homo, quàm immersus es vndique Beneficentiâ Dei! Quidquid agit, beneficium est, & illud tuum est beneficium. Natura Dei ideò est benefica; quia nihil extra se potest agere, quod non sit beneficium: & beneficium, quod vni confert; non solùm illi, sed omnibus conferre necesse est. Velut lumina, ipse Pater luminum, diffundit sua munera; quia sine diminutione sui communicatur omnibus, & pro omnibus. Quidquid iaculatur Sol, lux est; omnes per illam videre possunt, nisi claudant oculos. Quidquid efficit Deus, beneficium est; & per illud omnes sibi prodesse possunt, nisi sint vel maligni, vel insani. Pulchrè de illis beneficiis S. Bernardus: *Ecce in ianuis est, qui fecit cælum, & terram, & Creator tuus est, & tu creatura: tu seruus, ille Dominus: ille figulus, tu figmentum. Totum ergò, quod es: illi debes, à quo totum habes: qui & te fecit, & benefecit tibi: qui tibi ministrat siderum cursus, aëris temperiem, fœcunditatem terræ, fructuum vbertatem.* Non minus neruosè S. Augustinus: *Confiteor tibi beneficia tua magna; quoniam eripuisti me de inferno inferiori semel, & secundò, & tertiò, & centies, & millies, & ego semper ad infernum tendebam, & tu me semper reducebas.*

Supra.

Soliloq. c. 28.

II. Dedit se Deus optimo modo, in socium, in pretium, in cibum: obtulit se in viam, ut rectè ambules, in Magistrum, ut rectè credas; in vitam, ut mortem evadas. Hoc ipsum asserit S. Anselmus: *Imperat, ut Deus: terret, ut Dominus: protegit, ut custos: hortatur, ut Pater: docet, ut Magister: cohabitat, ut frater: nutrit, ut Mater: blanditur, ut amicus: amplexatur, ut sponsus: illustrat, ut Veritas: prævenit, ut Bonitas: se manifestat, ut Lux: loquitur, ut Verbum: dulcorat, ut Sapientia: salutemq; præstat, ut vita.* Tanta beneficia compensare velle, est benefactorem non satis cognoscere; compensare nolle, est eundem contemnere. Agnosce saltem, te totum quod habes Deo debere. Redde totum, quod es, & tamen necdum reddidisti, quod debes. Dedit se totum tibi: qui tantum laboravit, ut te lucraretur sibi. Caue oculis, caue auribus: attende ori, attende operi. Tua non sunt, Dei tui sunt. Furtum est, rapina est, quando aliis seruiunt, quàm ei, à quo, & propter, quem

De Humil. c. 46.

Digitized by Google

quem facta sunt. Audi igitur consilium, & sequere monitum S. Augustini dicentis: *Sicut nulla hora est, vel punctum in omni vita mea, quo tuo beneficio non vtar: sic nullum debet esse momentum, quo te non habeam ante oculos in mea memoria, & te non diligam ex omni fortitudine mea.* Quid interim faciam? Ingratus esse non debeo, gratus esse non valeo. Faciam, quod mihi facere, est integrum, supplebo votis; quod non possum factis. Augusti. Soliloq. c. 18.

III. Itaque opto tot corpora, quot sunt arenæ in litore maris, tot animas, quot sunt momenta in tempore, eademque tibi in momenta singula offerre. Quod quidem, dum facio, quid quæso tandem ad beneficia tua? Ah! tantum tibi debeo, quantum tu ipse vales: Gratum tamen me esse iubes. Eia ergo, mi Iesu, faciam, quod iubes; dabo, quod habeo, quod possum consigno tibi: quidquid in me est optimum, & solum meum, totam meam libertatem, & voluntatem, quâ deinceps non ut meâ, sed tuâ vtar: nihil cogitabo, amabo, desiderabo, quàm, quod placitum est tibi. Maloque cæcus esse, quàm videre, quod oculis tuis displicet, mutus esse, quàm loqui, quod aures tuas offendit: sine corde esse, quàm te non amare: mori, quàm tibi non viuere. Sed & hæc, cùm Deo obtuleris, quid ei offers, quod non sit magis eius, quàm tuum? Audi igitur, quid in hoc argumento dicit S. Bernardus: *Cùm ei donauero, quidquid sum, quidquid possum: nunquid istud sic est? sicut stella, ad solem: gutta, ad fluuium: lapis, ad montem: granum, ad aceruum? Non habeo, nisi minuta duo, imò minutissima: corpus, & animam: vel potiùs vnum minutum, voluntatem meam, & non dabo illam ad voluntatem illius, qui tantus, tantillum tantis beneficiis praeuenit: qui toto se, totum me comparauit?* O! quàm præclarè hîc D. Anselmus: *Certè Domine: quia me fecisti, debeo amori tuo meipsum totum, & quia me redemisti: Debeo ipsum totum, quia tantũ promittis, me debeo meipsum totum: imò tantum debeo amori tuo, plus quàm meipsum: quantum tu es maior me, pro quo dedisti teipsum, & cui promittis teipsum.* Age igitur gratias pro tot gratiis. Da æternæ Charitati, quidquid tibi in mundo est charum, à quo habes, quidquid tibi est charum. Et memineris illius metri: Supra.

Pondus curarum facit hic, qui dat mihi charum.

Digitized by Google

9. DIES AVGVSTI.

Augusti. Semper illi gratias agere studeamus, à quo gratia gratis datur. *Sanctus Augustinus de verb. Dom. Sermon.* 8.

Dei in nos beneficia. I. QVidquid accipimus à Deo, est gratia; quia datur gratis: vnde omnis nostra respiratio deberet esse continua gratiarum actio. Si ignoras Dei beneficia; accipe hîc eorum Catalogum, quo omnia rediguntur in fasciculum. Anima, creatione, Dei imago est; Redemptione. Dei ancilla est; Iustificatione, Dei filia est; Adoptione, Dei hæres est; inhabitatione, Dei Templum est; dilectione, Dei amica est; desponsatione, Dei sponsa est; adhæsione ad Deum, vnus cum eo spiritus est, infusione gratiæ, Diuinæ consors naturæ est; sanctitate, Dei Paradisus est, cui deliciæ sunt, esse cum filiis hominum. Hæc tanta beneficiorum cumulata congeries quid aliud clamat, quàm trina illa verba: *Accipe: Redde: Caue.* Accipe, beneficium. Redde, obsequium. Caue, supplicium. Beneficium, quod tibi in rebus omnibus conditis exhibet: Obsequium, quod ei, qui dedit tibi omnia, infinitis titulis debes: Supplicium, quod ut ingratus incurris, Deum agnoscens, nec ei gratias agens. Oportet ergò, Deũ sine intermissione laudare, *In prosperis, (ait Augustinus) quia consolaris, in aduersis, quia corrigis: antequam essem, quia fecisti me: cùm essem, quia salutem dedisti: cùm peccassem, quia ignouisti; cùm conuersus essem, quia adiuuisti; cùm perseuerassem, quia coronasti.*

Sup. illud To. in die replentur.

II. Tu interim, è nihilo à Deo conditus, tot, tantisque eius donis cumulatus; à tot malis aut liberatus, aut conseruatus, adeò fuisti ingratus; ut offendere Conditorem, negligere Benefactorem, spernere Seruatorem non dubitaueris. Tu, inter feruentes, tepidus es; inter humiles, superbus; inter abstinentes, intemperans; inter sanctos, profanus; inter mansuetos, iracundus; inter quietos, turbulentus; inter bonos, malus es. Et quo bono? non iam Gratiæ, & Gloriæ, sed vel naturæ dignus es? quo verò malo dignus non es? singula Dei beneficia sunt totidem amoris eius obsides, & pignora, & vbi inter tantos amores, tuus amor? Quis non stupeat ingenium Diuinæ Bonitatis, ut omnium sit vnum beneficium, & vnius sint omnia beneficia? ut priuata sint communia, & communia sint priuata? Omnia Naturæ opera; omnia mirabilia Gratiæ; omnes Beati, imò & damnati,

Digitized by Google

nati, beneficia tua sunt: omnes prosperitates, & calamitates, quibus mundus involuitur. Dei sunt munera; quibus te donat, ornat, amat. O homo insignite, nimis ingrate! Nonnè toto amoris impetu Deum diligeres? si te pœnæ iam sempiternæ reum, in letali noxa mortuum, ad sempiterna non damnaret supplicia; sed alium aliquem hominem te, & Gratiæ donis meliorem, & Naturæ dotibus præstantiorem procrearet, ut perennes tartari cruciatus pro te reo pateretur? Augusti.

III. Plus tibi præstitit Deus. Plures voluit addicere æternis inferorum suppliciis; nec illorum voluit misereri, ut ita, tu salutem consequereris. Si enim, sciuisses pauciores perire, minùs timuisses te perituru̇m, & sic minùs timendo, periisses: si vnus, aut alter tantùm periret, fors admodùm nihil timuisses, & sic paucorum exitium, tibi ademisset metum, & contulisset interitum: itaque, tot hominum exitium, tuum est beneficium. Quòd si in aliis malum pœnæ, tuum est bonum; multò magis bona aliena, erunt beneficia tua. Hoc vnicum est solatium humanæ vitæ inter miserias: quòd nihil possit fieri, nisi à Deo; & quidquid facit Deus, aut fieri permittit, non potest non esse beneficium, iuxta naturam Bonitatis eius: & quodcunque beneficium confertur, à Deo confertur, & quidquid à Deo confertur, illud est beneficium tuum, factum tibi. Dolores corporis, miseriæ vitæ, morbi, pestis, fames, bella, aquarum eluuies, omnia sunt tua beneficia; quia Deus propter tuum bonum, alios affligit tot malis. O Deus! quãtum debes Deo? qui, ut tu pauper, cælesti aliquo afflatu permouereris ad quid boni, non dubitat ipsos terrarum Dominos, & Monarchas interficere: nec curat tot hominum strages, & vrbium clades, imò & Regnorum excidia, ut tu inde à scelere resipiscas, ad frugem redeas. Pluris æstimat aliquem ex hara bubulcum, aut ex agro rusticum, aut è trivio homunculum corde contritum boni quidpiam cogitare, quàm vitam, & coronatas aliquot Regum capita, ac totas subinde gentes. Imò, tam potenter tibi Deus benefacit, ut ex ipsis peccatis tam tuis, quàm alienis boni aliquid eliciat, & quem non istud ad amorem eius alliciat? sicuti per vniuersam Ecclesiam ob commemorationem magni alicuius à Christo collati beneficij instituitur dies festus: ut Incarnationis, Nativitatis, &c. sic quotidie ob quodlibet Dei beneficium, deberet esse in corde quasi dies festus. Ad hoc nos hortatur Poëta:

Sit cordi festum; panem meminisse comestum.

Digitized by Google

10. DIES AVGVSTI.

Augusti. **Altissima quæque flumina : minimo sono labuntur.**
Curtius l.7.

Affabilitas. I. PErtexo telam Virtutum Moralium,quas inter nulla est, quæ tantas animis ad alliciendum habet præstigias,quàm comis quædam erga omnes Affabilitas.Hæc potissimùm versatur circa congressiones, & convictum:hoc est, circa totum ambitum actionum, ad humanam, & socialem vitam,ac conversationem spectantium : præsertim ad colloquia cum aliis:quæ homo affabilis studet ita attemperare, ut proximo grata sint,& talia,quæ hominem in ciuili vita degentem,non dedeceant. Necesse quoque ad eam est, præcurrere animi hilaritatem. Nam, ut dixit Sidonius:
l.9.ep.3. *Quidam barbarismus est morum,sermo iucundus, & animus afflictus.* Hæc Affabilitas potissimùm convenit iis,qui,vel in potestatis culmine, ut præsint: vel in dignitatis apice,ut imperent,sunt constituti. Illi igitur, qui alta occupant fastigia,imitentur altissima flumina,quæ,ut monet Tessera, *minimo sono labuntur.* Sic & illi, minimo tono loquuntur, sint Magnates, tanquam magnetes , qui comi affabilitate omnes etiam ferreos homines ad se trahant,tractos,sibi concilient,conciliatos obligent. Summa sapientia est in aucupe,scire,quo genere [illegible]borum,singulæ volucres delectentur. Et vt benè Arbiter:*Nisi piscator eam imposuerit hamis escam, quam scierit appetituros esse pisciculos,sine spe prædæ moratur in scopulo*:Sic voluntates, quæ variis simulationum involucris teguntur, partim largiendo , partim affabiliter alloquendo,partim promittendo,sunt nobis conciliandæ.

II. Maneat altâ mente repostum illud Sidonij effatum : *Breue sapè*
4.ep.6. *tempus est audientiæ , sed diuturnum iniuriæ.* Illius memor Pius II. Pontifex Maximus: cùm ad eum Senex verbis supra modum profusus , petendi quidpiam gratiâ venisset,eumque,quia profusiorem quidam de adstantibus admoneret, verè Pius Pontifex, omnia illum ab exordio repetere imperat,vultuque seueriùs in alterum retorto:*Nescis*, ait, *ex quo Pontificatum inij,alium viuere me oportere, non mihi.* Sic agant vtinam , & dicant , qui vel in domo sunt,patres-familiàs,vel in Vrbe, Consules, vel in Patria, Præsides, vel in basilica,Principes,vel in Ecclesia,Antistites,omnes denique in alios imperio pollentes. Optandum,omnes in se exprimerent, moribus, quod

in

in Constantino Nazarius tantoperè effert laudibus: *Quid? faciles aditus: quid? aures patientissimas: quid? benigna responsa: quid? vultum ipsum Augusti decoris grauitate, hilaritate permixtâ, venerandum quiddam, & amabile renidentem, quis dignè exequi posset? Quarum rerum miraculo, sic omnes deuinciebantur, ut non tam omnes dolerent, quod illum tyrannum tamdiu tulerant: quàm quod tali Principe tam serò fruerentur.* Qui talis est, tutior erit publici amoris excubiis, quàm omnium militum gladiis. Vnde, qui tutò regnare volunt, benevolentiâ, non armis stipari studeant. Augusti. Orat. in Constant.

III. In perfecto amore non licet reperire verba ficta, aut officia fucata. Qualis est amor in corde, talia sint verba in ore, si dissident verba, & corda, talis se magis reddet suspectum, quàm suspiciendum. Qui multis præest, est quasi araneus in medio telæ, vbi si apice acus, filum aliquod telæ vel leuissimè tangatur, mox illud sentit araneus, sic nullus subditorum, debet minimâ tangi iniuriâ, quin hoc statim sentiat vsque ad viscera. Plus debet conniti, ut affabilitate omnes pelliciat, quàm seueritate terreat. Est enim illud nimis quàm verum: *Nemo ei satis fidus, quem metuit.* Itemque, illud Iosephi: *Semper firmius est Principis imperium, qui amari vult, quàm qui metui. Natura enim, sic comparatum est, ut subiecti delectentur Regibus, de suo fastigio se non nihil demittentibus.* Horum non nescius Tiberius Imperator: *In appellandis, venerandisque singulis, & vniuersis propè excesserat humanitatis modum.* Huic similis fuit Rudolphus Imperator Austriacus, cùm enim, frequentior esset ad eum populi concursus, & per satellites quosdam tenuioris fortunæ ad se affectantes submoueri videret, non sine stomacho edixit, *Per Deum, finite homines ad me venire, non enim ideò ad imperium vocatus sum, ut in arcula includar.* Semper affabilibus sunt blanda fandi tempora. Quàm sit blanda animorum conciliatricula, Affabilitas. Si mihi non credis, ipsi crede Eloquentiæ, hoc est, Tullio. *Difficile dictu est, quantopere conciliet animos hominum comitas, affabilitasq; verborum.* Dicam igitur, cum Poëta: Curt. l. 10. 8. Antiq. 3. Sueton. in eius vita c. 29. l. 2. de offic. c. 14.

Si vis esse comes mihi: mores accipe comes.

Digitized by Google

II. DIES AVGVSTI.

Augusti.

Explicando te à mundo, simplex; Implicando, duplex eris. *S. Augusti. Hom. 2. in Ioan.*

Simplicitas.

I. SImplex vocatur moribus, qui commistus, ac multiplex non est, nec in varia abit, sed vnius tantùm, & incompositæ est formæ. Itaque simplicitas signat animum non effusum in multa, nec distractum in res externas. Non rarò simplicitas, animi lenitatem, referendæ iniuriæ nesciã denotat, coniunctam cum quadam naturæ bonitate, quà quis ægerrimè inducitur, ut de alio suspicetur, præterquam quod apertum est, foriſque proditur. Vnde qui transactâ iniuriâ, iram abiiciunt, nec in aliquo pectoris recessu, ac flexu recondunt, & ideò de vindicanda iniuria non sunt soliciti, meritò dicuntur simplices sicut columbæ, *quæ*, (teste S. Cypriano) *est simplex animal, & latum, non felle amarum, non moribus sæuum, non vnguium laceratione violentum.* Itaque simplicitas, est quiddam è pulcherrimis perfectionibus conflatum, eximia vitæ ratio, omni decore, & venustate concinna, coram Deo pretiosa, quam etiam vno verbo dicimus Innocentiam, cùm abest ab animo scelus, à corde, vindictæ cupiditas, ab ore, loquendi calliditas, à moribus, duplicitas, atque ut in lyra, est omnium in mente, & voluntate actionum Christianarum symphonia, hoc est breviter, candida simplicitas, & animi candor, qui candor non fucatus est, nec pictæ frontis inane tectorium, sed ab ipso manans animo, à dolo, fuco, & simulatione alienus.

Deuit. Eccl.

l. 1. Padag. c. 5.

II. Itaque Clemens Alexandrinus dicit Christianos esse mysticos agnellos, & vitulos Prophetarum lactentes, & pullos gallinarum, quos Ecclesia congregat sub alis, vocat eos & puerulos, qui sunt ad persuasionem faciles, ad bonitatem tractabiles, bile vacui, malitiæ expertes, malæ fraudis ignari. Hanc virtutem quantoperè voluerit nobis esse commendatam Christus, Politiæ nouæ conditor, prodidit in ipsis suis incunabulis. Nam vix natus, lucem cæpit intueri, humanisque oculis ducere diem, cùm cælestes misit nuntios ad cogendam simplicium pastorum pompam, superbis quidem homuncionibus despicabilem, sed militiæ cælesti venerandam, qui non auro, gemmisque rutilantes, nec potentiâ tumidi, aut Philosophiâ glorioſi, sed moribus candidi, simplicitate, verecundiâque decori, aduen-

tantem

tantem in mundum Messiam honorarent. Quod Divinæ Providentiæ consilium magnificè prædicat D. Ambrosius, *Non Gymnasia choris referta sapientum, sed plebem Dominus simplicem requisiuit, quæ phalerare audita, & fucare nesciret. Simplicitas enim quæritur, non ambitio desideratur.* Illius quoque natale, ut simplicium Regis, grex immolatorum tener, & puerorum infantium legiones, non tam lauro triumphali, & purpurâ Martyrij, quàm candidâ animi innocentiâ condecorarunt. Augusti. l. 2. in Luc.

III. Par iudicium deinde Christus in Apostolis legendis ostendit, quos Principes Religionis esse cupiebat. Neque enim illos cepit è scribarum arrogantium cœtu, & supercilio Pharisæorum, qui ad fraudem, & malitiam eruditi, populi applausum callido artificio emerebantur. Non è fori nanina facundia illos eduxit, aut è concilio Sanedrim, aut Caiphæ Prætorio, sed è communi vita simplices, innocentiâ vitæ, & bonitate cõmendatos. Vnde, cùm ad eum aliquando venisset, versipellis quidam, ac fastu turgidus, seseque offerret, ut sequeretur, *Sequor te Domine, quocunque ieris.* Christus, qui abdita pectoris penetrabat, *Vulpes*, ait, *foueas habent, & volatilia cæli, nidos.* Quæ verba sic interpretatur D. Augustinus, *Habitant in te insidiæ, sicut vulpes, habitat superbia, sicut volatilia cæli, filius autem hominis simplex, contra insidias, humilis, contra superbiam, non habet, vbi Caput suum reclinet.* Porrò, simplicitatis hic mihi videtur longè præstabilissimus fructus, quem Salomon compendio contraxit, dicens, *Cum simplicibus sermocinatio ejus.* Magnum omninò priuilegium est simplicitatis, quod habeat Deum contubernalem, & dulcissimo illius vsu, & familiaritate perfruatur, quod magnus ille Dominus, in cuius luce, ut minuti papiliones tremunt Seraphini, intimus velut domesticus velit esse simplicium, cùm illis instituat colloquia, & dialogos, illis paretaciat tua arcana. Felix, qui involutus suâ simplicitate, instar paruuli se omnibus submittit, dicitque cum Propheta, *Ego autem, sum vermis, & non homo, opprobrium hominum.* O simplices! iam verè filij Dei, quia vermiculi. Sic repere, est Deo adrepere, sic abiici, est in Deum reiici. Si cupis igitur pace frui, & Dei familiaritate vti, obserua illud dogma; Serm. 6. de verb. Dom. Prou. 3. 32. Psal. 21.

Ne fis corde duplex; humili sed pectore simplex.

Digitized by Google

12. DIES AVGVSTI.

Augusti. Sæpè magnorum fides, ex non magnis venit. *Quintilianus Declamat. 388.*

Fidelitas. *Epist. 1, c. 88.*

I. VT simplicitas verborum; sic fidelitas, est quædam veritas factorum, quam Seneca *Sanctissimum humani pectoris bonum appellat.* Peribit humana societas, si obligatam fidem frangere liceat; si deceptus, alteri se non amplius audeat committere; si nomine tenus amicos, ut hostes in insidiis positos formidet: sic peribit amicitia, maximus humanæ vitæ fructus, potissimùm in aduersis perfugium. Etiam hostibus fidem seruandam asserunt sapientes omnes. Sic Fabricius pugnaturus contra Pyrrhum Regem, à Medico Regis epistolam accepit, qua promittebat se Regem veneno necaturum, si iuberet. Sed eam epistolam misit Fabricius ad Regem crudelissimum, & admonuit; sibi caueret ab insidiis potiùs amicorum, quàm hostium. Quis non stupeat Fabricij erga iuratissimum hostẽ; tantam fidem, quem amicè monuit, ut tutè declinaret periculum, cui poterat procurare exitium? Qui fidem præsertim publicam fallit, obscurat totius gentis suæ gloriam; spe leuissimi præsentis commodi, innumeris se damnis inposterum exponit: nam illi fides non habebitur; datam læti non seruabunt, velut id illis liceat iusta talionis pœna. Delusi furore quodam acti, vltra solitas belli leges, igne, ferro, vastatione sæuiunt, & animantur quasi fauente Numine, iusque suum modis omnibus vindicaturo.

Bap. Fulgos. l. 6.

II. Sed quàm non sit vana hodiernæ diei Tessera; sæpè ex non magnis, venire fidem magnorum; patebit vnius servi erga Dominum fide. Inter proscriptos Menenius erat, & cùm eius domum armatis militibus circumseptam, eius servus videret, spreto omni præmio quod propositum erat, spretis periculis, & quo nihil habebat charius ipsâ vita: ut Domini vitam seruaret, lecticam, vbi Menenius manere consueuerat, ingressus, ferri se ab aliis seruis iussit; Menenium eum esse milites arbitrati, ipsum illic interfecerunt, sic moriens, cùm milites fefellisset, Dominum seruauit; qui seruilem vestem indutus, aliâ viâ cum multis, quos eadem fortuna vrgebat, in Siciliam ad Pompeium profugit. Quintilianus scitè appellat *Fidem, supremum rerum humanarum vinculum.* Et alibi: *Ego publicam appello fidem, quæ inter piratas, sacra est, quæ inter armatos hostes, inducias facit, quæ deditarum*

Declamat. 343.

Declamat. 267.

tarum ciuitatum iura conseruat. Immortalem se reddidit hâc fidei constantiâ Augusti.
Franciscus primus Galliæ Rex: is enim, Carolum Quintum Cæsarem in turbidos Gandenses, properantem, comiter deduxit, solâ fide Regis, & suâ fortunâ nixum Mirantibus Galliæ Proceribus, Regis sui comitatem, quod tam opportunam occasionem recuperandi Mediolanensis Ducatus præterlabi passus esset; hominemque, à quo summa rei dependebat, ita demisisset; in celebri confessu, cùm multa in sui defensionem adduxisset, adiecit: *Etiamsi fides toto orbe exularet, tamen Regibus tenenda esset, qui ea sola, & nullo metu, vicq; astringi possunt.* Vox Rege digna: & sic se habet. Alios lex, aut pœna coërcet; Principes, pudor, & fides.

III. Semper mala fides pœnas statim, aut postcà in violatoribus, aut in sanguine eorum luit. Equis igitur, remisque Perfidiam fuge; aliàs te fama fugiet: & quisquis vel hanc amat, fidem amet. Cuius multa vel testimonia sunt, vel exempla. Inter hæc eminet Alphonsi Petri Gusmani; qui, *Eborensis* cùm Tariffæ vrbi, Sancti Quarti Castalonensis Regis nomine præfectus *p. 142.* esset; atque in ea arctâ Maurorum, Ioannisque Sancti, Domini sui fratris, hostisque obsidione premeretur; nunquam aut pretio, aut precibus ad deditionem faciendam flecti potuit. Cùm autem Ioannes, eius filium, quo in obsequio vtebatur, ad muros deduxisset, fretus filij periculo, Patrem motum iri; non modò id Pater neglexit, verùm etiam à muris gladium porrexit, dixitque; Nolle, ut ei modus ad occidendum filium deesset; quo autem vultu de muris ensem deiecit, eodem occidi filium, nihil ab eo mutatus inspexit. Quis virum illum inæstimabilem non æstimet; qui pluris æstimabat fidelitatem in Dominum, quàm charitatem in filium? Prudenter Q. Marcius apud Liuium: *Fauere pietati, fideiq; Deos, per quæ populus Romanus ad tantum fastigij venerit.* Hinc callidi isti, & impostores, quantumuis subtilibus consiliis; rarò, aut nunquam ad potentiam perueniunt; aut si in ea, non sunt firmi. Denique fides in hominibus, est rara auis in terris. Proverbium est: fronti nulla fides. Hinc fide, sed cui, vide. Frons aliquando pollicetur, quod mens negat: & quod in illius tribunali statuitur, in istius, ut ita dicam, solio occultur. Ut sis igitur catus, esto cautus, iuxta monitum illius:

Ni sit nota fides: ignoto non bene fides.

13. DIES AVGVSTI.

Augusti. Nulli paruus est census, cui magnus est animus. *S. Leo in appa. Dom.*

Liberalitas, l. 4. Ethic. c. 1.

I. *Liberalitas*, (teste Aristotele) *est mediocritas circa pecunias*. Vocat mediocritatem, quod instar Virtutũ aliarum in medio sit, & velut Isthmus pe tanguſta; hinc inde maria duo, geminosque habeat scopulos, à quibus reuocat animum Virtus: ne labatur vel in Auaritiæ sordes, vel in nimiam profusionem, quæ est Prodigalitas. Versatur autem, hæc moderatio circa pecunias, quod in earum vsu, beneficentiæ laus omnis occupetur. Tres porrò, Liberalitatis sunt actiones: *Accipere, Conseruare, Largiri*. Ordior à primâ. Liberalis accipit opes, ut dicit Aristoteles, vnde oportet, de suis, videlicet, rebus largiri, quia id necessarium, ne Beneficentiæ fons exhauriatur, & desit, vnde de aliis benè mereri possit. Hinc benè Seneca de sapiente: *Non amat diuitias, sed mauult: non in animum illas, sed in domum recipit: nec respuit possessas, sed continet, & maiorem virtuti suæ materiam subministrari vult.* Multi fuêre ut sanctimoniâ, sic & rerum omnium abundantiâ conspicui, qui tantùm opes habuerunt *ad largitatis materiam, non ad cupiditatis incendium*; ut loquitur Chrysologus. Cui assonat Latinus morum Magister: *Apud sapientem virum, in seruitute sunt diuitiæ, apud stultum, in imperio*. Liberales accipiunt pecunias, non ut arcis, velut arcibus includant: sed ut in alios dispergant. Sic opes congregabat Alexander Papa V. qui sic in omnes fuit munificus: ut vix quidquam domi habuerit, quod non in pia opera expenderit. Quare per iocum dicere solebat: se divitem fuisse Episcopum, pauperẽ Cardinalem, mendicum Papam. Papè, quis hoc non miretur in Papa?

De Beat. vit. c. 21.

Serm. 28.

II. Alter Liberalitatis actus, est Conseruare. Debet ea conseruare non sibi, sed aliis: nec indiligentiâ suâ ea dilabi sinet. In rerum conseruationem, quantum fas est, curam animi sui intendet: ut laudabili earum vsu, sibi, suisque prouideat, & quàm plurimis gratificetur. Non tamen in minutis rebus tricabitur: vel ob vnum, alterumvè nummum malè dispensatum, ibit in furias, & omnia susque deque miscebit: quod est proprium auaris, sed placidum animi statum retinebit. Dein, in quærendis opibus non ardorem adhibebit impotentem: non extorquebit vi, & fraude pecunias, quo ditior esse possit, & habere quod donet: non vicinos fallet: non termi-

terminos prædiorum emouebit: non feret lites iniustas, nec de cotio ludet alieno: quare, si Iudex fuerit, vel Advocatus, non vendet iura, quorum debet esse patronus: si mercator, non fraudabit: si tutor, non circumscribet pupillum, quem debet diligere ut pupillam oculi: si miles, non expilabit domos: si caupo, non aquam vino miscebit: si Magistratus, non interuertet publicas pecunias, & in domum suam derivabit: denique, si Princeps, non vrinæ vectigal imponet, ut avara mens Vespasiani, nec fiscum aureo, & argenteo sanguine complebit, non astu quoque ne quid det, vtetur, ut Antigonus, à quo, cùm Cynicus peteret talentum, respondit, plus esse, quàm Cynicum deceret, cùm repulsus peteret denarium, respondit: Minus esse, quàm quod Regem deceret dare. Turpissima est talis cavillatio. Invenit enim, quomodo neutrum daret, in talento Cynicum, in denario Regem respexit: cùm posset & denarium Cynico dare, & talentum, tanquam Rex. Augusti.

III. Tertius actus, est Largitio, quæ maximè est propria Liberalitatis. Illi igitur, quibus nullæ pectoris angustiæ sunt, neque animi parci, ac restricti parsimoniâ, ad bene merendum dilatantur, & sua emittunt affluenter. Præclara est laus, quam S. Fulgentius Thrasemundo Regi Vandalorum tribuit: *Sic Africano præsides moderando regimini: ut magis desideres animi spatia dilatare, quàm Regni.* Et certè, nulla gratior, nec fulgentior dextera esse potest, quàm munificentiâ, & largitate, ut censet Hildebertus, qui de Magno Rege loquens: *Nouit*, inquit, *Regiam manum meliùs donatiuo splendere, quàm sceptro.* Ideò sapienter dixit Philo: *Beneficentia, sicut Luna, nunquam pulchrior apparet, quàm cùm plena est.* Et Xenophon aiebat: *Esse longè honestius, beneficiorum, quàm trophæorum multitudinem relinquere.* Et Artaxerxes Longimanus dicere solebat: *Regalius esse addere, quàm adimere.* Præstitit hac virtute Alexander Magnus, qui cùm daret ciuitatem cuidam dicenti, non convenire ciuitatem humili fortunæ suæ, respondit: *Non quæro, quid oporteat te accipere: sed quid deceat me dare.* Cuivis autem est integrum, esse munificum. Nam iuxta Tesseram, cui magnus est animus, illi non parvus est census: quia modus pietatis non pendet à mensura rei familiaris. Licet enim, quis habeat multa, alius pauca: non ideò tamen discrepat fructus operum, vbi non deest affectus operantium. Denique, dos propria est liberalium: *In donando valde excellere*, ait Aristoteles, exuberare, & quodammodo fluviorū instar, munificentiæ amore, & studio, extra ripas velut diffluere: existimare se debere, quod sponte tribuit: nihilque se præstitisse, nisi in beneficiis suis creuerit: munera oblata spernere, accepta effundere. Tametsi fatear verum esse illud Poetæ: Augusti. l. 1. c. 2. Epist. 3. l. 4. Ethic.

Qui spernat munus; non est è millibus vnus.

Digitized by Google

14. DIES AVGVSTI.

Augusti. **Homo, Deum tanti debet habere, quanti est habendus; tanti verò habendus est, quantus est.** *Guigo in medit. cap. 9.*

Religio. I. INter Virtutes morales, primas occupat, quæ dignitate est prima, Religio. Itaque ducerem mihi Religioni; si cùm tanta sit, præterirem virtutem Religionis. Dari naturalem Religionis virtutem, cùm sit conspirans omnium gentium consensus, est extra omnem dubitationis aleam. Religio, quâ de hîc agimus, tota occupatur circa cultum Deo debitum. Itaque supremus cultus; quem, Religio respicit soli Deo debetur. Cultus autem ille potest exhiberi per actus partim externos, partim internos: & inter hos non modò voluntatis, sed & intellectus, id est, summam existimationem internam, quam de Deo habere possumus. Præclarè de hac æstimatione Auctor hodiernæ Tesseræ. *Rationalis creaturæ vera perfectio est; unamquamque rem tanti habere, quanti habenda est. Nam pluris, vel minoris eam habere, errare est. Deum itaque tanti debet habere, quanti habendus est: tanti verò habendus est, quantus est. Tanti autem, quantus est, habere eum nemo poterit; nisi quantus est, noverit. Sed quantus sit, non nisi à seipso nosci poterit perfectè. Sicut igitur, sola ejus de se sibi perfecta cognitio; ita sola eius de se æqualis, & par est ex toto dilectio. Solus quippe se; quia perfectè quantus est, novit: pefectè quantus est, diligit. Quæ ergò creaturæ rationalis perfectio? tanti Deum habere, quanti à se, id est, creaturâ rationali habendus est. Quanti autem habendus? Tanti, nihil ut ei præferatur, nihil æquetur, nihil pro media, nihil pro tertia, nihil pro quantacumque usque in infinitum, parte comparetur.*

II. Cum igitur, Dei tanta, quanta non potest concipi, sit dignitas; quanta illa indignitas, pessima quæque, & minima, præferre Optimo, & Maximo? Jure igitur eos, qui è rebus conditis, spreto earum Conditore, humiles emendicant delectationes, ad satiandas insatiabiles cupiditates, copiosæ inopiæ, & ignominiosæ gloriæ Augustinus insi-
In Psal. 79. mulat, his verbis: *Quid amas, ut Deum non ames? dic mihi? Ama si potes aliquid,*

Digitized by Google

quid, quod ille non fecit? Circumſpice univerſam creaturam: vide, utrum alicubi cupiditatis viſco tenearis, & à diligendo Deo impediaris: niſi eâ re, quam creavit ipſe, quam negligis. Quare autem, amas iſta, niſi quia pulchra ſunt? poſſuntnè eſſe tam pulchra, atque ipſe, à quo facta ſunt? Mirariis hæc, quia illum non vides; ſed per ea quæ miraris: ama, quem non vides; Interroga creaturam; ſi à ſeipſa eſt, remane in illa: ſi autem, ab illo eſt, non ob aliud perniciosa eſt amatori: niſi quia præponitur Creatori. Sic miſeri, quæ Deus condidit in hominis bonum; vertimus in noſtrum malum, dum pulchritudine corporum, & dulcedine ſaporum, & illecebrâ honorum, & ſplendore facultatum, ſinimus nos abripi à Deo, ad ea, quæ propter nos fecit Deus. Auguſti.

III. Non amandæ igitur res creatæ, niſi eâ moderatione, quam in Meditationibus præſcripſit S. Auguſt. *Si autem iſta diligis*, ait, *ut ſubiecta dilige, ut famulantia dilige, ut arrham ſponſi, ut munera amici, ob beneficia Domini: ſic tamen, ut memineris ſemper, quid illi debeas: nec iſta, propter ſe: ſed iſta, propter illum: nec iſta, propter illum: & per iſta, illum, & ſuper iſta, illum diligas.* En præclaram regulam, quâ noſter regendus eſt amor, cultus, & æſtimatio erga Deum. Chriſtianæ profectionis æmulator ſtrenuus, juxta hæc puncta ſuam conſcientiam excutiat, & dirigat. Inveniet facilè, quam rectam arbitrabatur, plerumque detortam eſſe creaturarum dilectionem, & ſuper æquum æſtimationem: & quod eas non in Creatore, & propter Creatorem; ſed in ſeipſis prô dolor! & propter ſeipſas amore proſequatur. Hæc, quiſquis legis, attende, expende, pave, & cave. Interim Religio, ſive cultus Dei, & æſtimatio, inter omnia ſint tibi maximo in pretio. Nemo enim cultum Dei impunis neglexit; imò nec inter Ethnicos, Deorum. Cujus rei fidem faciet inter innumera exempla, unum: Cambiſes, Cyri Filius, quinquaginta hominum millia miſit ad Iovis Ammonis templum diripiendum, & incendio fædandum: at cùm inter Oaxim, & Ammonios pranſiſſent, ſubitâ ventorum tempeſtate, arenarum cumulis obruti ſunt; nec ex tanto agmine nuntius repertus eſt. Si hæc Dij! quid Deus? ſentiet pœnas in ultimo iudicio, quas evaſit in præſenti ſæculo. De illo quid dicam, niſi cum vate. Supra.

Va miſero mundo, veneris cùm Chriſte ſecundò.

Digitized by Google

15. DIES AVGVSTI.

Augusti. **Mariæ magis placet imitator devotus; quàm laudator otiosus. *S. Ildephonsus serm. 1. de Assumpt. B. V.***

Mariæ ad cœlum assumptio.

I. SOlemnitas assumptæ in cœlum MARIÆ Virginis, est celebritas in terris Mariani Paschatis. Hæc iuxta Tesseram, plus requirit ejus cum viuendi integritate imitatorem; quàm cum dicendi facultate laudatorem. Porrò, rerum in hac virgine laudabilium, tanta est silua; ut debeam in ubertate modum potius, quàm in ieiunitate copiam aucupari. Habuimus anteà advocatum apud Patrem, JESVM: nunc habeamus advocatam apud Patrem, & Filium, MARIAM. Ut anteà à Patre, Filio, sic modò à Filio, Matri data est omnis potestas in cœlo, & in terra. Datum est illi, & jus omne dispensandæ gratiæ, & in omnes miseros effundendæ misericordiæ. Itaque dum Virgo ad cælum assumitur, spem inde sumamus, plus valituram Christi reverentiam erga suam Matrem; quàm nostram irreverentiam erga ipsum. Fatentur ipsi Ethnici, & inter illos, etiam Barbari, reverendos esse à Filiis parentes, ut Deos secundos: & quæ ijs debentur, non posse ullis obsequiis solvi. Cùm igitur doctrina Christi excedat omnem captum Philosophiæ, cùm & ejus exemplum præcesserit humanam omnem opinionem; si Ethnici docuerint honorandos parentes; quomodo honorabit Filius Dei, Matrem suam? Illa fuit Gentilium observantia: qualis erit Christi perfectio? qui leges antiquas antiquando perfecit, dum in amoris lege addidit inimicorum amorem; qui in castitatis præcepto, etiam concupiscentiam vetitam docuit: quomodo ergò in mandato, quo præcipitur Filiorum in parentes observantia, excellet honorando Matrem?

II. Alijs parentibus non est arbitrarium, Filium eligere, quem velint gignere. Mariæ commissum est arbitrio, gignere, quem volebat Filium: voluit itaque, illum gignere, nec alium præter illum. Voluntas enim ejus toti rerum universitati expectatissima expectata fuit à Patre; expetita à Filio; exquisita à Spiritu sancto. A Patre, ut illius, esset Filia: à Filio, ut illius esset Mater; à Spiritu sancto, ut illius esset Sponsa. Ideò Christus, quia gemino illi est obnoxius debito: altero Naturæ; altero Voluntatis: repen-

dit

dit debitum voluntatis, nihil negando eius voluntati. Incomparabiliter ma- Augusti.
jorem agnoscit Christus abligationem erga matrem suam; quam est aliorum Filiorum in Parentes. Imò, quis non stupeat? Obligatio JESV ad MARIAM: est similis, ut sic loquar, obligationi creaturæ ad Creatorem. Ex beneficio Creationis nascitur debitum maximum; quod Deus non modò nos procreavit; sed simul, quod nos consilio elegerit; & nos potiùs, quàm alios infinitos creare decreverit: tot alijs in immensa illa nihili abysso relictis. Quàm hinc inmanis emicat MARIÆ excellentia, cùm simili obligatione illi obstrictus sit Deus; quo creaturæ Deo: quæ obligatio est omni ex parte infinita. Et sicut iuxta Philosophiæ placita, ab esse ad non esse, est immensa distantia: ita, & immensum est discrimen inter obligationem, quæ resultat ex illo beneficio, quo quis accipit esse, & naturam, & obligationes ex aliis beneficiis communibus ortas, quæ supponunt substantiam.

III. Hinc jam texo hoc argumentum: si Deus in illos, qui infinitis nominibus illi sunt obstricti, est liberalitate suâ effusissimus; imò si in illos, qui eum enormibus flagitiis offenderunt, est benignitate clementissimus: quomodo avarus, aut immisericors erit erga Matrem suam, cui est debitor, & tanta debet? Quomodo negabit illi aliquod gratiæ privilegium, à quo tantum accepit beneficium? Quid non dabit JESVS per MARIAM, à qua accepit vitam humanam? Quid pro illa non faciet, ut illi satisfaciat, sicut Filij, quibuscunque vel beneficijs, vel obsequijs, vel officijs unquam possunt eradere debitum, quo sunt Parentibus obligati, propter unicum vitæ munus, quod est caput omnium munerum: & omnes actiones, ac dona Filiorum, videntur propria Parentum: quia si Filij illis benefaciunt, à Parentibus acceperunt, unde possunt benefacere. Sic Filius Dei nihil potest negare Matri: cui debet, quod sit homo. Deinde, cùm det omnia per Matrem: iam eâdem operâ dat omnia Matri. Atque ita cogit nos illam venerari, & ad eam in quavis necessitate recurrere: ut nobis succurrat, cùm per illam necesse sit cuncta à Filio impetrare. Sicut igitur Christus ab illa accepit esse naturale, hoc est, naturam humanam: sic vult nos ab illa accipere esse supernaturale, hoc est, Gratiam Divinam: qua cùm simus adoptivi Filij JESV: sumus, & MARIÆ. Quid superest: quàm ut nos memores tanti beneficij, non simus immemores tanti debiti: sed si Filij simus Mariæ, faciamus opera MARIÆ: & sic tantis Parentibus pareamus, quod illis erit uberrima seges gaudij: quia

Gaudet uterque Parens, dum Filius est bene Parens.

Digitized by Google

16. DIES AVGVSTI.

Augusti. **Qui adoramus unum Patrem; quare non agnoscimus unam Matrem? S. *Augustinus serm. de gestis cum Emerito.***

Adoratio. I. VT agnoscant omnes unam Matrem in terris: sicut adorant unum Patrem in cœlis; res est magis voti, quàm spei. Nos hîc de adorando uno Patre, compendio differemus. Inter actus Religionis, primus, est Adoratio, quâ homo supremam Dei Majestatem omni demissione veneratur; qui vocatur *latria*, & convenit soli Deo: & eam Anastasius Episcopus Theopholeos, vocat *Emphasim honoris*. Gemina porrò sunt Adorationis elementa: nostra vilitas; Dei dignitas. Ex illa nascitur profunda humilitas: ex hac suprema Numinis reverentia. Quanta sit hominis infirmitas, hinc liquet; quòd nihil tam proprium sit rei creatæ, quàm ipsum nihil; quod minus est, quàm puluis, & cinis. Priusquam nos Deus procrearet, in nihilo fuimus; unde quis emicare in hunc mundum suis opibus utique potuisset? si frui luce cæpimus, velut è cortinâ, monet pius Vates: *Ipse fecit nos: & non ipsi, nos.* Quidquid superstruxeris: alienum est, cæleste munus, Dei donum. Unde ingens oritur obligatio agnoscendæ summæ Dei erga nos beficentiæ. Iam, si oculos à nobis reflectamus ad Autorem nostrum; tanta est illius Majestas, tam immensa amplitudo; ut in illius consideratione deficiat mens, & quasi vermiculi esse in terra videamur, nihil audentes, nihil intelligentes. Vastus quidam est omnium perfectionum oceanus, potentiæ omnibus metuendæ, mirandæ sanctitatis, circumfusus gloriâ. Omnia denique in eo sunt infinita. Ex his duobus bene exploratis, nascitur illa reverentia, animique dejectio; in oculis Opificis Dei, cuius augustum Numen, excellentiamque veneramur.

In Synod. act. 4.

Psal. 99. 3.

II. Rem adumbro fictâ similitudine. Fingamus tabellæ pictæ ad exigui temporis interuallum, mentem, rationem, usum sermonis tribui. Iam expolita, quod illa ad beneficium agnoscendum, & honorandum Opificem suum, loqueretur? Tu O Apelles! Pater, & Mater mihi es, Rex, Dominus; & quidquid nominum excogitari potest, ad testandum iustissimum in me dominatum: dum me circumspicio, nihil video, unde me suspiciam; quia nihil invento meum, nihil quod non prefectum sit à te, & verè tuum. Si telam habeo, aut aliud materiæ genus; tu illam pecuniâ tuâ comparasti: si pictu-

Digitized by Google

picturam: tu colores, umbram, & lumen adhibuisti: & hæc tanta, tamque amœna rerum varietas, tuæ manus, & penicilli opificium est: omnia denique sunt à te. Ideò potes me sine ulla mei iniuriâ, aut in profluentem abiicere undam, aut in flammam, aut in sterquilinium. Si quis laudet pulchritudinem meam: si exquisitam omnium colorum temperationem: si collocationem omnium rerum decoram: non merita mea, sed dona tua, industriamque prædicaverit. Si fur mihi insidietur: si rodant mures: si noxius humor, aliaque noceant: nec mihi sint manus, aut vis ulla, quâ me in pericula tuear. Ideoque, te semper intueor, qui solus es mihi præsidium, & perfugium. Quid igitur reliquum est, quàm ut totum tuæ voluntati subiiciam, tuum nutum observem, adorem potentissimam tuam in me dominationem? Hæc, inquam, adumbratio est, sed rudis, & longè imperfectior, quàm ut rei dignitatem possit attingere. Augusti.

III. Intuere, ut te excites ad Dei adorationem, illud animatum in columnâ sanctimoniæ simulachrum, Simeonem stylitem, qui ipsos octoginta annos columnæ institit: nec alia tunc erat eius occupatio, quàm vacare adorationibus per inclinationes continuas corporis ita profundas, ut viderentur à capite ad pedes usque pertingere. Et fuit non nemo, qui inclinationes hasce cœpit numerare: jamque ad duo millia, ducentas viginti quatuor numerando pervenerat, uno die, cum subeunte tædio destitit. Tu opta non octoginta annos: verum octoginta sæculorum milliones, & integram insuper, si consequeretur æternitatem: ut toto hoc tempore testificari possis formidabili Dei Majestati per consimiles adorationes corporis: quod nihil omninò sic adorari dignum sit, atque immensum eius Numen. Nunc ergo, quantùm potes tantùm te submitte coram illo: coram quo submittitur omnis altitudo, dicens: Ut intelligat mundus, quia agnosco me figmentum manuum tuarum: te verò, supremum animæ meæ Principem, submississimâ totius corporis reverentiâ me ad pedes infinitæ Majestatis tuæ abiicio, testorque hanc esse gloriam meam non modò summam, sed solam: quod sim aliquid tui, & nihil mei: & ita ad te spectans, ut pendeam ex Te totus, & esse meum omni modo Tibi, ceu toti suo necesse habeat adhærere. Illud quoque opto, ut producere vitam ad mundi usque interitum liceret, nec aliud in momenta singula vitæ meæ negotium foret, nisi per modum homagij, & subiectionis clientelaris, tot omnis generis adorationes facere, quot radios spargit mundi oculus, Sol, orbi huic universo lucem impartiens. Sic adorando, quidlibet exorabis, nisi vanus sit is, qui hoc panxit:

Is Facilè exorat, supplex qui Numen adorat.

17. DIES

Digitized by Google

17. DIES AVGVSTI.

Augusti. **Qualis vis esse, dum Deum oras, talis semper esto.**
Sextus Pythagoricus in sententiis.

Oratio. I: VBi præcessit Adoratio, sequitur Oratio, quæ est mentis ad Deum ascensus. Dignus eris illo ascensu, si toto nitaris conatu, ut iuxta Tesseram, semper sis talis, qualis oraturus Deum. Quales porrò simus, cum Deum oramus, insinuat S. Chrysostomus: *Per Divinum colloquium illud assequimur, ut & mortales, & temporarij esse desinamus: naturâ quidem mortales, sed colloquio, conuictuq́, quem cum Deo habemus, ad immortalem vitam transeuntes.* Quanta illa pro nobis dignitas, ut cùm sit Deus ineffabilis, sit super omnes affabilis. Tanta Majestas cæli, submittit se ad colloquia cum vermiculis terræ. Et tamen tanta est hominis rusticitas, dicam, an cæcitas? an pravitas? ut cum Deo habere colloquium, sit illi fastidium. Insigniter mendax est homo, si dicat se diligere Deum, & in pectore suo morantem non alloquitur. Amicitia muta, non distinguitur ab odio. Quod si nolis vel tantillum, Deum reuereri; velis saltem tui misereri: si, ut ores, tibi non suadet charitas, saltem persuadeat necessitas. Si hanc ignores, intellige ex D. Chrysologo: *Nos, qui ad incerta consurgimus, qui inter insidias diem ducimus, qui horarum varietates, momentorum motus, verborum lapsus, actuum pericula sustinemus. Quid est, quod Ecclesiam manè nolumus intrare? Quid est, quòd matutinâ prece, totius diei custodiam nolumus postulare? Quid est, quòd homini adstare toto tempore libet? & Deo assistere, nec puncto libet? Manicemus, & oremus, vel humano timore, si non amore Divino, si non inuitati bonis, vel coacti malis.*

Orat. 1. de Orat.

Serm. 33.

II. Totus, quantus es, non es, nisi miseria, totus ignorantia, totus inopia. Vnicum præsidium tibi supereſt, quo possis esse eximius à miseria, & pulsâ ignorantiâ sapere, & liberari tuâ egestate, Oratio. Summoperè placet Deo, sibi offerri occasionem exhibendæ suæ beneficentiæ: ideò enim creavit omnia, ut haberet quæ, & quibus donaret. Cùm verò oramus, vrgemus Deum ad hoc, ad quod totâ naturâ suâ propendet, videlicet, ad dandum. Ideò acceptissimæ sunt illi orationes nostræ, quia instaurant indignitatem ex peccato, exhibitâ Deo

Digitized by Google

Deo occasione faciendi per eas illud, propter quod fecit omnia, quod est benefacere. Non potest Deus se continere à largiendo: ardet jugiter benefacere; ideò impensè nos adhortatur, ut sine intermissione oremus; quia sine intermissione cupit dare: quomodo ergò privamus nos Deum suo voto, & nos ipsos nostro bono? Ut autem quod petimus, extorqueamus; induamus nos meritis Jesv Christi; tunc non nobis, sed Christo petimus. Si tu pauperi postulanti eleëmosynam in nomine Christi credis te Christo impertiri; idem faciet Pater tuus. Si tu moveris, quando per Christum aliquando petitur; quantò promptiùs Deus movebitur ad eleëmosynam? Annè minùs misericors est Deus, quàm tu miser? *Augustus.*

III. Si oportet cum Dynastis agere, quot devoranda sunt tædia, quanto studio sunt captandæ molliſſimæ occasiones adeundi? Ad Regale illud secretum, semper velum reductum est, patet introitus ad Solium divinitatis: cælestes illi Palatini non repellunt; sed deducunt potiùs nos, & invitant. Prô! quanta Dei dignatio! pædore plenus, sordibusq; obsoletus, cùm voluerit, potest ad Deum accedere, cum eo loqui; & non modò Sacram Purpuram, ac manum; sed ipsum quoque os, atque pectus suaviari: è colloquio redire opulentus, & delibutus incredibili consolatione, & virtutum ornamento splendidus, & gratiâ coronatus. Itaque, mirum non est, si mortales plurimi cæcutiant; si repant humi, turbulentis affectionibus, ut fluctibus hausti; si debilitetur indies amor ad res divinas, & ad omne genus honestorum officiorum, ac virtutum. Non est quærendus, ut ores, locus, cùm ubique sit Deus. Hinc rectè D. Augustinus: *Cùm oras, clama; non voce, sed mente. Nam & tacentes exaudit Deus; nec quæritur locus, quantùm sensus. Ieremias confortatur in carcere: Daniel inter leones exultat: tres pueri in fornace tripudiant: Iob nudus in sterquilinio triumphat; Paradisum de cruce Latro invenit: non est locus, ubi non sit Deus.* Sis magis, dum oras, solicitus de clamore cordis, quàm vocis; clament opera, non verba; vita, non lingua. Nam benè D. Isidorus: *Quid prodest strepitus labiorum, ubi cor est mutum? sicut enim vox sine modulatione, est quasi vox porcorum: sic oratio sine devotione, est quasi mugitus boum.* Sola, dum oras, labia non expungent crimina. Ad verba mea alludit Poëta: *Augustinus serm. de Quadrag.* *De sum. bon. l. 3. c 8.*

Non poteris labiis, orando eradere labes.

Digitized by Google

Augustus.

18. DIES AVGVSTI.

Præmium Dei ; ipse Deus est. *S. Augustinus in Psalm. 72.*

Devotio. I. EX oratione nascitur optimæ Matris optima filia, Devotio; quæ est voluntas promptè faciendi, quod ad Dei servitium pertinet. Hoc est, quædam agilitas, & vivacitas Spiritus; cujus præsidio charitas, suas in nobis actiones (aut potiùs nosper illam) promptè exequitur, & expeditè operatur. Struthiones nunquam in altum subvolant; gallinæ magnâ cum difficultate, & demissè, & perquàm rarò: sed aquilæ, columbæ, hirundines, & sæpè, & perniciter, & sublimiter in altum volant. Sic, qui in Dei obsequio torpent; qui in virtutum exercitiis languent; qui in luto vitiorum jacent, nunquam animum è solo, inferunt cælo; omnis illorum libratio, & occupatio, & studium in terra, circa terram, & propter terram suscipitur. Probi verò, quibus deest illa in divinis obsequiis agilitas, & promptitudo; ut gallinæ admodùm ægrè, & rarò, & turdè, nec sine gravi nisu in altum se efferunt. At, qui sincerè Devoti sunt; celeriter, & frequenter, & ut Aquilæ, toto alarum remigio, ad cælestia evolant. Juvat hîc expendere

In Ps. 85. verba S. Augustini: *Non putrescit cor, si levetur ad Deum. Frumentum tuum, si haberes in inferioribus, ne putresceret, levares istud ad superiora. Frumento tuo quæris mutare locum: & cor permittis in terra putrescere. Frumentum levares ad superiora: cor leva in cælum. Et unde, inquis, possim? qui funes, quæ machinæ, quæ scalæ opus sunt? Gratus affectus est; iter tuum, voluntas tua est: amando ascendis, negligendo descendis.*

II. Diversi, in diversis virtutum exercitiis sunt devoti; prout Spiritus, qui ubi vult, spirat, illis cælesti afflatu inspirat. Adstipulatur mihi D. Ber-

In Cantic. nardus: *Non omnibus eodem modo data est gratia ista, scilicet, Devotio. Porrò, Thomas in latere; Ioannes in pectore; Petrus in sinu Patris; Paulus in tertio cælo, secreti hujus gratiam sunt assecuti: prior, mulier stravit in tuto loco humilitatis; posterior, in solio spei; Thomas in fundamento fidei; Ioannes in lecto Charitatis; Paulus in intimo scientiæ; Petrus in luce veritatis. Sic apud Sponsum mansiones multæ sunt.* Sic unus capitur frequentibus jejuniis, alius crebris precibus; ille solitudinis silentio; hic, animarum zelo; quidam, effusis in egentes eleëmosynis; nonnemo, habendis è suggestu concionibus. Ut varij sunt hominum

num vultus: sic varius in multis est Devotionis sensus. Ubi porrò est intensa Devotio; illic sæpè est divina consolatio; quam pronius est experiri, quàm explicare. De ea concinnè S. Augustinus: *Nescio, quid incorporaliter, & spiritualiter in nobis facit Deus; quod nec sonus sit, qui aurem percutiat; nec color, qui oculis discernatur; nec odor, qui naribus capiatur; nec sapor, qui faucibus judicetur; nec durum, aut molle, quod tangendo sentiatur: & tamen aliquid est, quod sentire est facile, explicare non possibile.* In hoc tamen tam suavi gustu, & cælestium deliriarum sensu; ab uno, tanquam à scopulo est declinandum, videlicet; Augustus. *In Ioan.*

III. Nihil in divinis deliciis quæratur præter eum, cujus deliciæ sunt, esse cum filiis hominum. Hujus nos admonet hodierna Tessera; de quâ fusiùs ita D. Augustinus, exponens illa verba, *Mihi autem, adhærere Deo, bonum est. Non ab illo petitur aliud præmium: qui aliud præmium petit à Deo, & propterea vult servire Deo; carius facit, quod vult accipere; quàm ipsum, à quo vult accipere. Quid ergo? Nullum præmium Dei? nullum præter ipsum: præmium Dei, ipse Deus est.* Itaq; causa, & ratio sola Devotionis in Deum, non debet esse aliquid, quod est Dei; ut Spiritus delectatio, sed ipse Deus. Sicut in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento licet appareant species, quæ dicuntur Sacramentales; tamen solus ibi Jesvs agnoscitur, colitur, adoratur. Et dum Devotio est in illo tam excelso fastigio, ut omnia despiciat, solum, qui supra omnia est, suspiciat Deum; tunc Devotio est omnium dulcedinum dulcissima, & virtutum omnium Regina. Quia Charitas, & Devotio non plus inter se differunt, quàm ignis, & flamma; quia Charitas, cùm spiritualis quidam ignis sit, dum vehementer inflammata est, dicatur Devotio. Est igitur Devotio, Charitatis perfectio: si enim Charitas, sit lac; Devotio, est ejus cremor: si illa est planta; Devotio, ejus est flos: si illa est gemma; Devotio, ejus est fulgur: si illa est balsamum; Devotio, ejus est fragrantia. Unum ergò tibi sit votum, uni Deo esse devotum; sic vota tua Deus non tantum audiet, sed exaudiet. Poëta faciet fidem, si quæ fides Poëtis:

Si sis devotus, Deus audit mox tua vota.

Digitized by Google

Augustus.

19. DIES AVGVSTI.

Deus non voce clamosâ est pulsandus, sed conscientiâ rectâ placandus; quia non est vocis, sed cordis auditor. *Chrysost. super Matt.*

Orationes Jaculatoriæ.

I. MAgnus ad Deum est clamor, tacitus in pectore Amor. Cor, quod multum amat, vastùm clamat: ejus silentium, est strepitus. Etiam tacendo, pulsamus cælum. Unicum enim cordis amantis suspirium est, veluti ex intento arcu emissum spiculum. Ut igitur in Proverbio dicitur; *Non multa, sed multum.* Sic paucis hodie suggeram; quomodo multum, verbis non multis, possis orare. Ut, quam priùs commendavi Devotionem, foveas; & sic Deus tibi Devoto faveat: sint tibi familiares celeres animi motus per brevem aliquam precationem in Deum tendentes; quos, divini Patres, *Iaculatorias* nominant orationes; quòd sint pia veluti jacula, igneæque amoris sagittæ, quæ rectà in cor Dei ferantur: sunt precatiunculæ alatæ, quæ momento Devoti animi motum in cælum efferunt; & lucentes cæli globos aperiunt, & penetrant usque ad thronum sempiternæ divinitatis; quas rectè vocaveris Igniculos. Hæ breves, devotæque vi mentis ejaculatæ orationes, mirum quantum valent ad exsuscitandum animum, & è veterno pigritiæ excitandum: his enim animus ab humilibus rebus sevocatus, in Deum cum impetu tendit. Hujusmodi sagittarum, quas in cælum, & ad Deum jaculeris Pharetrâ, sunt Regij Vatis Psalmi; quibus, vel animum per humilitatem submittas; vel, per amorem attollas; vel, metuendam Numinis Majestatem colas; vel, ejus præsidium petas; vel, ut ob scelera gemas; quibus denique, infinitis modis Deo placeas.

In vitâ Malach.

II. Hoc exercitium familiare fuit B. Malachiæ, qui similibus orationum jaculis cælum sæpiùs impetebat, & Deum feriebat; de quo ita nervosè S. Bernardus: *Cùm Malachias iter ageret, raptim quodammodo, & veluti jaculum emittebat orationem.* Tertullianus: *Ad modestiam fidei pertinere* ait, *si non agmine verborum adeundum putemus ad Dominum*; cùm non deessent, qui in strepitu verborum, & continuo labiorum motu, vim orationis ponerent. Vim certè magnam habent ignea illa jacula, quæ cor Dei dulciter feriunt, ut evocent inde benevolentiam. His uti decet, præsertim, si quid aggredimur magnum, ac difficile; quod ad Dei gloriam futurum esse putemus, aut

De orat. c. 1.

cum

Digitized by Google

cum magno animæ periculo sit conjunctum. Tunc opportunum est in ipso principio, aut etiam articulo, ac nodo operosi negotii, mentem ad Deum referamus; quod brevi oratione, & devoto veluti jaculo in cælum emisso, fieri potest. Sic fecit Hebræa illa Virago, quæ Holoferni fuit vorago, Judith: nam Holofernem, Dei hostem, mulier non muliebri, sed plus quàm masculo facinore aggressura, apprehendit comam capitis ejus; & simul è flammeo corde ignea illa protulit: *Confirma me, Domine Deus, in hac hora.* Itaque hæ preces tacitæ, pia desideria, cor igneum, divina proposita, mens cælo inhians, & Angelorum commercio fruens, bona sunt filiorum Dei propria. Perit ei omne opus, qui non perpetuis precibus invocat Dei opem. Qui hujusmodi per jaculatorias preces utitur Dei familiaritate; is solo se abdicat, cælo se dedicat. Augustus. *Judith.13. 9.*

III. Si fors tibi desideres pharetram, unde depromas hujusmodi jacula ad cælum, & Deum mittenda; accipe paucula. Dum solus es in conclavi, aspira ad Deum, his voculis: *O amabilissime Deus! Quomodo tu solus in me non vivis? aut quomodo ego non vivo in te totus, cùm ames me?* Dum noctu decumbis: *O amabilissime Deus! quàm dormit securè, pro quo vigilat Amor? Nullas metuo insidias, ubi Amor habet excubias?* Dum animum relaxas: *O Dilecte cordis mei gaudium, quia amoris mei delicium! da, ut amando te, semper sim hilaris; qui, offendendo te, meritò sum tristis.* Dum ad meditandum quid boni te disponis: *Quid meditabor de te? O amabilissime Deus! aliud nihil, quàm quòd sis amabilis, & in omnibus amabilis; in culpis, quas remittis; in pœnis, quas mitigas; in ærumnis, quibus expias; in beneficiis, quibus cumulas.* Dum occurris divitibus: *O quàm dives, mi dilecte! cui tu sufficis; Quàm pauper, cui tu satis non es; O amor meus! quid extra te? quid ultra te quæram? Desint omnia, modò tu me, & ego te possideam.* Dum ab aliis despicitur: *O amor! amari à nihilo cupis; & ita quidē, ut sis paratus dare omnia, pro amore nihili. Quid dicā? Sim nihil, fiam nihil, habeam nihil per amorem; ut tibi amato tribuam, quæ debeo omnia.* Aliàs, quâcunque occasione: *Vtinam Deus! tantùm te amarem, quantùm aliquis in cælo, & terra hactenus amavit.* Denique millies per diem: *Quis mihi det infinita corda, quibus in infinitam æternitatem infinities te amem?* Si dum spiras, sic aspires ad cælum, & suspires ad Deum, piè expirabis, ut æternùm respires in Deo:

Ad cælum aspirans, feliciter expirabit.

Digitized by Google

Augustus.

20. DIES AVGVSTI.

Sæpè homo, cùm est in se, non est secum. *Chrysol. serm. 5.*

Attentio in oratione.

I. IN illo Sacrosancto, quod quis habet, dum orat, cum supremo Numine commercio, requiritur maxima animi Attentio. Cave igitur, ne cùm es in te, non sis tecum. Mens hominis incredibiliter est mutabilis. Nec enim, qui corio suo ludit Chamæleon, tam est varius ascititiorum colorum mutatione, quàm nostra mens variegatis cogitationibus sparsa, & discriminata. Hinc exurgunt infimarum rerum imagines, quibus lux divina inobscuratur; Dei voces impediuntur, devotionis fructus carpitur. Hinc pudor animi imperfecti, qui velut totus in corpore dimersus, & in carne obrutus sit; vix quidquam potest cogitare, quod non sit vanissimis imaginibus pictum, & vilium rerum cogitatione, veluti colluvie dehonestatum. Quapropter ibi divinam Majestatem offendit, ubi offensam debuisset sibi propitiare. Huc refert S. Gregorius, quod de muliere magnanima dicitur: *Post dierum circulum, Annam concepisse.* Quandam enim rotationem agnoscit, & vertiginē animi aberrantis. In hoc verò circulo implexo, volatico, & labyrintheo dum agitur mens, in ipsa volubilitate sua nihil concipit, nullum edit fructum luce dignum; sed inanis in sordibus, & jejunitate sua hæret. Quid igitur miramur, aridos multos, sterilesque reperiri, qui nihil magnum, cæleste, divinum concipiant; cùm perpetuò mens in humilium rerum affectu volutetur, & in circulo illo perenni absurdarum cogitationum circumrotetur?

In l. 1. Reg.

II. Tunc verò homo, licet sit in se, non tamen est secum; quia stultâ, & inutili peregrinatione exul est à se, & à Deo. Divinitas, ait S. Dionysius, ipsa quidem omnibus præsens est, non tamen ei præsentia sunt omnia; sed cùm eam sanctis precibus, & tranquillâ mente, & apto ad divinam unionem animo appellamus; tunc denique nos etiam præsentes sumus. Colligenda igitur mens, & revocandus velut domum est animus, qui per infinita curiosissimè, & inanissimè palabundus vagatur. Sunt enim quidam, quorum animus, velut taberna est meritoria, quâ non tantùm homines, sed & brutæ animantes excipiuntur. Deprehendas in illis & superbos equos, & pigros asinos, & maculosos in cæno voluptatis porcos, hoc est, qui turbam omnium affectionum, & cogitationum suscipiant. Rustico-

C. 3. de divin. Nom.

rum

Digitized by Google

rum prædiorum instar, lubentes, volentesque omne genus servitutum admittunt; iter, actum, viam, aquæ-ductum. *Iter*, inquiunt Juris-consulti, est jus homini, commeandi in alienum prædium: *Actus*, agendi jumenta: *Via*, etiam vehicula inducendi:: *Aquæ-ductus*, aquæ derivandæ. Ita in cor illud tot servitutibus obnoxium & humana seingerunt negotia, & affectiones contrariæ Rationi; ut equus, & mulus commeant, & nugarum vehicula inducuntur; fædæ etiam fortè cloacæ, putentesque defluunt. Hoc igitur est inprimis oraturo providendum; ut animum ab omnibus illis impedimentis purget, & expediat, & tumultum cordis sedet; ut vim omnem, & devotionem adferat ad Dei cultum. Augustus. 47. de. *serv prad.* l. 1.

III. Timor Domini, qui officij sui unumquemque monere debet, sit incumbenti in precationes; ut in Palatio quondam Imperatorum, *Silentiarius*, qui attentionem, modestiam, reverentiam, & intimum animi silentium imperet. Quod si lubeat per immensa spatia, dum precaris, vagari; quid tam immensum, quàm Dei immensitas? quocunque curris, illi occurris prompto tibi succurrere, si ad illum in necessitate recurris. Proderit, ut tempore orationis te contineas intra gyrum modestiæ; nec divageris, antè animum componere; ut sit sedatus, & disponere, cogitando, quid agas; quò tendas, quid intendas; cum quo agas, cui sis locuturus; & quid, & quomodo cum eo locuturus. Quapropter, cùm oratio sit negotium omnium negotiorum negotiosissimum; quia est cum suprema Majestate de negotiis summi momenti colloquium: quisque, prius quàm illud aggreditur, & locum oraturus ingreditur, imitetur D. Bernardum, cujus hodie dies est solemnis, cui oraturo familiare erat dicere: Veniens ad Ecclesiam, pone manum super ostium, & dic: *Expectate hîc cogitationes malæ, intentiones, & affectus cordis, & appetitus carnis. Tu autem, anima mea, intra in gaudium Domini tui, ut videas voluptatem Domini, & visites templum ejus.* Si hoc modo imiteris Bernardum, excipiet Deus tuam orationem, sicut suaviolentem nardum. Itaque, dum oras, totus attende illi, qui totus intendit tibi. Decet enim oraturum,

Numen ad immensum, totum convertere sensum.

Digitized by Google

Augustus.

21. DIES AVGVSTI.

Magna est miseria, superbus homo; sed major misericordia, humilis Deus. *S. August. de Catech rudib. c. 4.*

Reverentia in oratione.

I. VT oratio utilis sit oraturo, in duobus maximè retinendis elaborandum est ei, Attentione, & Reverentiâ. Hi sunt duo aurei cardines orationis, geminæ claves Devotionis, duo ubera nascentis pietatis. utraque sibi vim, & robur conciliat. Reverentia gignit Attentionem: Attentio auget Reverentiam. Hæc componit animum, & præsentem facit, & concursum inanium simulacrorum coërcet, atque abigit, quæ à Divino colloquio mentem averterent. Denique Reverentia commendat orationem; & veluti gratiosa quædam ornatrix illam venustat, quò decentiùs in conspectum magni Regis introëat: sine illa, est deformis, & ut putidula rejicitur. In primis, perspecta propria miseria, omninò seponenda est omnis superbia: nec enim Deus in illum gratias erogat, qui sibi multum arrogat, ut est omnis arrogans. Fateor, major est humilis Dei misericordia, quàm superbi hominis miseria: tamen non priùs incipiet humilis Deus oraturo esse misericors, quàm desierit homo superbiendo esse miser. Quomodo enim, Deo superbus orans assistet, cùm Deus superbis resistat? Vt igitur liberetur omni miseriâ; liber ab omni superbia, ad Deum accedat, quantâ potest maximâ reverentiâ. Hæc, ut ales Jovis, solis amica, super evecta nubes, & tonitrua mundanæ pompæ, ad solium usque Triadis, ubi anima inexplicabilibus donis ornetur, viam pandit.

II. Reverentia monet non temerè eundum esse ad orationem, ad summi Numinis familiaritatem, ad Gratiæ thronum, ad cæli Regem alloquendum; sed excitandam priùs voluntatem ad præstabilissimum illud negotium quàm sanctissimè obeundum. Hæc clarè denuntiat, orationem non esse rem nihili, aut exigui momenti, aut de numero communium operum; ad quæ solemus consuetudine quâdam agendi, ac frequentiâ inconsultè, temerè, & sine ulla præmeditatione accedere. Quippè, Deum nobis adeundum esse, deque illis rebus agendum, quibus nullæ graviores putari debent. Oratio, est mentis ad Deum legatio; sustines enim personam legati. Legatus porrò, antequam Regem convenit; quid Regi dicturus sit, accuratè secum discutit; verba singula priùs in charta exarat, quàm linguâ

Digitized by Google

guâ pronuntiat:dein quid Regi teſponſurus ſit,ſolerter conſiderat. Legatus olim quiſpiam Græcus, cùm ſibi Perſarum Regemalloquendum videret; annum expectauit,ut conſideratè loqueretur. Cùm enim,in Magnatum auribus,verba omnia examinentur ad trutinam:meritò & ipſe ſua ſingula verba,ſuis momentis trutinabat,ne poſſit,ſi quid minus cautè ſibi elabi ſineret, inſimulari vel audaciæ, vel temeritatis, vel imprudentiæ. Locuturus es,dum oras,non cùm vno è Magnatibus:ſed cum eo, qui Magnatum omnium eſt Dominus:cuius magnitudinis non eſt finis. Auguſti.

III. Tu igitur,ſi non annum vnum, ut ille Legatus: ſaltem quartam horæ partem impende,ut quid tu tantillus,Regi tanto ſis dicturus: ipſa te Majeſtas infinities reuerenda faciat te reverentem, & attentum: quæ non ſolùm verba ſingula,ſed ſingulas etiam verborum ſyllabas:imò ſingulos in ſyllabis latitantes affectus vocabit ad libellam.Movebit te ad reverentiam, ipſius Filij Dei Patrem orantis modeſtia,& reuerentia:qui priuſquam Patrem oraturus accederet,toto Corpore pronus, *procidit in faciem ſuam ſuper terram.* Ecce hic omnipotens Dei filius,ſubmiſiſſimâ reuerentiâ inclinat Corpus,inflectit humeros, incurvat genua, & qui in principio *creauit cælum & terram,procidit in faciem ſuam ſuper terram.* O ſuperbe!qui erecto collo,elatis ſuperciliis,pingui cervice, ventoſiſſimo faſtu, ſummis per terram plantis ambulas per vias Babylonicas: vide hîc Altitudinem depreſſam, Majeſtatem in ſolum proſtratam:vide,ô fili terræ!filium Dei affixum terræ!vide,ô puluis,& cinis!totum Deum puluere involutum!ô prodigium! illic figit Deus ſuam faciem:vbi ſolent homines figere pedes. Audiant hîc illi,quibus oraturis, graue eſt flectere bina genua, loquentem Cæſarium Arelatenſem:*Orat Miſericordia,& non orat miſeria: orat Charitas, & non humiliatur iniquitas:proſtratus in terra orat Medicus,& non inclinatur ægrotus: orat Innocentia,& non orat nequitia:orat, qui peccatum non fecit, & non orat multis peccatis obnoxius:orat Iudex,& deſiderat parcere, & non orat reus,ut indulgentiã mereatur accipere;orat Iudicaturus,& orare diſſimulat iudicandus.* An non hîc manifeſta eſt noſtræ Teſſeræ veritas?*Magna eſt miſeria, ſuperbus homo,* &c. Nonnè hîc verè humilis eſt Deus?qui iacet in terra ſupplicis ritu,tanquam omnium ſcelerum reus? Caue ergò à ſuperbia,qui caues à miſeria;quia Mat. 26. 39. Gen. 1. 1. Hom. 29.

Si tibi gratia, ſi ſapientia,formaq́; detur:
Sola ſuperbia deſtruit omnia,ſi comitetur.

22. DIES AVGVSTI.

Augusti. **Quâ fronte Sacratissimo Templo assistit, qui inanibus fabulis, & otiosis verbis insistit.**
Stephanus Papa.

Reuerentia in Templo. I. FVlminatrix hæc est sententia, è Tarpeiâ rupe, velut è flammea nube, ore Summi Pontificis in sacrilegos Templi violatores excussa. Quanta sit porrò indignitas, sacra fana profanantium; patebit, si quis expendat, quanta sit Templorum dignitas. Quid est Templum? Testimonio Eusebij: *Veneranda, & augusta Virtutum schola.* Suffragio S. Chrysostomi: *Spiritualis Animæ portus.* Iudicio S. Ambrosij: *Sanctitatis domicilium, & sacrarium Trinitatis.* Aliorum denique sensu, est commune vitæ perfugium, Ara sanctitatis, Devotionis officina, Numinis palatium, victricis Religionis Augustale, primulum atrium fælicitatis. Ibi augustum orbis terræ sacrificium; ibi cantus, & communes fidelium preces; ibi sacræ cæremoniæ administrantur. Ibi Euangelicæ Doctrinæ buccinatores, voce populum eruditunt; Aræ, devotionem instillant; Divorum suspiciendæ effigies, quodammodò nos alloquuntur, & hortantur ad Pietatem. Ibi, laus Dei, pia vota, & desideria cordium, viventium consolatio, quies mortuorum. Ibi, officina miserationum; vbi, occurrit prodigo, dulcis parens, osculoque blanditur, & vitulum saginatum occidit. Ibi, est Numinis sedes, & prætorium dignitatis; vbi Cherubim trisagio suo, Deum modulando, venerantur.

De vit. const. l. 1. c. 46.
Hom. 24. de Bap. Chri. l. 3. Hexam. c. 1.

II. Quid igitur, eos facere par est, qui Aram sacro-sanctis religionibus horrentem, ad Tabernaculum, ad Basilicam Regis Regum, & regiũ, veluti solium accedunt: vbi, Deus, Deus ipse, ter-sanctum Numen inhabitat, cum tota cæli pompa, cum splendore gratiarum, circumamictus vndique gloriâ suâ, & Maiestate: vbi, Deus-Homo sub augusto conopæo moratur, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos: vbi, delitiatur cum filiis hominum: vbi, suæ dulcedinis copiam effundit: vbi, occurrit hominum votis, & amori succinit. Nisi in illo loco, qui verè terribilis est, omnes pietatis vires exeramus, condemnabunt nos Ethnici; è quibus vnus, dum illa edicit, nos confundit: *Intramus Templa compositi; ad sacrificium accessuri, vultum submittimus, togam adducimus, in omne argumentum modestiæ fingimur.* Laudabilis quoque fuit consuetudo Suevorum, qui, cùm priùs nullum

Seneca l. 7. natur. quæst. c. 30.

Digitized by Google

lum haberent fanum; sed Lucum tantùm religione sacrum, vbi versari Numen arbitrabantur: nemo illic ingrediebatur, *nisi vinculo ligatus, ut minor, & potestatem Numinis præ se ferens*, inquit Tacitus. Omnes igitur, fuêre vincti; ut rei, verecundiâ cooperti, Deique reuerentes, quique vix digni forent, qui solum ipsum consecrati, Luci contingerent; adorandi, & orandi causâ ingrediebantur. Augusti. *De mor. German.*

III. Quis Christianorum sic colit Deo consecratum Templum, in tanta Euangelij, & fidei luce, ut Gentiles, suum Lucum? Cùm Deus adorandus proponitur, cùm preces fundendæ, cùm colloquendum cum Angelorum Rege; quibusnam hîc moribus, quâ attentione res agitur? poplitem humo allidere; piaculum, genua curvare; nisi illa pulvillus, aut chirotheca excipiat, nefas. Sunt, qui tantisper, dum Mystes facit, barbam mulceant, instruant, & in ordinem, ac leges reducant: alius, socio ex Hispania, ex Gallia nova in aurem garrit: nec desunt, qui oculis emissitiis, omne Templum obambulant, animo domum remisso. Sic multi, ad dicatum Numini delubrum, tanquam ad profanum circulum, & nugarum diversorium procedunt. Nulla in voluntate inflammatio ad Divina, turbidæ mentis cogitationes, & volaticæ, incompositus animus, interior omnis politia dissipata. Sed cùm in Templis sit tanta Majestas; in illis, qui illud adeunt, requiritur maxima & animi, & corporis puritas. Hinc Poëta: *Casta placent superis.* D. Hieronymus sensum animi sui sic exprimit: *Quando aliquid mali in animo meo cogitauero, & me nocturnum phantasma deluserit: Basilicas Martyrum intrare non audeo, ita totus, & corpore, & animo pertimesco.* Notum est illud à Gregorio Turonensi proditum: Mulierosus Diaconus cùm argenteam Turrim, sacram, videlicet, Hierothecam, in qua Venerabile Christi Corpus continebatur, de more ad Aram ferret; indignatus Virginis Filius, flagitiosissimis illis teneri manibus, quæ nequitiâ impiatæ fuissent; ipsa Turris euolavit per aëra, & Divinitùs ad Altare contendit; nudum, & inanem relinquens Diaconum, quem pudor, & rei novitas singularis, & conscientiæ vis, in horribilem metum coniecit. Tales, qui inter sacra lumina, torquent in mulieres sua lumina, & qui, dum interfunt sacrificiis, lenocinantur oculis, merentur Christi flagello, è Templis, ut canes eiici; imò & in tartara coniici. De Christo piè Poëta: *Contra Vigil. De glor. Mart. c. 86.*

In Templo gentes, Christus percussit ementes.

Digitized by Google

23. DIES AVGVSTI.

Augusti.

Si non places; non placas. *Bernardus Epist.* 41.

Sacrificium Missæ, est propitiatorium.

I. ACturus de illo sacrificio, quod cæteratum omnium hostiarum amplitudinem, magnitudine suâ præcellit, & præstabili dignitate obruit, præmitto illud breve, sed neruosum D. Bernardi pronuntiatum: frustrà sacerdotem illam infinities adorandam offerre Deo in Ara pro se victimam; nisi, qui offert, Deo sit amicus: Quia *si non places, non placas*; nec erit hostia sacerdotis acceptabilis, ex opere operato, nisi qui offert, Deo sit acceptus. Quòd si offerens placeat, tum demum offensissimum, vnico hoc sacrificio facilè placabit: quia in hoc sacrificio reperiuntur omnes excellentissimæ rationes Dei placandi. Hîc enim holocaustum; hîc hostia pacifica; hîc propitiatorium sacrificium continetur. In huius oblatione victimæ, & maculæ exuruntur ex animo, & furua candent, & fæda nitent, & obscura clarent. Nec herba Borith tantam vim habet, nec fullonum creta, nec Mosaica hyssopus tincta purpureo sanguine, nec fanorum aspergilla, nec balnea populorum ad inducendam animi munditiem. De eo D. Paulus: *Vnâ oblatione consummauit in æternum sanctificatos.* Vnam vocat oblationem, vt apicem omnium sacrificiorum, vt Religionis florem, vt votorum colophonem, vt perfectam suis numeris Diuini cultus rationem; quæ consummavit in æternum sanctificatos; quæ, nimirum valet in sæculorum omnium continuationem, ad sanctitatem animorum, ad expiationem mundi, ad gloriæ ianuam patefaciendam.

Heb. 10.

II. Sed procliuè fuerit intelligere dignitatem huius sacrificij, ex eiusdem effectibus. Primò, sacrificium Missæ est propitiatorium: quia per nullum opus possumus sic Deo satisfacere, siue pro culpa, siue pro pæna, vti per hoc sacrificium. Illud inprimis exploratum est, nil tantum habere roboris, tantumque ponderis ad aliquid impetrandum, aut ad iratum Principem placandum; quàm aliquod magni pretij donum. Nunc autem, quod donum Diuina vel Bonitas melius, vel Sapientia gratius, vel Omnipotentia pretiosius condere possit; quàm Eucharisticum donum? Illud porrò, æterno Patri offert, & per illud veniam precatur. Nunc autem,

tem, præterquam, quod ipse gravissimè nobis offensus sit, qui pro nobis precatur, tanta est nostra in Deum iniuria; ut, si esset homo aliquis præditus infinitâ gratiâ; imò, & si innumeri mundi conderentur pleni huiusmodi hominibus, qui gratiâ pollerent infinitâ; tamen omnes illi quidquid agerent, vel paterentur æternitate totâ, pro vnica noxa satisfacere nequirent: quia bonitas, dignitasque omnium istarum actionum, aut pœnarum æquare non possunt malitiam, indignitatemque eiusmodi noxæ: cùm illa metienda sit ex dignitate personarum satisfacientium; hæc autem, ex dignitate personæ offensæ, Divinæ scilicet. Itaque, plus Christo debemus pro vnico Missæ sacrificio; quàm omnibus sanctis debere possimus: imò, multò amplius, quàm hominibus istis gratiâ immensâ pollentibus deberemus, licet ab æterno, omnia inferorum supplicia, nostrâ causâ essent perpessi. Augusti.

III. Quis igitur, assequi potest, quas gratias Deo debemus, non iam pro vno sacrificio, sed pro innumeris, in quibus singulis, omnia Christus merita, Patri, nobis placando, repræsentat? præsertim, cùm meritum vnicæ actionis Christi, dignitate suâ, omnium, quæ fingi possunt, criminum indignitatem, malitiamque adæquet. Etenim, quælibet eius actio, etsi per se, & naturâ suâ humilis: ut edere, dormire, & id genus aliæ, ob dignitatem personæ, à qua proficiscebantur infinitam, & ipsa dignitatis, ac meriti erat infiniti. Cùm igitur, malitia peccati mortalis, propriè infinita non sit: (quod patet inde, quod vnum altero maius, minusvè detur peccatum mortale) dignitas autem, cuiusque actionis Christi prorsus infinita sit, consequitur, vnicâ ipsius, vel minimâ actione pro peccatis omnibus satisfieri ex æquo potuisse. Quare, cùm Christus non vnius modò sed omnium actionum, totiusque vitæ, ac mortis merita, ad conseruationem salutis humanæ retulerit & nunc in quouis sacrificio eundem in finem æterno Patri offerat, prorsus est ingens pignus illud Eucharistici amoris. Cùm enim, vnica eius actio, omnium, quæ patrari, imò, quæ fingi possunt, criminum malitiam, suâ sanctitate exsuperet, ipse, pro mei vnius criminibus, omnium actionum suarum merita in lytrum æterno Patri offert. Quale illud est? An non tibi supra modum singulos nos amare videtur? quos tanti amat, quanti emeret mundos innumeros? neque solùm emat, sed per singula sacrificia pretium offerat. Iam verò, sic agit, ut nos multò pluris facere videatur, quàm se, & omnia sua, cùm & se, & sua omnia, non semel, non vno tempore, sed tot in Altaribus, & per tot sacerdotes, in lytrum singulorum tradat, & vsque ad mundi finem sit traditurus:

Christus dum Patri se tradit, crimina radit.

Digitized by Google

24. DIES AVGVSTI.

Augusti. **In æternum benedicens æterno; illi necessè est, maneat coæternus.** *S. Hilarius in Psal.* 144.

Sacrificium est Latreuticum.

I. D. Hilarius invitans nos ad pia hilaria in cælis, vult, ut illis fruamur, nos hîc benedicere, sive quod idem perpetuò laudare Deum: *In æternum*, inquit, *benedicamus Æternum; quia in æternum benedicens Æterno; illi necesse est, maneat Coæternus.* Finis præcipuus, qui intenditur in Sacrificio, est; ut illo Divinam excellentiam, supremumque mortis, ac vitæ Dominum in Deo testemur: in qua protestatione inest supremus cultus, Soli Deo debitus; cui attributa est Nomenclatio *Latreutici.* Quantùm laborârunt viri Apostilici; ut Dei gloriam propagarent, Euangelicam doctrinam per totum orbem promulgando, & tot hominum myriandes ad Christi Fidem convertendo. Quantùm gloriaretur, qui omnes in Anglia, Schotia, Suecia Hæreticos; omnes per totam Græciam, Schismaticos; per totam Turciam Mahometanos; per totam Indiam, Barbaros, per universum orbem, Gentiles ad Christi Ecclesiam adduxisset: nónne ille iudicaretur, gloriam Dei in immensum auxisse? Tamen certum est, plus Dei gloriam amplificari unico Missæ Sacrificio; quàm tot ac tam heroicis operibus. Miraris fors dicti insolentiam? adeoque existimabis illud incredibile? Itaque supereſt, id ratione convincamus.

II. Illud est indubitatum: Omnis illa mortalium laus, quæ nasceretur ex conversione omnium hominum ad Fidem Christianam; & omnis quoque gloria, quæ inde in Deum redundaret; licet totâ æternitate duraret, non posset æquare unicum actum amoris, quem Christus eliceret erga Patrem; Verbi gratiâ, si Christus unico momento eliciat actum unum amoris in Patrem; illo uno plus Deo accederet gloriæ, quàm si omnes, & Gentiles, & Hæretici ad Deum converterentur; imò, & ad summum perfectionis gradum eveherentur. Si hoc verum est; quantò accessit Deo gloria, laus, & honor ex uno Sacrificio; quandoquidem in eo Christus ipse semetipsum Æterno Patri consecrat? Plus enim, incomparabiliter est Christum offerre se totum Patri, quàm actum aliquem sui; quia dum se offert, tunc Patri offert Fontem immensæ dignitatis,

Digitized by Google

tatis, & innumerorum amoris ipsius actuum. Sed altiùs adhuc ascendamus. Confer omnes beatorum, seu Angelorum, seu hominum laudes, cum iis, quæ reddi possunt Deo, ab omni multitudine eorum, quos Deus potest creare. Tum verò, collige, si potes, omnes eas laudes, quæ totâ æternitate ab iis possunt manare: certum est, totum istum cumulum ab unico actu amoris, quẽ Christus elicit, in immensum superari; adeoque Deo incomparabiliter Majorem gloriam, & laudem conferre, quàm omnes Angeli, & homines, qui sunt, & esse possunt, totâ æternitate conferent. Augusti.

III. Iam verò, compone illum unicum Christi actum, cum iis omnibus, quos ipse potest animo concipere: certum est, totum hunc cumulum, multò minus Deo, gloriæ adferre posse; quàm unico Missæ Sacrificio procuretur; quia per sacrificium ipsemet Homo-Deus in Altari constituitur, ad Patris gloriam: qui haud dubiè plus valet, quàm omnes ipsius actus; cùm hi, omnem suam dinitatem ab eo mutuentur. Atqui, cùm Christum, in Sacrificium Æterno Patri offers, aut offerri curas, aut ritè ades offerenti; & ipsum, & eius amorem, & omnes ejus virtutes, & perfectiones, & studium in Patrem, & laudem, ac gloriam ex Sacrificio efflorescentem simul offers; adeoque gloriam multis nominibus immensam, & titulis infinitam. Enimverò, Sacerdos verè sacrificat; verè igitur, totam gloriam Sacrificio contentam, Deo litat: atque adeò immensa illa gloria, eam reverà impertit. O igitur, amoris Eucharistici vim admirabilem! ô amabile paradoxum! Uni mortali, & abiecto homuncioni, facultatem datam esse, Deum illustriori honore afficiendi; quàm data sit Cælitibus omnibus: eundem ipsum, Deum amplius honorare, & colere, dum etiam parùm piè, ac religiosè liturgiam facit; quã æternitate totâ honoraturi sunt, aut honorare possint Cælites omnes: etiam ij, quos Deus præstantiores, pluresque condere potest. Quid plura? Eundem ipsum miserum, & vilem homuncionem, plus ad gloriam Divinam conferre; quàm si res omne etiam possibiles in linguas convertat, imò, in præstantissimos Seraphinos, qui Deum & ardentissimè adament, & æternùm laudent. Quàm ergo necesse est gratum, esse unicum Sacrificium: cùm inde tanta Deo resultet laus, & gloria; & cùm ille laudis suæ, & gloriæ sit cupidissimus: cùm nemo sit, qui non sit laudis auidus; prout canit Poëta:

Nemo tam pravus, qui non sit laudis avarus.

25. DIES AVGVSTI.

Augusti. **Vnde majores Deo agendæ sunt gratiæ; quàm pro ipsius gratia per Dominum nostrum Iesum Christum? *S. Augustinus contra adverss. legis, & Proph. l. 1. c. 18.***

Sacrificium Missæ, est Eucharisticum.

I. NOn tot scatet aër atomis, quot homo Dei beneficijs. Ubi, gratiæ est collatio, illic requiritur gratiarum actio. Sed, sicut nulla est proportio unius puncti ad immensitatem: sic nec ulla inter nostrã erga Deum benevolentiam: & Dei erga nos beneficentiam. Christus non nescius, nos rependendæ pro tot beneficiis gratiæ impares esse: ipse, ut non dives minus, quàm in nos propensus est, egestati illi nostræ miro modo consultum voluit. Ille rationem nobis optimam subministravit, par Dei meritis in nos, grati animi pignus, dignaque gratias referendi, dũ in usus nostros Sacrificiũ Eucharisticum instituit: utpote, ut ipsa vox Eucharistia sonat; institutum est ad beneficiorum gratam recordationem gratiarumq; pro iis actionẽ. Vide hîc, quomodo omnes gratitudinis partes in hoc Sacrificio exercemus. Prima pars est, gratiarum actio. Secunda, grata cõmemoratio. Tertia beneficij relatio. Agamus de prima. *Gratiarum actio, nihil est aliud, quàm benevola protestatio gratiæ acceptæ, cum quadã sui subiectione, & demissione ad ipsum Benefactorem directa* Ita Lessius de prima parte. Hîc autẽ, cùm gratiarum actionis vicem subeat ipse Christus, rationem cujusdam debiti induit: ipseque, tanquam reverà ob beneficia nobis collata debitus Patri immolatur. Quod hoc paradoxum? Ergonè, ille debetur ob beneficia aliqua nobis collata? planè debetur. At quantulæ sunt res illæ ad Christum collatæ? Et ut essent maximę, nonnè sunt ejus beneficia? Quid hoc est deberi aliquem, propter suum ipsius beneficium? Hoc stratagema est Eucharistici amoris. Hic enim Amor, ipse est, qui Christum nobis obligat eum in usum, ut pro communibus Patris æterni beneficiis, & ipsius quoque in gratiarum actionem rependatur. Quare, cùm hæc gratiarum actio, in affectu, grataque voce consistat: ipse totus in affectum, totus in linguam convertitur, ut nomine nostro, gratias Patri agat.

II. Altera pars, est beneficij accepti grata commemoratio. Hoc fit in quovis Sacrificio. Imò, Christus ipse, beneficia tum Patris, tum sua nobis

nobis in memoriam refricare, dici potest. Nam de memoria Passionis, ac Mortis suæ perspectum est; illum non verbis modò, sed & re ipsissimâ meminisse; quando, nimirum, primarius ipse sacerdos consecrat. Deinde, licet ipse non sacrificaret propriè, nec proprio nomine fines istos sacrificij sibi proponeret; tamen, quatenus mentem injecit Ecclesiæ, ad eos fines sacrificandi; eamque voluntatem inspirat, prius in Divinissimo suo Corde conceptam pro facto; & ipsius cordis voce, sua illa beneficia commemorare dicendus est: atque, ut Homo-Deus, sibi ut Deo homini, huiusmodi memoriam nostro nomine dicare. In qua quidem memoriâ amabile ænigma comperio, amoris Eucharistici arte compositum. Nam, cùm primum, & maximum beneficium sit, ipse affectus dantis, seu cor; efficitur Cor Domini nostri Iesu, & Princeps eius beneficium esse, & sui præconium; poëtam esse, & poëma, & poëmatis materiam; Oratorem esse, & orationem, & orationis materiam. Augusti.

III. Postrema pars gratitudinis, est beneficij repensio. De illa porrò, quid dicam? Quia, si per sacrificium rependimus beneficium, ergò ille accipit: At ita conficeretur, Deum supremum nobis inferiorem esse, quatenus beneficium acciperet. Est enim hæc Aristotelis sententia à Theologis recepta: eum, qui beneficia confert, eam ipsam ob rem, superiorem esse eo, qui illud acciperet. Et verò, qui accipit beneficium, gratias debet. Quis autem dicere ausit, Deum quidquam creaturis debere? sed quidquid fuerit, illud est infallibile; nos sæpè pro minoribus beneficiis, immensum aliquod, & Deo gratissimum referre; ipsum, nimirum, charissimum eius filium: qui etsi omninò Dei sit; tamen nobis reuerà ab eo donatur, reuerà noster est, ipsique in sacrificio reuerà à nobis offertur, atque adeò, in gratiarum actionem à nobis offertur. Quâ in re agnosco alia ingentia planè beneficia. Nam, ut Christus Patri sic reddatur; confert Deus sacerdotibus vim quandam tantùm non infinitam, quâ illum reipsâ efficiant, seu producant. Deindè, ita illum rependere, summi meriti est, & summæ, ad noua beneficia obtinenda, virtutis. Hîc igitur, iam cognoscis, quomodo per Eucharisticum sacrificium, grati animi partes omnes exequi possis. Fieri enim non potest, ut possis pro omnibus Dei donis, gratiis, fauoribus, beneficiis, gratior Deo existere; quàm per hoc sacrificium. Quomodo enim posses copiosius æterno Patri gratias; quàm per Cor, & linguam ipsius Christi; quàm, inquam, per ipsum totum, qui, ad gratias nostro nomine habendas, in cor, & linguam vertitur? Multa debes, redde quod debes: nam

Mutua, quæ debes, reddendo soluere debes.

26. DIES AVGVSTI.

Augusti. Fides, orando impetrat; quod lex imperat. *S. Augustin. ad Bonifac. c. 5.*

Sacrificiū, est Impetratorium.

I. VBi multa imperantur, multa, necesse est, impetrentur: plurima imperantur lege; quæ facilè impetrantur Fide. Sed si vsquam ad impetrandum debeat Fides, suas exerere vires, est in sacrificio illo incruento, quo quotidie Deo offertur Deus cruentus. Quid poterit Pater Æternus negare; dum illi litatur talis victima, quâ nihil illi possit esse gratius; & quæ veniam pro reis, tot rogat vocibus, quot corpus patet vulneribus? Impegerat colaphum Gregarius miles, Leoni Pereriæ Iuueni nobili, & præferuido, & mox fugam miles arripuit: at hic furoris impetu illum assecutus, in Templo, iniectâ eius collo alterâ manu; elatum alterâ manu pugionem iugulo admouit, illum iam iam iugulaturus; tum verò miser ille, visâ, quàm fortè sacerdos ad Aram exhibebat, Hostiâ: *per hanc*, ait, *te obsecro, parcè*; cùm repentè fracto furoris impetu, veniam ab eo Diuina Hostia extorsit, hasque voces: *Hæc te seruat*; simulque mucronem vaginâ condere coëgit. Si ergò, Iuuenem illum furore percitum, instantemque morti inimico inferendæ, sacra illa Hostia subitò reuocauit, quid poterit ad placandam Diuini Parentis iram? Quid? quod probabilis sit aliquorum Theologorum sententia, Christum orationem suam coniungere, cum omni huius sacrificij oblatione, eamque ad aliquid impetrandum referre? Quia si Christus ipse primarius sit sacrificij offerens, primariusque sacerdos: igitur, illud offert ad præcipuos illius fines, atque adeò ad obtinenda mortalibus salutis præsidia.

Rho in exemp. de Eucharist.

II. Quid? quod in cælo orare dicitur, ut merita sua hominibus applicet? Cùm ergò, eorum fructus, per sacrificium præsertim, iis erogetur, an dubitabis num in Altari hunc in finem Patri supplicet? Quare affirmare possumus Dominum Iesum in Aræ Legatum agere mortalium, nostrumque Oratorem. Quâ in re obseruare licet, tum maximam ipsius demissionem, qui è Regia cælesti quasi delapsus, id muneris gerere dignetur; (perindè, ac si nobis inferior esset; cùm Legatus sit minor eo, qui ipsum delegat) tum vim Eucharistici amoris, qui ad hoc eum impellit. Quid? si eundem in Altari Aduocatum pauperum appelles, gratias causam hominum agentem?

Digitized by Google

agentem? Hinc verè possumus appellare Altare, Cancellariam, ut aiunt, libellorum supplicum, à filio, Deo Patri offerendorum. Itaque libellos tuos supplices defer ad Aram, & defer, quàm potes, plurimos. Oratorem habemus apud Patrem, ipsum eius filium, eandemque sapientiam, & eloquentiam Increatam, illum denique, qui, quam gratiam petit, ut debitam sibi à Patre postulat, neque potest aliquando pati repulsam. Sed sequitur alius, ad quidvis impetrandum, modus. Nihil solet tantum habere momentum ad quid obtinendum, quàm si offeras rarum aliquod, & pretiosum donum. Illud hîc agitur: quia Christus non simpliciter in Altari Patrem flagitat; sed ita flagitat, ut impetrando quod petit, donum supra omne donum offerat, scilicet seipsum. Augusti.

III. Omninò opportunum huic argumento est illud Sapientis, qui de dante munera agens: *Animam*, inquit, *aufert accipientium.* Aufert profectò Animam Patris, id est, voluntatem eius, quasi rapiet, & faciet suam, ut quæ mortalibus petit, obtineat. Iam verò, cùm non tantùm sit donum omnium donorum Diuinissimum, quantùm opis, & fauoris sperare possumus ex sacrificio, cùm par illius dono respondeat & affectus donantis: quia non solùm offert filius Patri donum infinitum, sed offert & affectu infinito. Quid igitur posset fingi, quod non possemus vi sacrificij vnius impetrare, modò tantum audeamus, & credere nos posse impetrare, & confidere nos certò impetraturos? Accedit, quod & ipse Sacerdos, non modò Christus, eum in donum Patri offerat: imò, non tantùm Sacerdos, sed & alij, qui aliquid ad sacrificium conferunt, vel etiam ei ritè interfunt, Quantùm igitur hinc potest nobis erigi fiducia quidvis impetrandi. Quis non intelligit, multò plus hîc Patri offerri, quàm nos conferri nobis petimus, aut possimus petere? Notum est ex D. Gregorio, cuiusdam captiui vincula, sacrificij tempore, quod vxor pro eo sæpiùs fieri curabat, quoties fieret, fuisse soluta? sed Deus si ob sacrificium conferat bona corporalia, multò ut libentiùs, sic & liberaliùs conferet spiritualia. Vnde Iustinianus Patriarcha Venetus, dicit, vi huius sacrificij, *Gentibus fidem, lætitiam mundo, credentibus gaudium, vnitatem populis, sacramentis legalibus finem, initium gratiæ, virtuti robur, hominibus pacem, lucem mentibus, spem laborantibus, peregrinantibus viam, & peruenientibus tribui speciem.* Hîc igitur, ut quidvis impetres, nil requiritur, nisi, ut credas, fidas, ut speres, fiducia, te per Christum quidvis obtenturum. Nimis enim, quàm certùm est illud incerti Poetæ: Prov. 22. l. 4. Dial. c. 2. Ser. de Euchariſt.

Atria sunt cæli, menti patefacta fideli.

Digitized by Google

27. DIES AVGVSTI.

Augusti.

Sacrilegij genus est; Dei odisse cultores.
Salvianus l.8.

Sacerdotes honorandi.

I. SVbstituimus sacrificiis, eorum ministros qui sacrificia peragunt, sacerdotes: singulari cultu honorandos esse sacerdotes, fuit ab omni sæculorum memoria, communis omnium gentium consensus. Illud enim propè ipso naturæ lumine intellexerunt, sacerdotes, proximum Numini locum tenere, fieri Divinitatis veluti compotes, Beatarum mentium agere vitam, Divinorum consiliorum esse participes, arcanorum interpretes, à Deo, velut medios constitutos, ut multitudinem omnem expient, & ad felicissimam quandam sortem extollant. Deindè fuit hoc, omnibus etiam Barbaris, quasi à natura inditum; honorem bene meritis esse tribuendum. Hinc, exhibitæ in bellis phaleræ; in Circo, pompæ; in theatro, coronæ, in prytaneo, victus; consecrationes, in foro, clypei, in fano, vbique statuæ. Hinc triumphi; hinc trophæis ornata vestibula, hinc laureata capita, hinc concinni ciuium plausus, & alia honoris argumenta, sive monumenta fluxerunt. Quæ verò, beneficia excogitari possunt maiora iis, quæ sacerdotes hominibus conferunt? Illi edictum supremi Imperatoris, Dei, inquam, decretoriam sententiam; qua æternæ pœnæ sanciuntur, in sceleratos, incredibili auctoritate lacerant. Illi obstruunt Erebi fauces, & adamantinas cælorum fores aperiunt; deletos de libro vitæ, iterum inscribunt. Illi, ut Divini altores, panem viuum nobis offerunt, Ambrosiamque cælestem: iidem, in bello contra aëreas potestates, sunt Duces. Illi, in fluctibus tentationum Phari, in morbis Medici, in nocte lumina, in aduersa fortuna Paracleti. Illi nobis legem Divinam exponunt, ut Angeli, oracula expediunt, ut Prophetæ.

II. Ob tot eorum in homines merita, tot iis etiam ab Ethnicis indulta Priuilegia. Apud Romanos, annona de publico ærario, iis attribuebatur. Quin & decimas ipsi Gentiles, ante Christi Aduentum, iis pensitabant. Immunitatem item à communibus grauaminibus quibusvis, antiquissimo iure apud Ethnicos, sacerdotibus fuisse concessam, testatissimum est: ac teste Plutarcho, constat perpetuam illis vacationem à muneribus, immunitatemque à tributis, exactionibus, vectigalibus, congiariis, & huiusmodi

In Camillo.

Digitized by Google

modi quibusvis oneribus fuisse tributam. Quod si Ethnici in cæca illa erro- Augusti.
rorum caligine, solius naturæ lumine cognouerint honorandos sacerdotes: quantum necesse est esse scelus, sacerdotibus non modò honorem non tribuere, sed debitum tollere. Id certè eiusmodi est, ut non alio, quàm sacrilegij nomine donari possit. Patet id ex hodierna Tessera. Altius assurgit S. Ignatius Martyr: *Sacerdotij dignitatem, qui furiosè contemnit, non hominem* Ep. ad Smyr.
ledit ignominiâ, sed Deum. Sed, quid quærimus testimonium humanum, cùm habeamus Diuinum? *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Deus, cùm vellet palàm toti mundo testari, quanto in honore, pretio, amore haberet sa- Zachar. 2.
cerdotes, & haberi ab omnibus vellet: eos pupillam oculi sui nominauit; ut suæ florem beneuolentiæ, ut animi gemmam, ut Diuinæ auræ particulam pretiosam.

III. Hinc, grauissimas dant pœnas Deo, qui spernunt sacerdotes Dei. Integras subindè Prouincias Deus diris calamitatibus inuoluit, ob iniurias sacerdotibus illatas. Saluianus scribit, Africanam Prouinciam à Barbaris affligi commeruisse; quòd Religiosorum habitum ludibriis, ac sannis insectati fuissent. Et alibi, Carthaginensium impietatem amplificat, quod Monachos, ac Dei seruos, irrisionum aculeis impeterent, salibus, aspergerent, contumeliosè prosequerentur. Quid antiqua tempora repeto? nostram ætatem corruptissimam inspiciamus. Quodnam est conuiuium? quis circulus? quis conuentus? quis cætus hominum? vbi Ecclesiastici, sacerdotes, Religiosi, petulantibus blateronum dicacissimorum dicteriis non vapulant? Quot sunt etiam Catholici, (si ita nominandi sunt; in quibus præter nomen, nihil est Catholici) qui omnibus diris deuouent, execrantur, & plus quàm Vatiniano odio insectantur eos; sine quibus, necesse foret eos fors æternùm perire, illos, quorum ore absoluuntur à peccatis; ex quorum manibus accipiunt cælestem illum Panem Angelorum, quorum lingua, è pulpito instruuntur ad salutem, quorum industriâ diriguntur in via ad vitam, quorum monitis reducuntur ab errore ad Veritatem, quorum præsidio declinant tot pericula, quorum exemplis inflammantur ad Virtutem: quorum denique labore manu-ducuntur ad cælum. Dei est seuerè minantis, & seueriùs puniturí monitum, imò mandatum: *Nolite tangere Christos* Psal. 104. 5.
meos, id est, sacerdotes: Nolite non tantum tangere manu, percutiendo, sed nec linguâ, detrahendo. Quisquis spreuerit illud Dei minantis in perium, certò incurret Dei castigantis supplicium. Caue, & time, quia

Tempora transibunt; sed non malefacta peribunt.

Digitized by Google

28. DIES AVGVSTI.

Augusti. **Augustinus, homo cœlestis, imago Divinitatis, Pater Patrum, abyssus sapientiæ, præco veritatis.** ***Possidius in epistol. ad Macedon.***

Laus S. Augustini. I. HAnc diem Augusti reddit suo splendore augustum, ille Pater Patrum Augustinus: Naturæ miraculum, Doctrinæ oraculum, vtriusque prodigium. Tam erat impensè cupidus omnis scientiæ, ut se reum peccati confiteretur, & sancti Numinis se violasse voluntatem crederet, quod in scholis puer, *Græcas literas odisset*, quas eum peritissimi Grammatici docebant. Cœperat in adolescentia, ut de se meminit, *respicere ad fora litigiosa*, ut in iis excelleret: *hoc*, inquit, *laudabilior, quo fraudulentior*; sed ab illo præcipitio seruatus est. Vbi illi cæpit sapere humilis Christi scientia; desipuit illi Tulliana Eloquentia. Hinc, cùm primùm Diuinitus illuminatus, in pietatis se gremium volens contulisset, dicendi artem penitus abiecit. Cùm vrgeretur à Valeriano Episcopo, ut communis pietatis gubernationem susciperet; summis precibus ab eo contendebat, ut Quadragesimæ tempore ipsi liceret à consueto feriari negotio, quo, inquit, posset in quiete se se ad munus, officiumque suum disponere, *legendo, orando, plangendo*. Tantùm ille horrebat illud adeò honorabile munus, quantùm alij intolerabile onus. In hoc munere ita se gessit, ut meritò illi conueniat illud elogium Remigij Antisiodorensis: *Augustinus est inter Doctores, quod Sol inter planetas*. Et illud Ruperti: *Columna veritatis, columna nubis, in qua thronum suum posuit Sapientia Dei.*

l. 1. confes. c. 13.

l. 3. confes. c. 3.

In 2. ad Cor. l. 2. de oper. spirit. sanct. c. 19.

II. Ipsius calamo videtur scripsisse ipsa Theologia. Quot sunt in eius foliis syllabæ, tot sunt folia sibyllæ: quidquid pronuntiauit, fuit pronuntiatum, quidquid scripsit, effatum. Ceris, ac studiis totus incubuit, chartis totus impalluit, & totâ ferè vitâ literis assedit: scribendisque libris sic est immoratus, ut iis fuerit immortuus. Fertiles ex illis fructus tota retrò sensit antiquitas, tota & olim sentiet posteritas. Viuet enim, spirabitque in æuum omne, in scriptis suis Augustinus, atque per ea etiam in scholis docebit, & detonabit in pulpitis. Ita ut iuxta adagium Hispanicum: sicut nullum est

conui-

Digitized by Google

conuiuium sine vino, sic nulla concio sine Augustino. Qui tantus fuit scié- Augusti.
tiâ, & sanctimoniâ in terris, non minori fuit gloriâ in cælis. Patebit hoc quodam viso. Spectabat quidam Beatos in cælesti gloria, in qua, dum Augustinum non aspicit, ex illis quęrit; *Vbinam esset Augustinus?* Cui illi, in editissimis Empyrei locis, in quibus Sanctissimam Trinitatem (de qua olim magnificè disseruit) irretorto mentis oculo aspicit, eaque fruitur quàm felicissimè. Quod igitur est Aquila inter cæli volucres, hoc est Augustinus inter Ecclesiæ proceres. Ipse ideò, ut Aquila, posuit nidum suum in arduis, dum doctrinæ, & pietatis alis euolauit super omnes, qui fuerunt omnibus sæculis.

III. Hinc, ab eius, quem fundauit, ordine, miratur orbis tot erectas Virtutum scholas; tot gymnasia sapientiæ; tot sanctorum seminaria, tot Dei castra, tot arces refugij, tot militantis Ecclesiæ propugnacula, tot mundi sidera. Prima commendatio ipsius Ordinis petitur ab illius Alumnis, è quibus extitere longè plurimi, quâ doctrinâ, qua virtute, qua dignitate conspicui. Ticinensis, in suo propugnaculo Ordinis Canonici astruit, ex Ordine Canonicorum Regularium, quem instituit D. Augustinus, prodiisse Romanos Pontifices quinquaginta quatuor: Cardinales mille, quingentos, sexaginta septem. Et hæc à tiara Pontificia Majestas fuit, major ab illis, quos beatorum fastis adscriptos suspicit vniversus terrarum Orbis: fuerunt autem illi sedecim mille, ducenti. *Breue elogium, sed prolixum totius laudationis, quæ nulli vnquam Religiosæ Congregationi attributa fuit, suffragium,* ut idem loquitur. Itaque, rem acu tetigit Possidius, dum hæc de Augustino protulit, & hisce verbis extulit: *Par Angelis, in feruore, par Prophetis, in absconditorum mysteriorum reuelatione, par Apostolis, in prædicatione.* Vnum discе ex Augustino, animo esse erga mundum, angusto, erga Deum Augusto. Talis eris, si magno animo te parui facias, dicasque maxima cum D. Augustino submissione: *Non meo vel ingenio, vel merito, sed Dei dono sum, si quid laudabiliter sum.* Noli altum sapere, nec alta quærere. Hîc repe, hîc iace. Et ex consilio Poëtæ, Epist. 52.

Ad secreta poli, curas extendere noli.

Digitized by Google

29. DIES AVGVSTI.

Augusti.

Magni artificis est, clausisse totum in exiguo.
Seneca epist. 6.

Eucharistia.

I. QVid magis totum pro homine, quàm Deus-homo? Quid magis exiguum, quàm punctum? Illud immensum Totum, circumscribitur vnius panis consecrati puncto. Itaque, bonorum omnium compendium, est Eucharistiæ mysterium. Non vni Salomoni fuit singulare, sed

Eccle. 1. 2. cuiuis homini est commune dicere, & dicendo sibi proponere: *Vadam, & affluam delitiis, & fruar bonis.* Vade, quò lubet, ut inuestiges delicias; nus-

Prov. 4. 31. quam inuenies, quibus affluas, delicias, nisi confluas ad illum: *Cuius deliciæ sunt, esse cum filiis hominum.* Nec tibi satis est, affluere delitiis, cupis & frui bonis. Bonum est, velle frui bonis; sed malum est, quærere, quibus fruaris, bona extra Summum Bonum. Quid enim, credis esse aliqua bona extra eum, & præter eum, qui

Mat. 9. 17. *vnus est bonus*, Deum? Vade, sed extra eum mala non euades? imò, quod malorum est pessimum, malus euades? sed relicto eo, qui vnus, & solus est bonus, quò vades, ut fruaris bonis? *Ad domum conuiuij?* Ibi

Eccle. 7. 3. *vinum, in quo est luxuria.* Ad campum? Ibi cædes, & prælia.

Ephes. c. 18. Ad forum? Ibi rixæ, & iurgia. Ad curias? Ibi curæ, & discordiæ. Ad mare? Ibi naufragia, vel naufragij pericula. Ad palatia? Ibi fraudes, & mendacia. Quocunque vadis, nusquam est, mala euadendi effugium, nusquam non mala incurrendi periculum.

II. Tu, qui es adeò ambitiosus bonorum, veni sequere præeuntem.

Exod. 33. 19. *Ego ostendam omne bonum tibi.* Quo inuento, mox exclamabis: *Bonum est nos hic esse.* Vnum est, quod ex corde extorquet amorem, Bonum. Si Bo-

Mat. 17. num tibi est amabile: ecce hîc in terris, amabilium omnium amabilissimum, quia bonorum omnium optimum, Eucharistiæ Sacramentum. Hîc rectè dixeris iisdem verbis, sed alio verborum sensu, quod

Luc 12. 19. ille agrorum diues, sed virtutum egens: *Anima mea, habes multa bona, posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare?* O Anima! hîc in

Sap. 7. 11. L. 3. de Virginit. Eucharistia, habes multa bona? Multa dico? Parùm dixi: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Sic enim, Diuus Ambrosius: *Omnia habemus*

Digitized by Google

mus in Christo, & omnia Christus est nobis. Hîc ergò, habes multa bona? & habes illa bona posita in Christo, & depositа apud Christum? & scis: *Quia potens est, depositum tuum seruare.* Et quod caput est; habes hæc *bona posita ad annos plurimos*: imò, si vis *ad annos æternos*? Nunc ergò, *Requiesce.* Si enim, hîc paululùm subsistas, & requiescas, mox exclamabis: *Inueni mihi multam requiem.* Deinde, *Comede.* Hic enim est, quem comedas, cibus: *Caro mea verè est cibus.* Et *Bibe*: hîc enim est *vinum germinans Virgines.* Et *Epulare*: hîc est enim, vndè epuleris, *vitulus saginatus.* Deinde, es hîc in conspectu Dei, nunc autem inuitat Deus ad epulas, dicens: *Iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei.* Augusti. 2. Tim. 1. 12. Psal. 76. 6. Eccl. 51. 33. Ioan. 6. 56. Zach. 9. 17. Psal. 67. 4.

III. Nonnè ergò, habes hîc bona multa? quando habes, quæ optare possis, bona omnia? Vnus Iesus est tibi omnia, per quem facta sunt omnia; imò, qui ipse, omnibus omnia, est factus. Ipse tibi erit sitienti fons, esurienti panis, ægrotanti medicina, ambulanti via, peregrinanti patria, ignoranti scientia, laboranti quies, operanti merces, currenti brauium, deficienti robur, mærenti solatium, pugnanti corona, vincenti gloria, morienti vita, pereunti salus. Cùm igitur, vnus Iesus sit omnia vnicuique, quid supereſt? quàm, ut illum vnum inter omnia, amemus præ omnibus, audientes monitum, & sequentes consilium D. Paulini, sic loquentis, & consulentis: *Christum amemus, quem amare, debitum est: illum osculemur, quem osculari, castitas est: illi copulemur, cui nubere, virginitas est: illi subiiciamur, sub quo iacere, supra mundum stare est: propter illum deiiciamur: cui cadere, resurrectio est?* Potestnè igitur tibi ad votum, optabilior, ad tranquillitatem, securior, ad salutem, vtilior esse locus in cælo, vel in terra? quàm esse coram eo: qui *in principio creauit cælum, & terram*, & cui *data est omnis potestas in cælo, & in terra?* Aude hîc ergò dicere: *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?* Ecce hîc cælum, extra cælum, esse apud Iesum! Itaque, Ep. 5. ad Seuer. Gen. 1. 1. Mat. 28. 18. Psal. 72. 25.

Desere nunc cœnum: Christus dum sit tibi cælum.

Digitized by Google

30. DIES AVGVSTI.

Augusti. **Peccatori exordium est illuminationis ; Humilitas confessionis. *S. Gregorius l. 23. Mor. c. 9.***

Confessio peccatorũ. I. SEdisti in tenebris, & in vmbra mortis, dum fuisti contaminatus noxâ mortali, ut illumineris, humilieris. Profitere te peccatorem, confitere peccata, & omnia tibi erunt munda, dum illuminaberis ab eo, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Esto ipse tibi & Iudex, & carnifex, ut, nec inimicus in te reperire possit quod accuset, nec supremus Iudex quod condemnet. Nec longè tibi eundum est, ut Iudicem adeas: nec laborandum, ut inuenias: in teipso est, imò, tu ipse. Est hoc
In Ps. 49. monitum D. Augustini: *Ascende tribunal mentis tuæ: esto tibi Iudex: torqueat te timor.* Non potes negare, quæ commisisti. Habes, qui te criminis insimulabunt, mille testes: habes, qui veritatem extorqueant, tortores: testis tu ipse, & actor, rea conscientia, tortor, Peccatum ipsum, in hoc tribunali contra peccatorem adfert testimonium. Ne metuas: magis in te eris pius, quò magis sæuus: quò eris seuerior tui accusator, eò opportunior eris defen-
In Iob c. 1. sor. Patrocinatur mihi Petrus Blesensis. *Dixi, Confitebor, & tu remisisti impietatem peccati mei. Si peccatum tuum aperias, dicit Dominus illud operio: si agnoscis, ignosco: si accusas, excuso: si te iudicas, & condemnas, te nec iudico, nec condemno.* Igitur damnat se, qui se non damnat. Optimum tribunal, in quo confessus dirigitur ad veniam, non ad pœnam.

De pœn. c. 3. II. Fluit planè ambrosiâ, dum hæc scribit calamus Ambrosij: *Confessio tua pœnitens, medicina est: ipsâ te curat, nec patitur vulnus tuum, pati putredinem: sed mox; ut ingemueris, superinducit indè notabilem cicatricem. Nemo te, crede mihi, melius reficit, quàm, qui fecit: nec alius iustificat, quàm, qui flagellat, & curat. Mox, ut dixeris vitium tuum, illicò impertit adiutorium suum: hoc tantum expectat, ut fatearis, mora non erit, ut saneris.* Quid faciliùs, quàm contracta tot debita, Deo soluere vbi debiti confessio, eiusdem est absolutio? O igitur, quanta peruicacia hominis rei! aut scelus non agnoscere, aut si agnoscat, non erubescere, aut si erubescat, accumulare. Demen-
Chrys. ser. de pœnit. & confes. tiæ verius est, quàm pœnitentiæ: adhuc iocari, cachinnari, & alium, se voce, gestu, habitu, quàm reum habere. Accipe, ex Aureo Ore, aureum placitum: *Confusio est, peccare, non confiteri peccata: nunc autem neque necessarium præsen-*

præsentibus testibus confiteri: cogitatione fiat delictorum exquisitio, absque teste sit hoc iudicium. Solus Deus confitentem videat: Deus, qui non exprobrat peccata tua: sed soluit peccata propter confusionem. Persuasum habe, quod, nisi quis nunc confiteatur, omninò illic confitebitur, vbi maior pœna, vbi amplior traductio. Hic absque teste iudicium, & tu qui peccasti, condemnas. Illic autem, in medium totius orbis theatrum producentur omnia, nisi hìc priùs detegamus omnia. Confunderis confiteri peccata tua, confundere admittendo. Dic tu prior peccata tua, ut, iustificeris. Quis confunditur de opere, à quo fit iustus? Quis confunditur confiteri peccata, ut soluat peccata? Nùm ideò iubet confiteri, ut puniat? non ut puniat, sed ut ignoscat. Augusti.

III. Quis conuictus enormis criminis, & à supremo Iudice condemnatus ad rogum, si erecto in vmbilico fori ferali theatro, molestâ indutus tunicâ, ac veste piceâ, tortore iam rogum succendente, si possit tam atroci se absoluere non modò flagitio, sed supplicio, vnicâ prolatâ voculâ: quisquamvè tam foret inops mentis, tantum cruciatum perferre, quàm verbum vnicum proferre? Quis, si ad tantam redactus esset inopiam, ut nec haberet, sub quo delitesceret, tectum: cui insideret, scamnum, in quo quiesceret, stratum, quo se tegeret, filum, quo se pasceret, panem, sed, ut alter Iob nudus, & omnibus fortunis exutus, in olido iaceret, & squalleret fimeto, posset que vnius verbi beneficio, stare repentè in supremo felicitatis fastigio, & ex Codro fieri Cræsus, & mutare fæculentum sterquiliniũ, in Regium solium: possetnè dari homo, qui hoc recusaret? Confer iam statum hominis gratiâ priuati, & letali noxâ contaminati, cum statu hominis, qui ab hominum memoria, iudicatus est, fuisse omnium hominum calamitosissimus: maius est discrimen, quàm inter minimum punctum, & immensum spatium, quàm inter atomum, & totum cælum: & tamen proferendo, non, ut David voce, sed tacito corde, Peccaui: fis repentè ex seruo peccati, mancipio diaboli, reo gehennæ, inimico Dei, non tantùm amicus, sed Filius Dei. Caue ergò celare scelus. Est enim illud nimis quàm certum:

Crimina si celes: tibi claudes ostia cæli.

Digitized by Google

31. DIES AVGVSTI.

Augusti. **Aurum si amiseris, potes tantundem recuperare: tempus si perierit; nec ipsum amissum, nec aliud pro eo potes restaurare.**
Dorotheus Doctrin. II.

Temporis celeritas. I. VT cum fœnore exigas tempus, antequam exacto tempore iaceas funus: moneat, & moueat iactura temporis irreparabilis, & illius velocitas, quâ euolat incomparabilis. Pertit tibi aurum, deuastati agri, incensi penates, destructa horrea, sublata prædia, abacta pecora: horum, cùm reparari possit iactura: non tanti sunt, ut mereantur deplorari minimâ querelâ. Tempus malè impensum, irreparabiliter est amissum. Quàm ergo, tibi tua chara est salus, tam tibi sit carum tempus: hoc tamen, tam carum, quàm est celeritate velox. Siue enim, currum incitatissimum, cùm abripiuntur omnia potiùs, quàm feruntur, tempus videlicet, mensuram motus cum Philosopho opinemur, seu cum Speusippo solaris circuitus: seu, cum Alberto magno supremi orbis, seu, cum Proclo conuersionum cælestium: vbique tamen fateri cogimur, explosarum tormento glandium, & cadentis impetum fulminis, lentum esse, præ velocitate, quâ vita hæc nostra cum tempore auolat: quando iam non dubio calculo probant Astrologi, fixas in cælo stellas, citatissimâ vertigine vltra decies centena millia leucarum vnâ horâ quadragies obire. Hoc ergo passu, hic vitæ halitus, quem spiramus, fugit: hoc passu iam inde, ex quo sumus concepti, mors contra nos rapitur: nec scimus, quo nos vitæ nostræ, qualivè conscientiæ articulo deprehensura sit: scimus tamen, tam breui itinere, tam prodigiosâ pernicitate proruentem, non posse longiùs abesse.

II. Cur non igitur, momento quouis illam parati expectamus? Ad hæc habet tempus, ut motum metiatur successione partium constantem,

tem, quarum nullum priùs, potest contingere, quàm interierit præcedens, quare nihil iunctim, ac simul totum donare nobis tempus valet; sed mancum, & mutilum, semiuiuum, & semi-mortuum: nam pueritiæ candorem, securitatem, & innocentiam, iuuentutis vigore, & hunc senectutis iudicio, ac prudentiâ perimit. Et cùm angusta sint vitæ huius dona, tam parcè prætereà, & angustè distribuuntur à tempore, ut ne vitam quidem, nisi particulatim largiatur, & hanc totidem mortis, quot vitæ destinatam, & comminutam punctis: quorum vnicum tantum, cùm ex omni eo, quod effluxit, venturumque est, præsens teneamus; hoc ipsum, ex æquo cum morte diuidimus, omnemque pariter, quæ cum illo nobis momento acquirit, voluptatem: ut verè non aliud esse videatur hæc vita, quàm mortis vmbra. Itaque, ut eques magno vestium apparatu splendidus, & gemmis phaleratus, & navis gazis peregrinis diues, in transcursu cerni, & delectare nequeunt intuentes: sic ista, cùm præteruolent omnia, & fusis ad mortem habenis properent, quid possunt cuiquam adferre delectationis, nisi leuissimum, atque breuissimum. Augusti.

III. Perspectâ igitur, temporis naturâ, non potest iam esse ambiguum, quàm nihili vita sit, quæ particula est momenti illius, quod tempus nominamus. Ergò hanc iure, alij *Mensurabilem*, siue *palmarem*; alij *fœnum*, & *fœni florem*; alij *somnium*, *vmbram*, *& nihilum vocant*: & cursore, aquilâ, naui ventis raptâ velociorem iudicarunt. Huius tamen partem, ut minimùm tertiam, cùm decerpat somnus, morti vtique, quàm vitæ, saltem humanæ similior: partem prætereà non paruam Infantia, & Pueritia, & morbi, & senectus; morbis sæpè, ac pueritiâ deterior, quæ sensum vitæ vix vllum retinent: ergò semi-mortui illius, quo vita omnis redigitur, puncti nobis dimidium supereſt; idque tam fragile, & incertum, ut per se dissipetur. Nunc ergò, si tantula est vita; quid delitiæ, opes, dignitates? Omnia hæc, quæ ab ea id habent, ut bona sint: quantula, quàm nihili, quàm spernenda: & quanto, cùm æternis obsint, odio habenda? O stulta hominum studia! Nemo, quàm benè viuat; sed quàm diu, curat: *cùm omnibus possit contingere, ut bene viuant, ut diu, nulli.* Conferamus æternùm, constans, & immotum, cum tempore ex fuga, lapsuque contexto. Aduertamus quantam, & quàm infinitam Æternitas, rebus, quibus inest, adiungat æstimationem, tam nullam, tempus iis, quibus imperat, addere. Minima, beati cuiusuis gaudia, immenso censenda pretio, quia immortalia: contra summas huius vitæ *Seneca epist. 22.*

Augusti. voluptates, quod euanidæ sint, & brevissimi temporis, nihil pendendas: contremiscendum ad pœnam quamcunque levissimam, si æterna sit. Eâdem velocitate effluet, qui iam imminet September, quo effluxit Augustus. Vide, ut tam cautè, & catè illius tempus impendas, ne eo elapso cogaris dicere, non ut ille, diem, sed mensem perdidi. Festina igitur, ut par est, viuere: nam teste Poëtâ;

Omni ad mortem horâ, curritur absque morâ.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

QUOTIDIANA CHRISTIANI MILITIS TESSERA.

PARS TERTIA.

1. DIES SEPTEMB.

Non homo præstat Deo beneficium in his, quæ dederit; sed Deus in his, quæ acceperit. Septemb.

Salvianus ad Eccles. l. 1.

1. Pietas, est virtus vna, & multiplex, vtpotè, quæ se latè explicat ad virtutes non modò multas, sed omnes. Nos hîc ergò, pietatem consideramus, quâ cultum Deo debitum actibus Fidei, Spei, Charitatis, aliarumque virtutum exhibere contendimus. In his potissimùm elucet germana Pietatis indoles; ut Diuinis submittat humana; terrenis præferat cælestia; fluxis præponat æterna: ut Deo offerat non tantùm omnia sua, sed totum se. Scitè enim, Gregorius Nazianzenus: *Deo, qui omnia creauit, à quo omnia, & in quem omnia, nullum satis dignum munus offerri potest; non modò, si vnius hominis opes in eam rem impendantur; sed neque, si omnibus omnium hominum opibus, & operibus in vnum cumulatis, eum honorare quispiam vellet.* Si dubitas? ratio, quam adfert Salvianus, conuincet esse verum. *Quia etiam, quod homo habet, Dei, ac Domini sui munus est: ac per hoc, in his, quæ offeruntur ab homine; homo non suum reddit, ac Do-* Pietas. *Orat. 3. 2.* *Ad Eccles. l. 1.*

Septemb. *ac Dominus suum recipit. Itaque, cùm offert quispiam facultates suas, non offerat quasi præsumptione donantis, sed quasi humilitate soluentis: nec absoluere peccata sua credat, sed alleuare; nec offerat cum redemptionis fiducia, sed cum supplicantis officio; neque, quasi totum debitum reddere, sed quasi, vel parum de magno reddere cupiens. Quia etsi tradat, quod habet; pro modo rerum non reddit, quod debet pro magnitudine peccatorum. Sed dicet aliquis: Totum ergò, oblaturus est Deo, quod habet? Non offerat totum, quod habet; si non putat se debere totum, quod habet.*

II. Pius, non tantùm se & sua Deo tradit; sed, & soli Deo viuit. Sicut vniones, tametsi in mari nascantur; tamen plus habent cognationis cum cælo, cuius faciem reddunt: ita pius, & generosus animus, magis à cælo pendet, vndè originem ducit; & à Deo, vndè venit; quàm à terrâ, in quâ viuit. Itaque, sicuti heliotropium ad solem; sic anima pia conuertitur perpetuò ad Deum solum; eumque respicit, ut suum solem. Neque longiùs à nobis procedendum est, ut intueri eum possimus; cùm nobis semper adsit, imò nostris intersit, quin etiam insit. Est quippè, non tantùm nobis à latere, sed in corpore; non tantùm nobis est proximus, sed intimus: *In ipso* Actor. 17. *enim, viuimus, mouemur, & sumus.* Quocunque igitur te motu moueris; quemcunque vitæ actum exerceas; quocunque in corporis situ, vel animi statu consistas; si non viuis, si non moueris, si non existis, nisi prorsus in Deo; nonnè in omnibus illum potes respicere? Et ad quem potiùs conuertes oculos, quàm ad illum, qui te diligit, ut pupillam oculi? Circa quem libentiùs occupaberis, quàm circa illum, qui te totum occupat? & dum occupat, totum satiat. Quis, vel quid te satiabit inter omnia, quàm qui omnibus est omnia Deus? Vtinam tibi olim morituro, possint illa esse postrema verba, quæ fuerunt Pachomij! qui exhalaturus vltimum spiritum, hæc protulit vltima verba: *Tu nosti, Domine; quia ex quo suscepi hunc habitum Monachi, nunquam satiatus sum pane, & aquâ; vel qualibet creaturâ aliâ, quam fecisti.*

III. Aude igitur, te totum reddere Deo, à quo totum accepisti; imò, qui se totum tibi toti donauit. Dic igitur, plus mente, quàm ore: Accipe cor serui tui, in holocaustum gloriæ; sim tibi totus, & in omni tempore, & in omni loco dominationis tuæ, sacrificium laudis; sim totus, hostia Divini tui beneplaciti: hæc tua de me sit victoria, ut ego tuæ voluntatis sim victima. Immola me totum adorandæ tuæ voluntati; sacrifica me tuæ maiori gloriæ, & præcipuo tuo honori. Deindè offero me ad quemlibet statum, in tempore, & æternitate, qui ad maiorem gloriam tuam erit; tum mihi diem Dominicum illucescere credens, quando apparebit mihi maior gloria Domini mei. Etiam destructio mei placet Domine Iesu; si possit,

&

& debeat esse fundamentum maioris gloriæ tuæ. Aut, si aliud tibi placeat; da, ut spectaculum fiam mundo, & Angelis, & hominibus, tormentorum, quæ reseruas in æternum peccatoribus; ut non moriantur, sed conuertantur, & viuant; te suum Regem agnoscentes, ut sic dilatem fines imperij tui. Sic se totum Deo vni committere, est omnes pietatis in Deum numeros absoluere. Nec facilè delinques, si tua omnia Deo derelinquas. Intende igitur, animum in sequentia metra: Septemb.

Si quis saluari vult, perpetuoq́, beari;
Christo deuotum, studeat se tradere totum.

2. DIES SEPTEMB.

Quid iniquius? quàm velle sibi obtemperari à minoribus, & nolle obtemperare maioribus? *Augustin. De opere Monachor.*

I. AGnata pietati, est Obedientia. Quisquis enim, in Deum est pius; est propter Deum, cuiuis obedire promptus. Obedientia hominis ad Deum, est affectio voluntatis coniunctæ Deo. Obedientia hominis ad hominem, est debita reuerentia minoris ad maiorem. Commoda, quæ gignit obedientia, sunt ut plurima, sic & maxima. In primis, sicut homine domi quiescente, Respublica fert leges, mouet arma, præsidet Iustitiæ, inuigilat consilij sui mysteriis; vnde cuiuis priuato, suis tantùm commodis, intento, salus, securitas, & felicitas. Sic & Ecclesia, omnibus suis subditis fert leges; & pro eorum incolumitate sancit varia decreta; excogitat diuersa, quibus eos ad salutem manuducat, præsidia: quibus, subditi omnes si obediant, illud obtinent; quod soli Deo est singulare, non posse errare. Quantum igitur, est illud beneficium; inter caligines, quas offundunt animi affectiones; inter errores, quos efficiunt cupiditates; inter ignorantias, in quas mundi leges, & mores impellunt, sapere, inoffenso pede procedere, nunquam hallucinari, prudentissimè absque vllo errore gubernari; perindè, ac si polleres Diuinâ sapientiâ, & prudentiâ. Illud assequeris beneficio Obedientiæ, quæ Vicaria est Diuinæ Sapientiæ. Sic ergò propter Deum, obedias Ecclesiæ Dei; ut assequaris illam rectè obedientis conditionem, de quâ D. Bernardus: *Non attendit verus obediens, quale sit, quod præcipitur; hoc solo contentus, quia præcipitur.* Obedientia. *De præcep. & disp.*

Septemb.

II. Solon percunctatus, quâ ratione salua posset esse ciuitas, respondit: si ciues obtemperent suis Magistratibus; Magistratus autem, Regibus. Quod dicit Solon de ciuitate: idem dicendum de quâuis priuatâ familiâ & quouisin familia homine. Hinc scitè Aug. *Pax domus, est ordinata imperandi, atque obediẽdi concordia cohabitantium*: Pax ciuitatis, ordinata imperandi, atq; obediẽdi concordia ciuium. Nihil igitur, magis homini obest, quã nolle obesse. Si alterutrum sit eligendum; consultius est obtemperare, quàm imperare. Subinde tamen parere, peccatum pareret; vt patebit ex Augustino: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Sed, quid si illud iubeatur, quod non debeas facere? Hîc sanè contemne potestatem: ipsos humanarum legum gradus aduerte. Si aliquid iusserit Curator, faciendum est: non tamen, si contra Proconsul iubeat.* Non *vtique contemnis potestatem, sed eligis maiori seruire: nec hinc debet minor irasci, si maior prælatus est. Rursus, si ipse Consul aliquid iubeat, & aliud iubeat Imperator; & aliud Deus. Da veniam ô Imperator! tu carcerem, ille gehennam minatur. Hîc tibi assumenda est fides tua, tanquam scutum, in quo possis omnia ignea iacula inimici extinguere.* Mala imperanti obtemperare, est animam obtruncare.

De ciuit. Dei l. 19. c. 13.

11. Quæst. 3. can. Ita Corporis §. quis resistit.

III. Vtinam de omnibus, qui sub Christi vexillis faciunt stipendium, dici posset, quod de suis militibus Scipio Africanus! Is, cùm in Africâ bellum gereret, ostendit viros cunctos, quos secum habebat; & turrim præterea excelsam in mari, & ait: Nullus horum omnium est, qui non conscensâ turri semet in mare præcipitaturus sit, si ego iussero. O si omnes, qui in Ecclesiâ militanti prælia Domini præliantur, tam forent ad parendum expediti, essent pugnando inuicti! Rem acu tetigit, dum hæc protulit B. Stephanus, Comes Tironensis: *Præstat exercere vnum actum veræ Obedientiæ, quam facere sexcenta miracula.* Conditiones germanæ Obedientiæ paucis complexus est D. Bernardus: *Bonus obediens dat suum velle, & suum nolle, ut possit dicere: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum; paratum, quodcunque præceperis facere; paratum, ad nutum citius obedire; paratum, tibi vacare, proximis ministrare, meipsum custodire, & in cælestium contemplatione requiescere; amabilis sociis; omnibus officiosus, & nulli onerosus; deuotus ad Deum, benignus ad proximum; sobrius ad mundum, Domini seruus; proximi socius, mundi Dominus. Superiora habet ad gaudium, æqualia, ad consortium; inferiora, ad seruitium.* Denique, qui Obedientiæ præcellit virtute, statim ubi obseruauit vel nutum præcipientis; dicto citius, parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi. Conuersus itaque ad Deum, dic submissimâ animi reuerentiâ cum magno Augustino: *sit, obedire tibi, mihi amabile; & resistere tibi, execrabile.*

Super Cant.

Medit. c. 7.

execrabile. Qui imperanti paret, magnam sibi gloriam parit. Suffragatur Poëta: Septemb.

Qui iussis paret, pramia magna parat.

3. DIES SEPTEMB.

Quidni omnia possibilia sunt innitenti super eum, qui omnia potest? *S. Bernardus sermon. 85. in Cant.*

I. INspectatissimum virtutum theatrum, quod aperimus, mihi videtur Fortitudo, iure quodam procedere, ut Regina coronata; quæ, cùm sit timendorum omnium contemptrix, vim suam in omnes virtutes explicat, terroresque sub iugum mittit. Est autem, teste Tullio, & approbante D. Thomâ: *Fortitudo, considerata periculorum susceptio, & laborum perpessio.* Est porrò illa vna de præcipuis virtutibus; quibus, humana vita ad virtutem instruitur, ut consentiunt omnium Sophorum Scholæ, & Theologorum exedræ; atque adeò inter Cardinales eam reponunt; id est, in eo gradu, qui proximè ad Divinas virtutes accedat. Est enim, vna de rotis currus triumphalis, quibus anima peruehitur ad cælum. Versatur autem, hæc virtus circa Metum, & Audaciam, quæ duo honorificè moderatur, ut asserit Augustinus: *Qui verâ virtute fortis est, nec temerè audet, nec inconsultè timet.* Sæpè fit; ut, si quis fortè opus aggrediatur Numini acceptum, & propagandæ gloriæ suæ decorum; subitò innumeræ difficultates, & periculorum ilias; & plura etiam, quàm Herculi monstra obiiciantur, quæ metu animum debilitent; & secundo vento volitantem, ut remoræ perniciosæ cohibeant; vel irâ, & desperatione concita mens in abrupta inconsideratè feratur. Aduersum hæc, & alia, quæ timenda hominibus videntur, vires exerit fortitudo; quæ moderatrix earum animi perturbationum, frænos manu tenens, cohibet se temerè iactantem audaciam, & veluti ferro, ac vi illudentes animo metus deiicit. Fortitudo. *l. 2. de Inuent.* *Epist. ad Hieron.*

II. Vox ea est Heroica Fortitudinis, quam, & sibi auctoratis militibus ingeminat: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Anima innixa suo sic dilecto, qui omnia potest; quidni, & sibi putet omnia possibilia? Respondе hisce quæstionibus, & ex iis forma tibi animi decreta. Non vis studere vni illi negotio? quod vnum inter omnia est solùm necessarium tuæ con- *Philip. 4. 13.*

Septemb. sequendæ saluti,& assequendæ perfectioni,iuxta illustrationes, & gratias tibi diuinitùs collatas?at qui consequeris salutem, & perfectionem tuam, nisi per virtutes:Iam verò,virtutes tuæ,quomodo erunt perfectæ, nisi adhibeas fortitudinem necessariam iis perficiendis ? Tibi ad perfectionis apicem enitenti obiicietur non poëtica aliqua Megæra,aut Lernea Hydra, aut è fabulis Cacus,latrocinio,& barbarie infamis;sed cogitare necesse est belluam multorum capitum;immanibus formis circumseptam; quam sequuntur morbi,iacturæ,exilium,minæ truces,furor,acerbitas,cruciatuum apparatus,& terribilium omnium Colophon,mors. Putasne te hæc omnia posse vel spernere,vel vincere sine præsidio Diuinæ Gratiæ ? Putasne Gratiam effecturam omnia,vires, & laborem , quantum illa meretur, te non conferente?plusne à te exigitur,qvàm possis?Et,si quod exigitur, potes,non erubescis te nolle?si penes te esset opibus,viribus, scientiâ, dignitate , aliisque naturæ donis, vel fortunæ bonis abundare ; quid quamne, quod posses facere,omitteres,quo optata consequereris?Cur tam remissus es in prosequendâ perfectione,cùm tibi hoc sit integrum ; nec aliquid ad hoc supra vires exigatur?

III. Fortitudo , dos potius est animi, quàm corporis.Ille animus est summè fortis,qui Deum summè timet;& peccandi pauidus,omnia audet, ne peccet. Quod nemo facit, mollis, effeminatus , victus cupiditate, aut vinctus timore. Qui fieri potest,ut fortis dicatur, qui omnium timidissimo hoste vincitur, Timore inquam ? Viro forti infixus semper est timor, & execratio eius rei,quam damnauit natura,& auersatur Ratio. Natura ita comparatum est;vt mala timeamus,bona appetamus. Quid peius culpâ?ista semper timenda est supra ipsam mortem.Quid melius Honestate? hęc semper appetenda est supra ipsam vitam.Quare viri fortis,& compositi ad naturæ gustum, est timere omne peccatum, amare omnem honestatem.Et timore peccati,aut amore Iustitiæ,confidere,audere.Itaque,vir fortis,ne mala faciat,est pauidus; ut mala perferat, impauidus;vt bona agat,cupidus;vt exequatur, audax. Communis vtilitatis amator, priuatæ oblitus;in laboribus,patiens;aduersus mollia,durus;in periculis,firmus;in arduis,fidens;in gerendis, magnanimus; in gestis, modestus; in aduersis, constans; in secundis, temperatus, in vtrisque , idem; in dissimilibus , sui semper similis;in variis, vnus; in omnibus, inuictus. Est igitur vnius studiosissimus virtutis:patere rationi,imperare cupiditati, vincere se,ac inuictum se præbere voluptati, ac dolori:aspernatur mollia ; & dulcia optat acerba,& aspera corpori;memor illius:

Spiritus inde perit,dum corpus dulcia quærit.

4. DIES

4. DIES SEPTEMB.

Quis, ei de sæculo est timor; cui in sæculo Deus est tutor? *S. Cyprianus de orat. Dom.* Septemb.

I. ECce hîc pulcherrimæ Matris, pulcherrima filia, firma in Deum fiducia; quæ ex gremio fortitudinis prodit, ut qualis, quantaque sit, omnibus prodat. Hâc fretus homo, qui est nihil, nihil non potest. Salomon, inter alia sapientiæ Diuinæ placita, & prudentiæ monita, sic infit: *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo.* Videbat hanc suam doctrinam in terris passim contemni, & dolebat; cùm inde in mores, incommoda non leuia; in mentem, error; in Intellectum, caligo; in Religionem næui importarentur. Sciebat Reges, & purpureos Dynastas legionibus bellatorum cinctos exultare solere, de Numine parùm solicitos. Videbat mercatores in industriâ suâ spem omnem, & fiduciam reponere; doctos ingenio; militem equo; aratorem fundo; nautam velo; periurio incæstum; fraudi, & astutiæ litigatorem; mechanicos, & sellularios artificio tantùm suo fidere. Hinc oriri contaminatum vitæ genus, cæcum amorem sui, Dei obliuionem, ingratæ mentis vitium, & non ferendam impietatem. Nam ex hoc fonte, vana superstitio, & nouorum Deorum satus profluxit; dum quisque id Numinis habet loco, cui præcipuè fidit, illudque reueretur. Itaque, Hetrusci Tyranni, hastam pro Deo colebant; cùm insigni inhumanitate, cruore morientium, & internecione pascerentur: in hastâ igitur, cæteriſque belli instrumentis fiduciam suam collocabant. Eandem ob causam nonnulli acinacem coluêre, ut salutis fidum præsidium: multi, aurum; alij, res alias, quas sibi vtiles persenserant: qui cum Diuinâ prouidentiâ facto diuortio, Deum, res suas sibi habere iubebant. Fiducia in Deum.

II. Hæc, cùm Salomon diuinitus intelligeret, velut ex alto mundi tholo, & suggesto clamat. *Habe fiduciam in Domino*, &c. Aureum planè eloquentiæ flumen profluxit ex aureo illo ore, cùm hæc diceret; exponens illa Dauidis verba: *Deus noster refugium, & virtus; quasi diceret: ne mihi dixeris arma, muros, & fossas; nec pecuniæ copiam, nec rei militaris scientiam, nec equorum multitudinem, nec arcus, sagittas, & loricas, nec sociorum vires, nec militum phalanges, nec robur corporis, aut hostis experientiam: sunt enim, hæc omnia, aranei tela, & vmbra imbecilliora. Sed, si velis videre copias inexpugnabiles, refugium insuperabile; præsidium, quod non diripi; turrim, quæ labefactari non potest; ad Deum confuge.* *Chrysost. In psal. 45.*

Septemb. *confuge. Propterea non timebimus, dum turbabitur terra*, &c. *Etsi videamus confusa; etsi perturbationem planè intolerabilem; etsi ea omnia euenire, quæ nunquam facta fuerunt; etsi ipsam, ut ita dicam creaturam cum seipsâ collidi, & illius naturæ terminos moueri, & omnia ex ipsis conuelli fundamentis, & prima elementa confundi; non modò non vincemur, sed ne timebimus quidem.* Nonnè huius veritatis præco, est prædicta tessera? Quis, ei inter omnia etiam timenda, potest esse timor; ubi Deus inter omnia, & contra omnia est tutor? firma in Deum fiducia, erit capiti tuo galea, pectori lorica, dexteræ gladius, sinistræ clypeus. Eris hâc comite inter omnia pericula tutus, contra omnia fortis.

III. Ad concipiendam Heroicam in Deum fiduciam, plurimum conferet attenta consideratio eius in nos amoris, curæ, prouidentiæ: amat nos, ut oculos suos. Ita, de eo Moyses: *Circumduxit eum; & custodiuit, quasi pupillam oculi.* In hâc vitâ nihil nobis carius, aut pretiosius oculis: ipsa natura, hoc docet; quæ oculos, ut lucentes gemmas, velut eburneo in tabernaculo reposuit; & palpebris, ac denso vallo prouidè sepsit tot tunicis, atque humoribus, ut thoracibus vndique muniuit, ne externa vlla vis noceret: in ipso verò oculo, est pupilla, ut gemma in annulo; ut flos pretij, & dignitatis; & lucido illo in orbe, ut sol quidam luminis autor, cùm præcipua videndi vis in pupilla insideat. Audiamus nunc Deum, ore Vatis loquentem: *Qui tetigerit vos; tangit pupillam oculi mei.* Ledi iusti non possunt, quin Dei acies, & pupilla cara sentiat, & quasi vulneretur. Quis coruus de torrente effodere hos oculos queat? Vllane tanta est cuiusquam, tamque potens impotentiæ, siue in mortalibus calamitosis, siue in Inferis tenebricosis, ut hanc pupillam possit attingere, aut homines lædere, quos æquè, ac pupillam suam tuetur? In magno Prouidentiæ oculo, & naturâ Dei, ut pupilla, est pretiosissimum quoddam, & longè carissimum, illa benigna misericordia, & æternus amor, quo nos prosequitur. Addo ad humanissimam hanc Dei amantis prouidentiam illustrandam, in pretiosâ illius pupillâ nos omnes, ut pupillos contineri, nec pium vllum lædi, aut violari posse; nisi Diuina ipsa pupilla violetur. Sumus enim expressæ illius imagines semper in oculis perlucentes, vt nostri obliuisci non queat, semper amet. Quàm ergò, debet Deo displicere sic amanti, non redamari? Rectè enim Poëta:

Deuter. 32. 10.

Zachar. 2. 8.

Illi pœna datur, qui semper amat, nec amatur.

5. DIES SEPTEMB.

Vbi adest Christus, aranea, murus est; vbi abest Christus, murus, aranea est. *S. Paulinus de S. Felice.* Septemb.

I. QVi confidit Deo, diffidit sibi. Quomodo potes tibi fidere, cùm sis ipsa, quæ labitur fragilitas; quę delinquit prauitas; quę euanescit inanitas? Rectè fidis Christo; quo prędsente, nihil tam est infirmum, quod hominem non confirmet; quo absente, nihil tam est validum, quod non infirmetur. Tolle gratiam Christi, iam destitueris, quâ antea nitebaris basi: nisi enim, Gratiæ præsidio muniaris, expers mortiferi criminis diu esse non vales. Causa est, contumacia rationis ægrè Deo subiectæ; ex quâ consequitur, ut à Deo, & recto sæpius declinet, præoccupatis cupiditatibus in transuersum abrepta; quæ licet, possint altiore Rationis attentæ iudicio frangi; tamen, cùm huius attentionis præsentiam multa diuellant, ac dissipent, fieri non potest, ut vitiosæ, ac in malum propensæ voluntati obscurata, & debilis ratio diu reluctetur; nisi Diuinæ antidoto gratiæ retineatur in officio erga Deum. Huius magnitudinem boni, id est, Gratiæ solus capier; cui mali, quod peccato inest formidandi, perspecta fuerit magnitudo, & deformitas. Diffidentia sui.

II. Tam distat à malignate Culpæ, malum pœnæ; ut licet hoc infinitis exaggeretur cruciatibus, nunquam sit ad vllam culpæ malitiam peruenturum: est pars Iustitiæ, pœna; quæ, cùm sit optima, mala esse non potest. A Deo infligitur; qui velle, nisi bonum, nequit: vnde conficitur, sua homini, si foret explorata damnatio, committendum tamen nullo pacto fore, ut se nouo crimine obligaret. Imò, si iam Inferis addicto promitteretur salus, eâ lege ut culpam lethalem admitteret, repudiandam fore conditionem, eligendamque potius sempiternam pœnam, quàm momenti vnius culpam. Iam quæro ex iis, qui accumulant scelera sceleribus; qui suarum conscij sordium, inde sordescunt procliuius, licentiusque post alterum, & alterum lapsum, in quartum, & vlterius prorumpunt: an tribus dæmonibus ad carnificinam traditi, quintum, & decimum, & plures expetituri sint tortores? O immanissimam, in seipsos insanorum hominum rabiem! Deterius est quod vnum addis patratis peccatum; quàm quantùm Inferorũ armamentario in reos Maiestatis homines, ac dæmones cuditur, oc-

Septemb. cupaturque tormentorum: estque hæc vltima insania; amare culpam, & odisse pœnam; cùm malitiæ immenso discrimine pœnam quamvis, culpa etiam tenuis superet: sed ipsâ in pœnâ, cur tam cæci sumus, & sensu cassi? Quis tandem carnifici, ad candentem forcipem addictus, petat, quibus crucietur laminas ardentes? Quis veneno ictus, captet nouas, quas admoueat viperas? Heu! peccata peccatis nectimus; & quod sequitur, pœnas pœnis, multò quàm à nobis fingi possunt atrocioribus.

III. At, si nos parùm tam perperam potens nostri amor hîc mouet; moueat reuerentia Salvatoris ponatur denique iniuriæ modus, ut satis sit toties illum prodidisse, sat eius sanguinem toties polluisse. Quis antropophagus ad hostis cadauer pridem à se confecti furiosius recurrit, iterumque, ac sæpius refugit? sæuitum satis in eũ, qui te ab æterno dilexit! sufficiat hactenus, inhibe sceleste! à colaphis parricidam manum; à proculcatione Christi, sacrilegum pedem; à perfidiâ mentem, tot amandi, timendi, fidelitatis seruandæ causis tam diu rebellem! Promittit hinc Deus felicitatem perpetuam, ac certam; referat peccati vastum chaos, & irremeabile profundum, ut absistas procul; pericula explicat, ne iis impliceris; beneficia, ut emolliaris: filij sui mortem, vitæ tuæ, salutique impensam; ut nefas censeas posse alteri, quàm ipsi viuere. Promittit hinc dæmon; imò obiicit duntaxat momentum fugax pessimæ voluptatis, Inferorum tormentis obnoxium: & vincit, proh scelus! & abs te iniquissimam, quam poscebat aduersus Deum sententiam; teque ipsum tibi, cum spe totâ salutis abs te aufert, sibique mancipat. Et in tantâ cæcitate, prauitate, caligine, fragilitate, & ad quoduis malum procliuitate; in loco tam lubrico, tot inter hostium insidias, laqueos, machinas; tot inter fraudes, technas, pericula, quibus inuoluitur, homo de se quidquam, ut audeat præsumere, viribus fidere? cùm tantis, præsertim, malis se non possit expedire, nisi opitulante illi Dei Gratiâ? si igitur sapis, noli vlli extra Deum firmiter fidere; quia omnis homo fallax: noli etiam leuiter credere; quia omnis homo mendax: quod si facias, damno tuo intelliges non esse à vero alienum illud Poëtæ:

Qui leuiter credit, deceptus sæpe recedit.

6. DIES

6. DIES SEPTEMB.

Magnanimo, nihil est magnum. *Seneca epist. 23.*

Septemb.

I. QVod, est Aquila inter volucres; hoc, est Magnanimus inter homines. Nihil æstimat magnum in terris, præter eum, cuius magnitudinis nullus est finis. Vin nosse genium magnanimi, indolem Magnanimitatis? Seneca vtriusque lineamenta adumbrauit: *Eris magnanimus, si pericula non appetas, ut temerarius; nec formides, ut timidus: mensura ergò Magnanimitatis est, nec timidum esse, nec audacem.* Generosa mentis erectio aduersus difficultatem, in virtutis exercitatione insurgentem, extra rem bellicam, ex eo satis, superque enitet; quod animum prodat verè nobilem, qui virtutis obiectu non deiiciatur, sed potius audentior contra eat; nec prius absistat conatu, quàm perdomitâ difficultate, & perruptis interpositis obicibus, gaudeat successu. Sine hâc virtute, irriti cadunt necesse est, conatus reliquarum virtutum. Cùm enim certum sit, exercitationes quarumcunque virtutum obseptas esse difficultatibus: sanè, ni mens aduersus eas per Magnanimitatem erigatur, vel nulla vnquam concipietur voluntas ex virtute operandi; vel concepta ad maturitatem non perueniet: sed facto miserè abortu, interpositis partus difficultatibus, in ipso fruendæ lucis conniſu, emorietur.

Magnanimitas.

Sen. 4. de virt.

II. Magnanimi dicta sunt huiusmodi, quæ mereantur scribi in Æternitatis arâ; facta, quæ non plebeæ voces; sed sera annalium testimonia celebrent, & posteritati commendent: *Non potest quidquam abiectum, aut humile cogitare, qui scit de se semper loquendum.* Quælibet regio orbis, est ipsi palæstra virtutis. Præclarum Magnanimi habes simulacrum ex Diogene apud Dionem: *Vir generosus, labores, putat esse maximos suos antagonistas; semperque amat cum his pugnare, tam noctu, quàm interdiu: non pro apio, ut mulieres; neque pro oleastro, aut pinu, sed pro felicitate, & virtute. Ne quem reformidet, neque optabit alteri fortuito congredi; sed vtrò prouocabit omnes ex ordine, cumq; fame contendet, & frigore, sitimque sustinebit, & virgis (si ita oportet) cæsus, & sectus, & vstus perferet: paupertatem verò, & exilium, & contemptum, ac similia, nunquam existimabit sibi grauia, sed valdè leuia; & virum perfectum illis ludere, sicut pueri solent talis, aut variegatis globis.* Magnanimitatis igniculi quidam se produnt in ipsâ subinde prætextâ. Hinc Themistocles, cùm adhuc puer

Mamertinus paneg. ad Iulian.

Orat. 8.

Septemb. è ludo literario rediret; & eum, Pędagogus obuio Pisistrato, de viâ decedere tyranno iuberet, liberè respondit: Nunquid hæc via ei non sufficit? Adeò quiddam magnificum, etiam in hoc dicto, & hâc ætate refulsit.

III. Quàm verò, cùm hóminis natura consentiat hæc virtus; bene Seneca, qui omnia optimè expressit: *Vnus est, vita huius fluctuantis, & turbidæ, portus; euentura contemnere, stare fidenter, apertè tela fortunæ aduerso pectore excipere, non latitantem, ac tergiuersantem. Magnanimos nos natura produxit; & ut quibusdam animalibus ferum dedit, quibusdam subdolum, quibusdam pauidum: ita nobis gloriosum, & excelsum spiritum, quærentem ubi honestissimè, non ubi tutissimè viuat: simillimum mundo, quem quantum mortalibus passibus licet, sequitur, æmulatúrque. Profert se, laudari, & aspici gestit. Dominus omnium est, super omnia est. Itaque nulli ferei submittit; nihil, illi videtur graue; nihil, quod virum incuruet.* Epist. 104. Sed nullâ ex parte illustrius spectare liceat, Magnanimitatis decus eximium; quàm si oculos defigas, in characterismum ac ideam fidentis animi, ac citra ostentationem fortis. Eius expressionem ex institutione Philosophicâ sic suggerit idem Seneca: *Qui Philosophiam, in remedium suum exercuit; ingens fit animo, plenus fiduciæ, inexsuperabilis, & maior adeunti. Quod in magnis euenit montibus, quorum proceritas minus apparet longè intuentibus; cùm accesseris, tunc manifestum fit, quàm in arduo summa sint. Talis est mi Lucili, verus & rebus, non artificiis Philosophus. In edito stat, admirabilis, celsus, magnitudinis veræ: non exurgit in plantas, nec summis ambulat digitis; eorum more, qui mendacio staturam adiuuant; longioresq; quàm sint, videri volunt. Contentus est magnitudine suâ. Quid ni contentus sit eóque creuisse, quo manum fortuna non porrigit?* Epist. 111. Denique, si ambis euadere magnus; in promptu est modus:

Euades magnus: si possis spernere magna.

7. DIES SEPTEMB.

Illud mirare; ibi extolli aliquem, ubi omnes deprimuntur: ibi stare, ubi omnes iacent.

Seneca epist. 66.

Æquanimitas. I. Æquanimitas, ita Magnanimitati similitudine est iuncta; ut cum eâ, vel ex eâ nata videri possit. Æquanimis dicitur, qui, est æqui animi; qui, nec prosperis attollitur, nec aduersis deprimitur; qui, inter fortunæ

tunæ casus dissimillimos, sui semper est similis; qui, inter ærumnas, ubi omnes iacent, stat, sibique constat; illic se erigit, ubi alij ruunt; sibique ducit solatio, æquo animo perdere, quæ erant peritura; qui, asperis, blandisque pariter inuictus; neutri se fortunæ trascenti, blandienti submittit; super omnia, quæ contingunt, in hâc tumultuosâ fortunæ areâ, eminens: inter turbida, imperturbatus; inter terribilia, imperterritus; quem, nulla vis frangit; qui, omnia diuersarum rerum onera, rigidâ ceruice sustollit; qui, sub quolibet pondere stat erectus; quem, nulla res minorem facit: cui nihil eorum, quæ ferenda sunt, displicet: qui, quidquid cadere in hominem potest, in se cecidisse non queritur: qui mortem, & vitam eodem vultus colore aspicit: nec illam nimium reformidans, nec hanc exoptans: contra quem non plus possunt tempora nubila: quàm aduersus solem, nebulæ. En in homine Æquanimi effigiem Æquanimitatis. Hæc Æquanimitas super omnia fortuita sese offerens, est velut anchora in his fluctibus, ac procellis, quibus res humanæ agitantur. Septemb.

II. O mortales immortales! tanta est animi tui, ô homo dignitas! tam altus humanæ mentis quasi montis apex, ut extra omnem hostilis fortunæ iactum emineat. Quæcunque extrinsecus minitantur, arcem obsident, hoc est, corpus, famam, opes, exposita iniuriis bona eripiunt: nisi se animus dedat, inexpugnabilis est. Achillem toto corpore inuulnerabilem, præter exiguam pedis partem, & in eâ faucium à Paride, aiunt occubuisse. Affectus pedem, in animus exponat, impenetrabilis est. Calcaneo Acheruntius anguis insidiatur. Circa animum æneo thorace, aut adamantino scuto munitum repulsa, & irrita tela decidunt. Palmatâ veste insignis, fortunarum triumphator insignitur: & inter mortales, quidquid mortale est sub se ponens, infra se tonantem fortunam despicit. Hæc vera hominis nobilitas, quæ lunulatos calceos gerit, hoc est, quæ quidquid est sublunare, conculcat. Planè maximum à Deo munus homini concessum, ac Deo ipsi proximum, nullâ re concuti. Homo æquanimis tam sibi fidens est: ut non modo bonis non pelliciatur, malis non percellatur: sed etiam è malis bona demetat, mala cogat in bonum cedere. Talis erat Socrates, verè Æquanimitatis animata effigies, de quo Xantippe vxor eius dicebat; cùm infinitæ mutationes, & Rempublicam, & ipsos occupassent, in omnibus similem se vidisse Socratis vultum, & exeuntis domo, & domum redeuntis.

III. Exploratâ igitur, animi tui, quâ excellis præcellentiâ, perspecto eius, quo polles imperio, quod tibi à supremo Imperatore concessum est in res omnes, ab eo infra lunam conditas: etiam eas, quæ malæ malè videntur: appetitum sese ad infima proiicientem heroicè sic moderabere: ut non

Septemb. non modo iis,quæ adblandiuntur,non abripiatur: sed etiam iis, quæ minantur, tanquam inanibus spectris non absterreatur. Obuium te malis opponito:eo securior,quo tutior,ac certior: excelsum animum, nullâ re, nisi à seipso lædi posse. Sic fiet, ut animi tui serenitas, nec secundis, nec aduersis interturbetur. Magnanimitatem è tui cognitione depromito: *& per publicam viam*,ex Pythagorico præcepto,*ne ito*. Admirantur cæteri hominum honores,dignitates, imperia? Tu ea, tanquam animi tui celsitudine longè inferiora contemnito. Inhiant alij ingentes auri aceruos? Tu oculo irretorto ne spectato quidem. Fugiunt alij velis, remisque pauperiem? Tu nihil animo timens,vltrò eam amplexato. Sæuam minitantis fortunæ tyrannidem horrent? Tu, quæcunque terriculamenta ingesserit, interritus excipito,inspicito;bona sunt, mali specie personata. Hic mundus,est quasi vmbra arboris:sub quâ in transitu meridionantur viatores,post tantisper refectas vires,abscessuri. Sicut igitur, improuidè quis sub patulæ fagi tegmine habere domicilium deligat: ita stultè optet fortunæ bona,conditione suâ fugacia, æternam stabilitatem alicui habere. Memineris ergò illius:

Tecum nulla feres:licet omnia solus haberes.

8. DIES SEPTEMB.

Patientes propriè dicuntur; qui malunt mala, non committendo, ferre; quàm, non ferendo committere. *S. Augustl.lib.de patient. cap. 5.*

Patientia. 1. PAtientia,tam est in omnibus necessaria omnibus:ut etiam,vel ad legendum hunc tam contractum tractatum de Patientiâ,opus sit adhibere patientiam. Sicuti nihil est homini familiarius,quàm pati: sic nihil magis necessarium,quàm Patientia. Non iniquius nobiscum actum,quàm cum feris. Aper,hederam suam habet:draco, siluestrem lactucam:anguis, marathum:aliis,vicinior medela data est,ipsa membra:cani vulnerato, ipsa lingua,est balsamum. Hominibus commune pharmacum est,patientia, & silentium. Magnum malum est,non posse pati mala. Compendio tamen ab omnibus se malis,quæ patitur,expedit,qui facilè tulit: hic palmam de omnibus retulit. Quod pati, est necessarium, hoc sit voluntarium,& nihil patietur.

patietur. Manus, pedes, artus reliqui, suis potius deficient munijs, quàm stupidi patiendo reddantur. Scitè Herodes Sophista, dum podagrâ, & chiragrâ laborabat: Cùm, inquit, edere oportet, manus non habeo; oportet progredi? non sunt mihi pedes: oportet dolere? tunc & manus mihi sunt, & pedes. Ita integri ad patiendum semper sumus. Tot porrò, ac tantæ sunt, quas patimur calamitates; ut teste Demetrio, ipse nobis dominentur: *Calamitates*, inquit, *hominibus imperant; & non homines calamitatibus.* Itemque, S. Hieronymus: *A cunabulis Ecclesia non defuit iniquitas premens, & Iustitia patiens.* Septemb. *In Epist.*

II. In medullas cordis demittenda vox Themanitæ. *Homo nascitur ad laborem; & avis ad volatum.* Intuere, quid desit avibus ad volatum: totæ in hoc positæ sunt; rostro acuto, ut scindant, proræ loco aërem, alarum remigibus actuosæ; oblongioribus suo ordine pennulis, ex utroque instructæ latere, veluti transtris; cauda, clavi instar est, quâ gubernantur, & flectuntur. pedibus collectitijs, digitis sparsis, unguibus aduncis; quibus, tanquam anchoris aptè hæreant suis portubus, id est, ramis. Non minus homo devotus labori nascitur: Circumspice totum; nihil notabis deesse, ut patiatur: etsi multum ei desit Patientiæ. Tota hominis conditio in hoc videtur affabrè elaborata; ut pati possit: non instructus pennis, ut volet; & è miserijs evolet, ut avis: sed ege nu, infirmus, nudus, exermis. Id interest, quod avi deesse possint instrumenta volandi; non homini tolerandi. Cervo, currere deficiet; lupo prædari; leoni timeri: non homini, posse pati. Vitæ humanæ primitiæ, sunt lachrymæ. Non ante nascitur homo, quam patitur; quia gemit, dum oritur. Primum igitur, lucis tributum, pati est: inde per reliquas ætates, pendenda sua miseriæ vectigalia. Ferat igitur, adultus, quod infans tulit; nec pudeat consecrationis suæ, qui non prius sentit lucem, quàm laborem. Pati est homini, primum quod docetur; vltimum, quod dedocetur. *Iob. 5. 7.*

III. Cave igitur, tua impatientia fias palea, omni vento afflictionis agitata. Ex paleâ fit fimus, aut fumus; dum vel putredine consumitur, vel igne comburitur. Sed esto, ut arbor altè radicata; quæ ventorum turbine magis firmatur, quàm debilitatur. Adversa si advenerint, cupias; si supervenerint; sustineas. S. Ambrosius, vineam inducit suis plagis fœcundiorem, putatione lætiorem: *ut vinea, dum iugatur, erigitur: & recisa non minuitur, sed augetur: ita sancta plebs dum ligatur, exstruitur: dum humiliatur, attollitur: dum reciditur, coronatur.* Cassiodorus, aurum profert ad generosam patientis animam decorandam; de quâ dici potest, quod de metallo pretioso: *purior est, dum arserit: potior dum decoxerit.* Eandem quoque rem, docto penicillo expressit *l. q. in Luc.* *l. q. Epist. 3.*

Septemb. expressit Abbas Cellensis Petrus: *Cholerica, & celestis complexio tua, suis passionibus hilarescit: suis congelationibus frondescit: suis eversionibus concrescit: suis ægretudinibus convalescit: suis contrarijs infortunijs fortior, & audacior emitescit.* Et paulò post: *Ecce caminus, sed non timet aurum: Ecce mare, sed supernatat oleum: Ecce malleus, sed non frangitur adamas: Ecce ventus, sed mons Sion non commovebitur: Ecce prælium, sed miles tenet gladium.* Denique pateris mala vel bonus, vel malus: si bonus, erit ad cumulum gloriæ; si malus, & libenter pateris, erit ad solutionem debiti. Quid ergò supereſt, quàm ut tibi pro more accinam.

Non animo tristi fer pœnam, quam meruisti.

9. DIES SEPTEMB.

Hoc solatium est vasti doloris; quod necessè est, desinas illum sentire; si nimis, senseris. *Seneca Epist. 78.*

Constantia. I. SPectabilem se præbet una è Spectatissimis fortitudinis pedissequis, Constantia: cui proprium est in omni calamitate; & vastissimo quoque seu corporis dolore, seu animi mærore, semper velut in basi simulacrum stare immotum. Non ignara, dolorem, si possit tolerari, esse levem; si tolerari non possit, esse brevem: adeoque fieri non posse, ut quis valde doleat, & diu. Si enim, sit nimis intensus dolor, corpus indè quasi obstupescit, & ipso dolore, sensum doloris amittit: itaquè, finis dolendi, est obtorpuisse. Quid, quod Constantia, per ea, quæ petitur, & quibus impetitur, maiori fulgeat gloriâ? Silex læsus scintillat; & post tormenta, & frequentatas contusiones adamas claret: sic virtus emicat afflicta. Constantia per iniurias non tantùm patet, sed claret; quia magna vel ostenditur, vel fit. Validus ventus, qui exilem extinguit flammam, favet incendio: afflatur rogus, turbine; eadem, facula evanescit. Magnus animus, & sibi constans ærumnis utitur, non frangitur; vertit ipsa infortunia in contumeliam fortunæ, dum inter illa se æstimat fortunatum. Itaque, cum emolumento læditur, cum fœnore affligitur. Etiam, cum discerpitur, fructum carpit vir constans, Constantia casus ignorat; quia semper stat, & in gradu suo perstat: una semper est, & eadem, quamvis per diversa.

II. Phidias fingebat simulacra non tantùm ex marmore, sed quocunque alio impolito lapide; non tantùm ex ebore, sed ære. Sic Constantia

tiæ res quælibet prospera, adversa, dextra, sinistra, est materia gloriæ: quam- Septemb.
cunque ei obieceris fortunam, aliquid ex ea faciet memorabile; atque adeo reddit constantem dignum posteritatis memoria: manet semper integra inter tormenta; tota, inter lanienas; felix, inter infelicia, atque attrita, de suo glorioſior triumphat victore. Sicut crocus gaudet calcari, & palma premi: sic decus Constantiæ, adversa magis commendant. Homines annos multos impigerrimè laborant; & in laborando ad pertinaciam usque sunt constantes pro bonis mundi inconstantibus, & fortunæ fugacibus: quomodo tam sunt inconstantes pro gloria tam constanti; ut futura sit semper, desitura nunquam? Quanta patiuntur homines mala, ut sint mali; cur tam parum, ut sint boni? quæ; & qualia, quanta, & quàm intolerabilia perferunt, ut sua conscisant scelera: scelerati, latrones, avari, lascivi, dum tot subeunt pericula, tot devorant tædia? Cur, pro Animo, salute, virtute, cœlo, Deo, felici æternitate, nihil constanter sustinemus? qui sperat se semper fruiturum summo Bono; oportet, ut semper sit bonus.

III. Summa est gratia, custodire gratiam sibi datam: summum opus, non cessare à bono opere. Gratiam accepimus citra laborem; sed ut eam conservemus, labore; ne amittamus, opus est timore. Dimidium facti est principium; sed si non habet finem, nihil est. Placet spectare germanum Constantiæ simulacrum? Audi non hominis constantis, sed ipsius Constantiæ acroama; *Quis nos separabit à Charitate Christi? Tribulatio, an angustia,* Rom. 8. 39.
an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? Quæ omnia, cùm hominibus sint maximè formidabilia, eaque sub pedibus veluti suis posuerit, non sine causâ epinicion canere iam, & ovare glorioſissimè videatur. Quare expressum sic ab illo video, ut trophęum clarissimum victoriæ, & monumẽtum gloriæ; quale à militiæ ducibus erigi olim consuevit. Pingunt enim, ad victoris pedes, colligatos vinculis hostes, fracta, & dissecta barbarorum tela; inanes galeas, clypeos mille in locis perfossos, hostilemque vim omnem superatam. Ita ille iam superior, triumphans, infra se habuit, & gentium contumelias, & dolores corporis, & Tyrannorum supplicia, & famem, & metus, ac mortem ipsam; totumque, qui mortem præcedere solet, crudelitatis apparatum, ac immanitatis pompam: quibus stratis, domitisque, gaudio exultans; quia de omnibus triumphans, canit illud triumphale epos: *In hũ omnibus superamus.* Itaque, huius exemplo, instanter Supra v. 37.
operare; erit postea operæ suum & pretium & præmium:

Insta, ne cesses; aderunt post semina messes.

10. DIES SEPTEMB.

Septemb. **Inchoantibus, præmium promittitur; sed perseuerantibus datur? S. *August. l. de modo bene. viuen. serm.* 6.**

Perseuerantia.

I. DVm virtutes, quasi militares copias, quæ sub signis merent. Fortitudinis recensere perseuero, prolapsus sum ad Perseuerantiam; quæ sola, vt operum coronis, operibus imponit coronam. Aliud est, coronam imponendam promittere: aliud promissam imponere. Præmium, quod inchoanti, Dei Liberalitas promittit; perseueranti, Iustitia imponit. Vt obtineas Regnum, cuius nullus est finis; necesse est, perseueres vsque ad finem: nam nihil est factum, si restet aliquid faciendum. Admodùm nihil tibi conducet per omnem vitam laborasse, si desinas in fine vitæ laborare: plus prodest vnum momentum vltimum perseuerantiæ, quàm omnes anni præcedentes; nam cunctos quis perdidisset, si in illo instanti defecisset. Fors molestum tibi videtur in aliquo opere contumaciter perseuerare: at molestius est, iterum incipere; & multò molestissimum inceptare sæpe. Ioa. 19. 30. Quantum est solatium, audire illud Incarnati Verbi: *Consummatum est*; tantùm erit ludibrium, audire exprobrantes: *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Luc. 14. 30. Ne desistas ab inchoato opere; ut in eo persistas, adhibe omnem operam: expeditiùs est, semel perseuerare; quàm crebrò inchoare.

II. Idcircò desinunt plures perseuerare; quia opus bonum, quod inchoârunt, iudicant multis difficultatibus obseptum: sed non fugiunt difficultatem, nam perseuerando facilius fit; si potuisti incipere, quod est difficilius; poteris continuare, quod est facilius. Expertus es, illud, quo incepisti, opus non esse impar tuis viribus, par esse tuæ gratiæ; cur contra tam diuturnam experientiam modò diffidis, & putas te non posse sustinere? quod est præteritum, & quod futurum est, non creat tibi molestiam in præsentiarum: itaque, ut minuas onus, ne simul, & semel tibi proponas totam difficultatem; quia non venit simul tota, sed pars parti temporis respondet. Vt potuisti antea sustinere; potes modò, poteris & olim deinceps. Qui bene agere consuescit, malè agere dediscit: sic erit tibi ad solatium, quod fuerat ad terrorem. Consuetudo vincit difficultatem, quia vincit naturam;

naturam;quid faciet,quæ superior est natura,Dei Gratia ? Bonitas æterna requirit,ut æternùm illi seruias. Disce perseuerantiam amoris ab eo; qui, cum dilexisset suos,in finem dilexit illos:qui perseuerauit pendere in Cruce,nec voluit ab eâ descendere , licet Iudæi promitterent se credituros, illum esse filium Dei. Age homo remisse;quid debes optare , & facere pro Christo,qui in Cruce pro te perseuerauit?qui dilexit te vsque ad mortem; nisi facere bona,& perpeti mala? Septemb;

III. Opus bonum semper est in promptu;quid autem obest, quo minus facias,& faciendo perficias;nisi laboris molestia ? Attende, aliud bonum hoc esse,pati malum;attende iam geminatum bonum.coniunguntur in hoc opere perseuerantiæ, illa duo;facere bonum , & pati malum. Non poteris excusari,si non perseueres; quia solùm te impedit , quod deberes optare pati pro Christo? At si tam infirmus es,ut non te vrgeat Amor Dei; inuitet te amor tui; stimulet lucrum tuum; acuat spes gaudij futuri ? Desperatio salutis, & vitæ pereuntis , fortiores solet facere milites, & sic seruare:spes Diuina æternæ vitæ est fortior , quàm desperatio vitæ temporalis;igitur, & te fortem reddet, & beatum:cum hâc spe aggredere, & perseuera.Itaque subsidium perseuerantiæ,ne voluntas fortiter concepta,ad primam veluti pruinã difficultatis emarcescat,& tam fædè à cæptis resiliat; quã gloriosè ad ea accesserat,sit prægustatio attẽta mox consecuturi boni: è contra verò asperitatis breui effluxuræ,grata præsensio.Si vis bene finire vltimâ horâ, singulis horis incipe;si vis perseuerare, semper de nouo incipe?ne purges socordiam tuam infirmitate corporis ; nihil non potest corpus,si ferueat spiritus. Phreneticus; cùm infirmus sit, & debilis morbo, plus potest , quàm quatuor bene sani;vis animi aliquando se communicat corpori. Si infirmitas morbi, fortes facit: quantò magis robur Gratiæ, & sanitas animæ;cùm diliget Deum,& sperat in eo. Hoc, ut perseueres, insculpe animo poëticum pronuntiatum:

Præmia victorum pendent à fine laborum:
Hoc, Scriptura sonat;finis, non pugna coronat.

11. DIES SEPTEMB.

Septemb. **Non est Temperantia in solis resecandis superfluis; est & in admittendis necessariis? *S. Bernardus de consid l.* 1.**

Temperantia. I. PRodit, ex vmbra in solem, è latebris in conspectum virtutum Cardinalium, vltima, quidem ordine, non tamen dignitate, Temperantia; quæ secum virtutum, veluti prætoriam cohortem, in aciem producit; quibus contra obluctantia vitia, prælia Domini, pro Rationis dominatu fortiter prælietur. Vt autem, non tantùm quæ sit, intelligas; sed quanta sit, penitus percipias: Propono eius imaginem à variis expressam: *Cicero l. 2. de finib.* *Temperantia, est moderatio cupiditatum, Rationi obediens.* Proprium illi est, corporis voluptates non suspicere, turspisque voluptatis vsus nequaquam cupidam esse; ac iustam etiam vereri licentiam; componique animo in paruis, ut in magnis, quæ ad vitam humanam pertinent, rebus: vnumque obseruare; *Ne quid nimis*: sic, ut necessitatem nec præcedat, nec excedat; adeoque reiiciat quidem superflua, sic tamen, ut & admittat necessaria. Illius indolem *Seneca epist.* illustrat Seneca his verbis: *Temperantia, voluptatibus imperat; alias odit, atque abigit; alias dispensat, & ad sanum modum dirigit; nec vnquam ad illas, propter illas venit: scit optimum esse modum cupidorum, non quantum velis, sed quantum debeas sumere.* Exemplum accipe. Crates, alios in foro ementes, alios vendentes contemplatus; illi, inquit, quod rem inter contrariam agunt, se beatos iudicant: at ego me, quod vtriusque tum emendi, tum vendendi, necessitate sum immunis. Quia quidquid ibi emebatur, & vendebatur, erat illi superfluum: quo ostendit, felicitatem non esse venalem.

II. Duabus rebus constat huius vitæ felicitas, Tolerantia, & Temperantia. Duo sunt poli tranquillitatis, quos expressit binis voculis Epictetus; sustine, abstine. Pacem non obtinet, nec gaudium retinet; nisi qui sustinet, & abstinet. Hæc sunt cardines quietis, & virtutis. Ut pacem obtineas, abstine; ut retineas, sustine. Recusando consequeris; excipiendo conseruas: recusando fortunæ crepundia; excipiendo flagella. Huius rei in se specimen exhibuit Diogenes: Cinxit pinu tempora, Isthmica cæremonia, velut sacrorum victor certaminum. Iussus ne illegitimè honorem vsurparet; respondit: se duos Antagonistas vicisse, voluptatem, & Dolorem: illam, quia abstinuit;

abstinuit:hunc,quia sustinuit. Hos binos, nobis capitales hostes, promptum cuique erit vincere,& triumphare, Tolerantiæ clypeo, Temperantiæ gladio. Duæ sunt machinæ, quibus fortuna omnes turbat, & omnia perturbat:vel quia dat,quæ nolumus:vel quia negat,quæ volumus. Resistis, si abstineas his, sustineas illa. Tota nostra miseria inuoluitur duobus verbis:peruersè,& inuersè nolle,& velle: quæ oporteret nos velle, nolumus:quæ nolle,volumus. Magna est pars felicitatis nostræ: imò tota nostra felicitas:scitè, & prudenter nolle, & velle. Quid expeditiùs homini, quàm nolle? quidquid non habes, potes nolle: sed nemo potest habere, quidquid vult habere.Cùm nolis, potens es in omnia:cùm vis,in nulla. Septemb.

III. O quantum ærarium est contra sortem subitam, hæc concisa cupiditas.Iucunda erit voluntas,si non sit mendica,securè per illam dives es: si quidem dives es,cùm vis, videlicet, cùm nihil vis: pauperem tunc facis fortunam.Quid maius optare potes,aut quando magis dives? Nihil in te habebit:nihil in se,quo tibi placere possit. Ditior eris Attalo, si Attalicam contemnas supellectilem:& dum vis,potes.Maior vis,quàm Midæ,voluntati tuæ est:non est opus contactu, in absentiâ plus valet. Siquidem, cùm vis nihil velle:habes omnia,etiam quæ non videris.Ex se fortuna leuis est: sed grauiores,sarcina sua clitellas habet,cupiditates humanas: sine quibus, nullum onus imponit nobis. Nihil nos onerat, nisi vota: quæ tamen mala plerumque insci,vnde onus veniat,multiplicamus,ut subleuemur. Quidam rusticus fatigatus arando,regressurus in villam:aratrum asello alligauit,insuper ipse ascendit: sed nimio grauatus onere, asellus progredi non potuit:tunc ille descendit,suisque imponens humeris aratrum, iterum ascendens,ad asellum ait:nunc procedere potes: non enim tu, sed ego aratrum fero. Non isto minus ridiculi sumus rustico. Curas, & cupiditates nostras,quæ nostrum obruunt gaudium,nouis curis, & votis tueri,& subleuare volumus. Nihil profectò aliud facimus,quàm integrum onus pristinum retinere,& pondera nobis noua imponere. Quamdiu toleramus cupiditates, sumus nobis intolerabiles, sine vllâ adhuc fortunæ grauitate. Excutiamus illa, exoneremur spe:tunc ipsam fortunam leuem experiemur. Temperabit excessum cupiditatis Temperantia,sine quâ,nunquam cupidus quiescet;quia:

Omnia des cupido:sua non perit inde cupido.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

12. DIES SEPTEMB.

Septemb.

Vera scientia consistit in duobus punctis, nimirùm; quod Deus sit omnia, & homo sit nihil? *S. Laurentius Iustinianus.*

Studiositas. I. PRæstabilior, quàm primâ fronte videtur, est hæc, quæ in honoratâ Temperantiæ turmâ, prima ordine procedit Virtus, vulgò dicta studiositas. Eius dignitatem, pronum erit assequi ex eius muneribus. Duo sunt autem illius munera: alterum excitare ad comparationem scientiæ: alterum frœnare, & temperare scientiæ cupiditatem. Primum igitur, acuit hominis industriam, excutitque torporem, quoad capessendam necessariarum rerum cognitionem præpeditur. Quis non ardeat, ut scientiâ polleat, si ubertimos, quos inde potest capere fructus, secum expendat? Quàm pulchrum, & iucundum fuit videre inter Græcos, Homerum; apud Hæbreos, Salomonem: Lycurgum, apud Lacedemonios: Prometheum, inter Ægyptios: Liuium inter Romanos, apud eosdem, Tullium: Apollonium, apud Indos; & Secundum, inter Assyrios. Quàm felices fuerunt Philosophi; quibus, bono fato nasci contigit illis temporibus, quibus tanta erat idiotarum copia, tanta literatorum penuria; ut ex diversis Regnis, & Regionibus remotissimis, ex nationibus peregrinis concurrerent homines, non modo ad audiendam doctrinam Philosophorum, sed adipsos etiam videndos.

II. D. Hieronymus dicit tempore, quo Roma florebat maximè, Liuium, Decades suas scripsisse: tamen de ultimis Hispaniæ, Galliarumque
l. 2. Epist. 2. finibus, quosdam venisse nobiles, ad videndum Liuium: & quos, ad contemplationem sui Roma, & Capitolij magnificentia nõ traxerat: unius hominis famam, colloquiumque perduxisse. Salustius ait glorioſum esse res illustres gerere: sed non minus arduum, ita res ab alijs gestas scribere: ut facta, dictis exequantur. Quis Alexandrum Magnum nouisset, nisi de eo scripsisset Curtius? Quis esset vlysses, nisi Homerum præconem habuisset? Quis Alcybiades, nisi Thucydides eum extulisset? Quis Cyrus, nisi Xenophon monumentis suis, res gestas illius conservasset? Quis Scipio Africanus, si absque Decadibus foret Liuij? Quis Traianus, nisi intimus illi amicus fuisset Plutarchus ille nobilis? Quid de magnanimis facinoribus Iulij Cæsaris

Digitized by Google

Cæsaris? quid de rebus gestis Pompei Magni sciremus, nisi Lucanus illa celebrasset? Itaque, scientiæ beneficio homines fiunt non tantùm multis noti, sed apud plurimos clari. Hinc præclarè de Historiarum scientiâ Nicephorus: *Historia, liber viventium, & tuba, quâ excitati mortui, in medium producuntur.* Ideò appositè dicit Plinius: *Beatos puto, quibus, Deorum munere datum est; aut facere scribenda, aut scribere legenda: beatissimos verò quibus utrumque* Imò Cicero, in Laudem Poëtios dicit. *Nullius agricolæ cultu, stirps tam diuturna, quàm Poetæ versu seminari potest.* Septemb. Init. Histor. 6. Epist. 16.

III. Vnum porrò est deplorandum: plurimos esse in terris Virtutis Doctores, pauciſſimos eiusdem sectatores: Adstipulatur mihi Valla: *Plures sunt iam Doctores, quàm docti.* Phavorinus Philosopus Anthonij Gellij Magister dicere solebat: Ideò Philosophos priscos summâ in auctoritate fuisse; quod pauciſſimi essent Magistri, plurimi discipuli. Hodie è contra, qui magistrorum cathedras invadunt, penè infiniti sunt: qui verò se dimittere ad discipulorum subsellia sustineant, rariſſimi. Tametsi studiositas, de quâ hic sermo, præcipuè se occupat in cohibendo nimio sciendi desiderio: ne hoc naturale pondus, animum deprimat ultra rectum, abripiatque ad eorum cognitionem, quæ homini consentanea non sit. Una est scientia, quæ inter omnes tenet principatum: & ideò, ut eâ polleamus, meretur omnem nostrum conatum: quam tradit hodierna tessera: scire Deum esse omnia; & hominem esse nihil, est in Christi Academia, & Spiritus sancti gymnasio altiſſima Philosophia: imò præstantiſſima Theologia. Utinam illius scientiæ capessendæ tantus esset ardor: quantus, ut profanam caperet, fuit in Diogene: qui profectus Athenas ad Antisthenem, ut ab eo doceretur: cum ab eo sæpè repelleretur, non destitit tamen ei inhærere; adeò, ut cùm ei aliquando baculum intentaret Antisthenes, ultro baculo caput subiecit, dicens: *cæde, si vis, at nullum invenies baculum tam durum, quo me abs te abigas, dum aliquid docueris.* Par sit tibi ardor illius, quàm præfata tradit tessera, intelligendæ scientiæ: eam si fueris doctus, meritò tunc dixero cum Poëta:

Plus probo thesaurum docti, quàm divitis aurum.

Digitized by Google

Septemb.

13. DIES SEPTEMB.

Qui cibis abstinent, & mala agunt, dæmones imitantur; quibus culpa adest, & cibus abest? *Isidorus super Amos Prophet.*

Abstinentia.

I. ABstinere à laude Abstinentiæ, crimen esset Iniustitiæ; utpote, quæ iure merito est laudanda, cùm de se bene meritos reddat laubabiles. Quid studes saginæ? Angeli te expectant ad cœnam magnam in cælis; quid te ingurgitas cùm pecudibus in terris? Qui ad opiparum invitatus est epulum: domi non farciet ingestis cibis stomachum. Invitatus es à magno illo Rege; qui disposuit tibi mensam, ad manducandum cæleste manna, in quo est omne delectamentum; quid te abijcis cum prodigo ad siliquas porcorum? Est fæx vitarum, hæc vita, & remotissima ab animâ rationis participe; quantò magis à spiritu Dei compote. Prima lex, quam Deus unquam tulit, fuit abstinentiæ; ut per eam servaretur donum Innocentiæ. Tunc demùm, Adam exutus est veste nuptiali originalis Iustitiæ; dum violavit legem Abstinentiæ. Quid Deo, & ventri? Quomodo Deus charum habebit eum, cui Deus venter est charus? Quomodo Divina Veritas in eo habitabit, qui amentissimus Idololatra est? Extrema fuit olim insania hominum; inclinare genu ijs, quæ facta fuerant ab hominibus. Quæ ergò, & hæc insania est; te inclinare non genu, sed cor his, qui destruuntur, & te destruent saporibus & cibis?

II. Quomodo cum Deo epulaberis? quomodo vitam cælestemages, & volabis cum Deo super pennas ventorum, ad vitam immortalem, si gaudes earum rerum vitâ, quæ hærent terræ, & fixæ sunt radicibus suis solo, atque adeò semisepulta? Nullius est vita magis mortalis; quàm eorum, qui ventrem sabvrrant ingestis, & indigestis ferculis: Quid enim, aliud est illorum stomachus; quàm mortuorum animalium tumulus? Illi igitur, ventricolæ, augent suam mortalitatem; impinguando, quod in se est mortale, corpus, & corporis membra; extenuando, quod in illis est immortale, Animum, & Animi facul-

facultates. Adam, violato ieiunio, statim factus est mortalis: tu quotidie fis mortalior, dum saginaris mortibus, & avidè aleris mortuis altilibus. Non vivis, ut comedas; sed vivis, ut moriaris; & comedis, ne cito moriaris: celerius mors venit nimio, & exquisito cibo; cibus sit tibi vitæ pharmacum, non mortis toxicum. Hinc catè egit Pythiniculus Vasco: is peregre iter faciens, cùm ad meritoriam tabernam veniſſet, & appoſita eſſet cœna, omni ex parte olitoria, cum vino dilutiſſimo, omniaque adminiſtrarentur quàm parciſſimè; finitâ cœnâ, iuſſit ad ſe vocari Medicum, ad mercedem capiendam: Igitur caupo cum reſpondiſſet; ecquid, malum, in viculo maximè agreſti Medicum requiris? Ibi ille: Num, o bone, teipſum ignoras? quo ſit igitur merces operæ ſuæ par: Medici pretium accipe, non cauponis. Senſit frugalitatem, optimam hominis eſſe medicinam. Septemb.

III. Pertiſſimi Medici, pharmacum cuivis morbo inediam porrigi iubent: nam oppletio, metropolis eſt morborum, & præcipuus mortis fatelles. Rarò eſt ſanitas mentis, ubi eſt ſaturitas ventris. Exiguo in victu, exigua eſt voluptas, id eſt, malitia. Iſtud tamen eſt obſervandum in Abſtinentiâ; ut ea ſit non tantum ciborum, ſed vitiorum. Parùm edere, & malè agere, eſt actum agere; imò, eſt dæmonem exprimere: quibus licet abſit eſca, adeſt culpa. Minor tamen erit vitiorum copia; ubi eſt maior inopia ciborum. Quod ne gratis videar dixiſſe, confirmat hactenus dicta Chryſologus: *Eſt ieiunium, vitiorum mors, vita virtutum: ieiunium, pax corporis, membrorum decus, ornamentum vitæ: eſt ieiunium, robur mentium, vigor animorum: eſt ieiunium, caſtitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, civitas ſanctitatis.* Cui, & ſubſcribit D. Ambroſius: *Abſtinentiam indicamus corpori, ut à vitijs magis animum abſtinere poſſimus. Frænum enim quoddam eſt luxuriantis Animæ, corpus exhauſtum. Quiſquis enim ieiunat, & peccat: lucrum eſſarum feciſſe videtur, non ſalutis: & parcendo, copijs repleſſe cellarium, non mentem ſaginaſſe virtutibus. Hoc eſt ſalutare ieiunium, ut ſicut abſtinet corpus ab epulis: ita & anima refrænetur à vitijs.* Obſigno hactenus dicta, vſitato Poëmatis penſo: Serm. 8. Serm. 38.

Hic bene ieiunat: qui ſe de crimine nudat.

Digitized by Google

14. DIES SEPTEMB.

Septemb. **Vinum cum mensura emitur, & sine mensura bibitur?**
Chrysologus serm 174.

Sobrietas. I. Sicut abstinentia in victu, sic sobrietas est Temperantia in potu. Sit licet sobrietas amans ieiunij, non tamen ieiunè laudanda est, vbi enim sobrietas, illic non modo corporis, sed & animi, est incolumitas. Quapropter si velitis, & in hac vita iucunde, & in altera semper viuere beatè,

1. Petr. 5. *Sobrij estote, & vigilate.* Nullus est minis sui iuris, & liber, quam cui veluti frater, est Liber pater. Quid enim seruilius illis, *quorum* (teste Clemente Alexandrino qui inclementer temulentos exagitat) *vita nihil est aliud quam*

l. 2. paedag. c. 2. *comessatio, crapula, balnea, temetum, matula, otium, potus. Videre ergo licet aliquos eorum semi mortuos, cespitantes, in collis coronas habentes, non secus ac amphoras, inter se inuicem sub benevolentiæ nomine fundentes merum. Alios autem plenos crapula, sordidatos, in vultu pallentes, & luridos, & hesternæ temulentiæ adhuc aliam infundentes temulentiam.* Pergit deinde castigare nunquam satis castigandum hoc vitium. *Vino immodico lingua quidem prepeditur, labra vero soluuntur, oculi autem detorquentur, ac diuertuntur, cum præhumiditatis multitudine visus, tanquam in piscina natitet, & mentiri coacti, existimant omnia in orbem ferri, numerare autem non possunt, quæ procul sunt, tanquam sint vnica.*

II. Ex penu sapientiæ deprompsit, quod dicebat Anacharsis: Vitem tres ferre botros: primum voluptatis, secundum ebrietatis, tertium molestiæ, sentiens paruum vini vsum esse iucundum, qui sedat sitim, largiorem gignere temulentiam: largissimum parere rixas, cædes, morbos. Homo vinolentus, plerumque est & somnolentus, & ideo in Dei obsequio lentus: quin, & idcirco necaptus qui rapiat Regnum cælorum; illud enim soli rapiunt violenti, non vinolenti. Imo qui liberales sunt vt bibant vina, inepti sunt vt tractent arma. Hinc Piscennius militibus vinum ab eo petentibus: Nilum habetis, inquit, & vinum petitis? Dixit autem vinolentiam, militibus ut pestem fugiendam qui tum demum ad res præclarè gerendas promptissimi sunt, cum ratio mero non peruertitur. Idem Romanis à Saracenis victis, dicentibusque: vinum non accepimus, pugnare non possumus: idem inquit: Erubescite, nam qui nos vincunt, nil aliud quam aquam bibunt. Sic vino sæpe amittitur palma, quæ acquiritur aquâ. Non crescit laurea

laurea inter vites, sed inter enses. Liuius refert Galliæ transalpinæ incolas, cum audissent Italos vineta plantasse, expeditionem Italicam susceperunt. Quod si nullas tunc Italia vineas habuisset, nec regio tam amœna fuisset deuastata. Quapropter veteres Romani, quâ erant in rebus omnibus prouidentia, cum vinum exitio sibi esse animaduerterent, Senatus consulto, vites toto imperio tolli, & extirpari iusserunt. Accidit autem mirum quiddam, quod finito bello, nullus in tota Italia Gallus manserit, cum vineas in ea nullas esse innotuisset. Septemb.

III. Fredericus Imperator, studiosissimus Temperantiæ, ac sobrietatis cultor fuit. Is cum audisset Leonoram vxorem (quæ paterna in domo nunquam vinum gustauerat) facilè filios genituram, si in Germania, tam frigida regione, vinum biberet; respondit; malle se sterilem vxorem habere, quam vinosam. Sed iam proscripta publica illa Reipub. peste temulentiâ, oculos coniiciamus, & animos convertamus ad Sobrietem: cuius præclarus est buccinator primus Ecclesiæ Doctor S. Augustinus. *Sobrietas*, inquit, *est recti iudicij tenax, memoriæ, recordationisq; inseparabilis sapientia, secretorum custos, arcani velamen, lectionum, & doctrinæ capax, studiorum, & artium bonarum disciplina, pariter, & magistra ingeniorum, & capiendorum pedissequa, bonæ famæ semper auida, salubria, atque vtilia creans, virtutis singulare auxilium cuncta cum ratione disponens, in congregatione honestorum semper se ingerens.* Quantum chaos inter Ebriositatem, & Sobrietatem: maius quam inter aquam, & vinum. Sed ne vinum tibi sit ad ruinam, sicut illud emis, sic & bibas ad mensuram. Si enim bibas sine mensura, quid sequetur quam ut mens careat rationis usura? atque ita quod vnum in te habes cæleste, & Divinum, perdes per vinum: propter vites, grauissimæ sunt inter carnem, & spiritum lites. Ne te vinum reddat fatuum, hoc æternitati inscribo effatum.

Sepe nocent vitæ fœcundo palmite vites.

15. DIES SEPTEMB.

Inter omnia certamina Christianorum, duriora sunt prælia castitatis, nam ibi continua pugna, & rarior victoria? *S. Aug. ser. 250. de Temp.*

I. IN cella proma Christianæ perfectionis, nescio an vlla sit præstabilior, quam animi, & corporis Castimonia, quam iam inde ab initio Castitas.

Septemb. mundi, totus mundus, ut virtutem quam raram, tam præclaram suspexit, & prope dicam, adorauit. Vocat eam Cyprianus, *funus humanæ substantiæ.* Quia non minus quam mortuus, debet homo castus, omni ad huius vitæ delicias sensu carere. A Climaco appellatur, *Excessiua naturæ abnegatio.* Quia per inferioris hominis mortem, opprimit & suffocat maximum naturæ appetitum. Liberata itaque prauis affectionibus anima, mortuum, quo ad illarum sensum, corpus relinquit: & quædam est mors ante mortem. Sicuti porro olim apud Romanos Consules, Imperatores, & ipsi quoque triumphali pompa vrbem intrantes, si occurrisset virgo vestalis, de via decedebant, sic virtutes aliæ omnes, vni pudicitiæ honoris causa, deferre videntur. Hinc sapientes illi qui nomina rebus imposuerunt, castos appellauere *cælibes* quasi cælites, & cælestes, quod vitam in terris imitentur cælestium. SS. Patres, natales Castimoniæ è cœlo ducunt, & ab essentia Diui-

De virg. næ mentis, unde oceanus puritatis ebullit. *Prima Trias virgo est*, ut canit Gregorius Nazian. Et D. Ambrosius. *Virginitas è cælo accersiuit, quod imitaretur in terris; hæc nubes, aera, Angelos, sidera q; transcendens. Verbum Dei in ipso sinu patris inuenit.*

l. 1. de virg.

II. Sed post lucem Euangelij mundo illatam ubi Iesus, cum sua Matre Castimoniæ signum extulit, vix dici potest quanto ardore voluntatum, sit concursus omnium ordinum factus, ad thesaurum hunc inæstimabilem quærendum, & celebrandum. Hic & auctor, sic & amator est castitatis: hic pudicitiæ amorem inspirat: hic sancit in virginibus incorruptionem, Divinæ mentis propriam: viduis continentiam: sacris hominibus iugem corporis, & animi castimoniam imponit. Denique ad hoc vexillum à Christo sublatum pueri, & puellæ, & infiniti prope homines omnium ordinum accurrerunt. Interim cum tanta illius virtutis sit præstantia, idcirco Dæmonis hoc totum est studium, nostrum vt carnem contaminet, cuius impia contagione anima ipsa maculetur. Ille in hoc vehementer e-

Serm. 11. laborat, ut vtar verbis S. Chrysologi, *ut corpus animi domicilium, anima vas, murum spiritus, virtutum scholam, Dei templum, in scenam criminum, in vitiorum pompam, voluptatum redigat in theatrum.* Quapropter hominem in hac carnis imbecillitate videre castum, & in acerrima illa pugna, qua bellatrix caro spiritui mortem, aut seruitutem denuntiat, triumphare castitatem, placidoque imperio sui perfrui, hoc non modo est mirandum, sed inaudito prodigio simillimum.

III. Inter omnia igitur prælia quæ Deo deuoti milites præliantur, nullum est difficilius quam quod geritur pro Castitate; quia cum aduersus illam perpetuum est certamen, pro illa continuum quoque est discrimen.

Hoc

Hoc intellexit D. Hieronymus, cum diceret, *grandis esse virtutis, & solicitæ diligentiæ in carne non carnaliter viuere, secum pugnare quotidie, & inclusum hostem. Argi, vt fabulæ ferant, centum oculis obseruare.* Debent ergo, casti esse ut animalia illa Apocalyptica, quæ erant plena oculorum ante, & retro. Debent habere oculos in manibus, ut videant, quod attingant, in pedibus, ut videant, quo ingrediantur: in lingua, ut videant quid loquantur; in tergore, ut prouideant periculis; in Intellectu, ut videant quid cogitent; in corde, ut videant quid desiderent; denique debent habere oculos in ipsis oculis, ut videant, quid videant, ne oculi retorqueantur ad illicita. Tertullianus comparat castum cum funambulo, qui tenuissimum funem, pendente vestigio ingreditur: Carnem spiritu librans, animum fide moderãs, oculum metu temperans, ne qua illata carnis vacillatio, animi auocatio, oculi euagatio, de tenore decusserit: Fallitur omnino, qui absque solicita diligentia, & quotidiana cura, se putat posse in hoc tanto, tam perpetuo, & domestico periculo esse victorem. Neque vero est, quod aliquis, velut multarum palmarum gladiator, satis se fortem esse putet, ad tentationes magno animo superandas. In hoc gerere præliandi, nulla est lorica impenetrabilis, nullus tam aheneus, aut adamantinus, qui non subrui, & euerti queat. Suadeo igitur illud.

Despice fœtorem Veneris, sectare pudorem.

Septemb. *Ep. 10. ad Furiam.* *De pud. c. 10.*

16. DIES SEPTEMB.

Custos virtutum omnium, dedecus fugiens, & laudem maximam consequens, verecundia est?

Cicero. de oratore.

I. VErecundia, Pudicitiæ seu ut parentis filia, seu ut Dominæ pedisse qua, inter virtutes, non est virtutum vltima. Est enim virtutum omnium, ut Custos, sic & Comes. Et quia Euro citius fugit dedecus, illam insequitur gloria, & illam sequentem, assequitur verecundia. Exornat eam maximis laudibus, Valerius maximus, ita scribens: *Verecundia parens est omnis honesti consilij, tutela solennium officiorum, magistra innocentiæ, clara proximus, accepta alienis, omni tempore fauorem præse ferens vultum.* Et merito verecundia omnium oculis offert vultum suum spectandum, quia in eo maxime est spectabilis: in eoque residet velut in sua Regia, dum illam exornat

Verecundia. *l. 4. c. 3.*

Digitized by Google

Septemb. sua purpura. Hinc Pythias Aristotelis filia, interrogata, quis color esset pulcherrimus? Respondit: qui per verecundiam ingenuis oboritur. Idem est & iudicium Senecæ. *Bonum in adolescente signum est, cum illi ex alto rubor*
Epist. 11. *suffunditur: magis iuuenibus apparet: quibus, & plus caloris est, & tenera frons.* Hinc teste Macrobio: *Togâ prætextâ vtebantur pueri, ut ex purpura rubore, ingenuitatis*
1. *Sat.* 6. *rubore tegerentur.* Et certe neque diadema in capite, neque caput in humeris, neque bulla in pectore, neque sceptrum in manibus, maiorem Regi conciliat gloriam, quam iuueni imitans suo ostro in vultu Pudicitia.

II. Vin præmium verecundiæ in puero? Cum Verus & Manilius consules Romæ ab Geluio Pertinace Imperatore, petiissent, ut inter ministros recipere dignaretur duos suos filios, quorum maior natu nondum duodecimum annum excesserat; cumque Imperator hoc eis beneficium tribuisset, & patres, illos in conspectu Imperatoris produxissent, binas ambo habuere orationes, Græcam, & latinam, quæ summæ Imperatori fuere delectationi, cæteris admirationi. Cum ergo perorarent, coram Imperatore, alter illorum, oculos in Imperatorem inconniuenter defixos tenuit, vt nunquam eos deiiceret; alter humi deiectos habuit, ut nunquam illos attolleret. Ita placuit Imperatori huius verecundia, ut eum non tantum mensæ suæ ministrare, sed (qui summus erat honor) in cubiculum suum ingredi voluerit. Alterum autem puerum, illius sodalem, patri reddidit, si verecundior fuisset, se quoque illum recepturum affirmans. Quam bene
in Bacchid. ergo Plautus. *Ego illum periisse duco, cui quidem perit pudor.* Et profecto, quid prodest pueros esse facie venustâ, corpore exacto, ingenio acuto, cuticulâ candidâ, cæsarie flauâ, memoriâ fœcundâ, si cum tantis naturæ dotibus, hinc præfidentia in actionibus, inde impudentia in oratione coniungantur. Quod est gemma in annulo aureo, hoc est verecundia, in puero ingenuo. Plusque illum commendabit pudica ingenuitas, quam præcellens ingenium. optandum de quolibet adolescente dici possit illud Plinij. *Tan-*
Panegyr. *tum est sanguinis in ore, quantum in animo pudoris.*

III. Poëtæ roseas bigas attribuunt Auroræ, quod existimarent, oriente Aurorâ, cœlum copiam rosarum impluere. Pię animæ geminis bigis, cœlum petunt, & peruehuntur ad Deum, Pudicitiâ, & Verecundiâ: has bigas non dubito, roseas nuncupare, quod quocunque animum circumtulerint, subito rosarum corollas amænitate summâ videre est, & pancarpias florum varias enasci, ad honorandam modestiam animi casti, quem pudor condecoret. Pudoris autem sedes augusta in vultu est, quod vel inde liquet, quod naturæ instinctu, qui erubescunt, & verecundantur, manu vultum inumbrare solent. Sic enim videmus à Natura diuinitus prouisum fuisse,

Digitized by Google

fuisse, vt cum hominis partes omnes, vt plurimum velamentis operiantur, ipsa facies nuda per se, & in aperto collocata, à verecundia purpureum integumentum accipiat, quod pudentis, & regij animi est paludamentum, sed quod de vultu dictum est generatim, de genis maximè intelligi debet, quod verecundiæ proprium est diuersorium, si Plinio credimus. *Gena*, inquit, *pudoris sedes: ibi maxime ostenditur rubor.* Hinc Socrates hortabatur iuuenes, ut hæc tria haberent: in animo prudentiam, in lingua silentium, in vultu verecundiam. Hæc tria consecutum fuisse decora Satyrum, describit eius frater D. Ambrosius, in hunc modum. *In cœtu virorum rarus attollere os, eleuare oculos, referre sermonem.* Adeo verecundiæ partes omnes expleuerat, numeros absoluerat. Apud Lacedemonios Pædagogi adolescentium, ad omnem verecundiam eos instituebant: manus intra pallium continere, demissos habere oculos, pauca loqui, adeo ut dicere non vereatur Xenophon, *Verecundia maiori fuisse, quam in thalamis Virgines.* Sed verecundatur suis laudibus Verecundia, iubetque me, ad alias virtutes digredi: quare ne perfundam illam rubore, finio cum hoc elogio ruboris.

Septemb.

l. 11. c. 31.

In rep. lacc. 1.

Virtutum florem perdis, perdendo ruborem.

17. DIES SEPTEMB.

Conservare humanitatem, quid aliud est, quam diligere hominem, quia homo sit, & idem quod nos sumus? *Lactantius l. 6. c. 11.*

Humanitas.

I. INter virtutes præterire Humanitatem; summa foret inhumanitas! cum nihil tam sit proprium homini, quam Humanitas. Hoc nos docet ipsa hominis etymologia ex D. Ambrosio hausta. *Considera o homo, unde nomen sumpseris: ab humo utique, quæ nihil cuiquam eripit, sed omnia largitur omnibus, & diversos in usum omnium animantium fructus ministrat. Inde appellata Humanitas, specialis, & domestica virtus hominis, qua consortem adiuvet.* Proprium humanitatis, pati alienos, uti nævos in vultibus, ita & in moribus. Docet ipsa Societatis humanæ necessitas, omnibus etiam pugnantibus genijs, urbaniter convivere, pati mores, quos immutare, ita nec evitare possumus.

3. Offic. c. 3.

Septemb.

possumus. Debet itaque vir humanus, instar aëris, ex occasione contrahi, dilatari, loco cedere, vacuum implere, cuilibet quantitati vel figuræ commensurari, ne mundi civilis unitas, & compago, solutione continui dispereat. Hoc ingenium versatile, non humana tantum prudentia, sed naturæ lex commendat. Quid enim æquiùs, quam eorum onera portare, qui vicissim nostra patiantur? personarum, ut rerum, non minus incommoda, quam commoda patiri? earumque duras conditiones, si beneficium accipimus, obsequio, si conferimus, geminâ gratiâ tolerare?

Plutarc. in apoph.

II. Vide in Ethnico Christianam Humanitatem. Hydricus cum quendam conjecisset in carcerem, Agesilaus humaniter pro captivo veniam deprecatus est, hunc in modum scribens: si nihil peccavit, oro ut hominem dimittas! si peccavit mihi dimitte; sed omnino dimitte. Innocentem punire, scelus est, culpam interdùm condonare, in gratiam honesti deprecatoris, humanitas est. Ut impendio malignus sit, qui fontem parentem obtegat, aut solem obradiantem prohibeat, aut lumen recuset de suo lumine accendere, aut viam erranti; monstrare gravetur: ita vehementer sit inhumanus, qui prodesse nolit, citra nullum sui incommodum. Præclare ad rem nostram D. Gregorius Nazianzenus. *Omnis qui navigat, naufragio est proximus, & tanto plus, quanto navigat audaciùs, ac omnis qui corpore est circumdatus, proximus est corporis malis, quanto elatius pertransit, & ante se ascendentem non respicit. Quamdui vento navigas secundo, manum naufrago præbe*, Quamdiu recte vales. & dives es, afflicto succurre: me expecta donec ex te ipso discas, quantum malum sit inhumanitas, & quantum bonum viscera aperire indigentibus. Ubicunque ergo se offert proximi calamitas, illic materiam se prodendi habet Humanitas.

In orat. de pauper.

III. Inhumanitatem te dedocebunt, & docebunt humanitatem, in quibus nihil est hominis, bruta animantia, & immites belluæ. Marinus apud Ariminum, vitam solitariam duxit, Cum vero aliquando cellam suam versus ab urbe Româ rediret, asellum quo in via utebatur, ursus terribilis invadens, peremit. Ille ursum tenuit, & ut asini vices subiens, ad cellam usque se deferret, jussit, subito silvestrem exuens animum immanis bestia, dorsum homini præbuit, cuius asello non pepercerat: diceres humanitatis eius conscientiâ: quoniam illa amissi jumenti jacturam passus; in auctorem damni non exarduit, neque indignatus est, sed tantum servitio eius usus, quo probaret posset se pœnas ab ipso exigere, si vellet, cuius dorso potuit tam imperiose insidere. Quid mirum, si cum feræ rationis expertes humanitatis obsequia præstiterint, Ethnici in cæca illa errorum caligine, non adeo excutierint, quin viderint, homini esse laudabile, præbere se omnibus

nibus humanum. Hinc Princeps eloquentiæ, *Nihil est tam regium, tam liberale, tamque munificum quam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis homines.* Nullæ essent urbes, si nulla esset urbanitas: nec viverent homines more hominum, si nulla esset humanitas; nec ullus in via peregrinus, haberet, quî se sociaret comitem, si nulla esset comitas. Nihil denique habet in se hominis, præter figuram corporis, in quo nulla est humanitas. Vis esse omnibus acceptus? plus dones, quam accipias. Vis omnibus esse gratus, confer omnibus gratiam. Vis frui pace? abstine a lite. Si vis placeant tua munera, da lætus, non mæstus. Vin causam? attende Poëtam. S. ptemb. *Cicero de orat.*

Si desplorando, perdis tua munera dando.

18. DIES SEPTEMB.

Memento peregisse te aliquid, restare aliquid; divertisse te ad refectionem, non ad defectionem? *S. Augustinus in Psal. 34.*

HAbet cum humanitate Urbanitas non tantum commercium, sed contubernium. Eius lineamenta expressit Aristoteles. *In iucunditate quæ ad iocum accomodatur, qui modum quendam adhibet, ut festivus, seu urbanus habendus est: & affectio, Vrbanitas, & festivitas: at quæ modum egreditur, scurrilitas, & in quo ipsa inest, scurra dicitur: qui vero omnino a iocis abhorret, ut agrestis, & rusticus: affectio ista, rusticitas dicitur,* Danda est igitur aliqua virtus, quæ exhilarationi animi modum ponat, & hoc vocatur Urbanitas, seu Eutropelia, quæ omnem plane honestam animi, velut arcus contenti remissionem, complectitur. Itaque moderata aliqua remissio, & fessi recreatio, ut vegetior postmodum quis laborem resumat, opus est virtutis: dummodo opus illud, ex quo remissio illa captatur, honestum sit, omnesque extrinsecæ circumstantiæ fœdantes submoveantur. Hippocrates non dubitavit dicere, perfunctionem operis continuam, esse morbi quoddam genus, illiusque medicinam esse laboris vacuitatem, & cessationem. Pindarus item, lætitiam, animique relaxationem nominabat, *optimum laborum medicum.* Istud indubitatum est, frequentiâ occupationum, multitudine negotiorum, assiduitate laborum ingenij vim exhauriri, rerum variarum tractatione, hominem viribus destitui, continuâ animi contentione frangi, ac ingenij nervos debilitari. Vrbanitas sine Eutropelia. *l. 2. Eth. c. 7.* *l. de Flat.* *Oda. 4 Non.*

Septemb. II. Ne tamen ludas ludos insolentes; observa illud Cassiodori: *sit pro repub. & cum ludere videmur; nam ideo voluptuosa quærimus, ut per ipsa, seria*
l. 1 Epist. 45. *compleamus.* Imo non tantum dum ludis sit pro repub, sed quo debes omnia referre, pro Dei gloria. Et iuxta normam tesseræ, non sit corporis refectio, defectio animi. Sic relaxa animum, ut non noceas animæ. Inambulatio loco amœno, & aperto probatur Nazianzeno, ipsique fuit familiaris. Purpulchrè item Minutius Felix, suam cum amicis relaxationem in
In octa. maris litore describit, inambulando, ut ait, litori, datum a se tempus referens, & aura aspirans leniter membra vegetaret, & cum eximia voluptate, molli vestigio cedens, arena subsideret. Addit delectationem ex errore cunctarum plantarum, cum æquor nunc appulsum pedibus allideret fluctus, nunc relabens, ac vestigia retrahens in se sorberet. Proderit, & ad honestam animi relaxationē, conspectus rusticæ amœnitatis. Adstipulatur mi-
Hom. 36 in mat. hi D. Chrys. *Cum recreare animum volueris, poteris hortos petere, fluentes rivos cōspicere, ingētes lacus cōsiderare amœna cernere loca, cicadas audire canentes.* Garritus item avium, & modulatio, quæ veluti naturali musica & artificiosissimo citra artem concentu, in successu rusticano dulcissime pascit, & recreat audientium sensus: & captatur à plerisque concludentibus aviario in eum finem canoras aves; psittacos inquam, picas, corvos, sturnos.

III. Recreaberis non modo audiendo, sed & legendo, avium diver-
l. 2 Epist. 1. sos concentus calamo expressos Sidonij, in villæ svæ delineatione. *Quam volupe est auribus insonare cicadas meridie concrepantes, ranas crepusculo incumbente blaterantes, cygnos, atque anseres concubia nocte clangentes, intempesta gallos gallinaceos concinentes, oscines corvos voce triplicata puniceam surgentis aurorae facem consalutantes: diliculo autem philomelam, inter frutices sibilantem*; Cui concentui libebit adiungas, *fistola septifora armentalem camœnam, quam sæpe nocturnis carminum certaminibus, insomnes nostrorum montium Tityri exercent, inter greges tunibulatos, per depasta buceta, reboantes.* Prosunt & ad animum remittendum facetiæ, sales, lepores, argutiæ, modo intra gyrum honesti contineantur. Sic Stratonicus, quodam imperite iaculante, abiens, ad ipsum scopum, constitit. Et cum quidam interrogaret causam, respondit. Ne me feriat. Item Domitius Ater, cuidam oratori malo, qui in epilogo misericordiam se movisse putabat, postquam assedit, roganti videretur ne satis movisse misericordiam. At magnam quidem, inquit, neminem enim puto tam durum, cui non oratio tua miseranda visa sit. Similia arguta responsa, & dicta velut cote quadam, ut acuunt ingenium, sic reficiunt animum. His accedunt varia lusuum genera, quos inter ne admittas aleam, vel tesseram, admonebit te hodiernæ diei tessera. Quod si quis ab illis abhorrentem car-

pat,

pat, repone illud Xenophanis, quam cum Lasus Hermonienſis, per contumeliam, timidum appellaret, quod ludere teſſeris, cum eo nollet: Fatebatur ille, & aiebat, *ſe timidum ſemper fuiſſe ad res inhoneſtas.* O ſecurum timorem; timere timenda. Ut ludo ponas modum, ingemina tibi ſæpius hoc metrum. Septemb.

Raro doctus erit, qui ſemper ludere quærit.

19. DIES SEPTEMB.

Philoſophus auditur, dum videtur? *Tertullianus de Pſal. c. ultimo.*

NOn ſtatuarius ego ſum, ait Pindarus, *ut immobilia ſimulacra componam.* Callet ſi quis ſtatuarij artem, peritiſſima morum excultrix Modeſtia, ut hominem fingat, tanquam animatam quandam ſtatuam ad decori excellentem ſpeciem, muneris ſui abſolutam, quæ oculos aliorum teneat, atque in ſui admirationem rapiat. Gratus ille, decoruſque membrorum omnium habitus, epigrammate ſtatuarum, & præconio omni vocalior, in auribus, oculiſque intuentium reſonabit, & exponet pulcherrimi animi virtutem, ac præſtantiam, è brevi, ſed polito, & rotundo Tertulliani dicto, quod tibi putes dictum. *Auditur Philoſophus, dum videtur.* Muto verbum & dico, Auditur Chriſtianus, dum videtur. Quia ſi teſte Tullio, frons, oculi, vultus, perſæpe mentiuntur: eadem ſi ſint ad amuſſim & leges modeſtiæ concinnata, ad virtutis illius imitationem nos adhortantur. Decora igitur totius corporis compoſitio, eſt tacita ad modeſtiam obſervandam concio. Monet nos Apoſtolus, *Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.* Quid ſunt veſtra corpora, niſi animata quædam Chriſti, cuius corpus toties ſumitis, ciboria, & Dei incarnati ſpirantia tabernacula? Hoc ſi ita eſt, videte qualia debeant eſſe corpora veſtra. Nemo corpus ſacratiſſimum Chriſti claudit, aut portat in vaſe fictili, ligneo calice, teſtacea olla, argillaceo poculo: ſed ſi quid in terræ viſceribus rutilet argẽti, ſi quid in Pervano ſolo fulgeat auri, ſi quæ in Erijthræo mari niteat margarita, hoc totum eruitur, & congeritur, ut adornentur pyxides illę, quibus Chriſti corpus clauditur. Modeſtia. *Ode. 5. Ne.* 1. *Corint. 6.*

II. Hoc ſi ita eſt, quam debent corpora illa eſſe exculta, quam pretioſa, quam ornata, quæ ipſum portant, cœli, terræque maximum ornamentum? Tradite itaque corpora veſtra manibus artificis modeſtiæ. Illa ſic finget omnia membra, ſic artus concinnabit, ita veſtes componet, ita

Septemb. greſſus diriget, ita corpus totum formabit, ut digniſſimum ſit quo Deus ponetur. Paulus hoc modeſtiæ decus voluit omnium oculis eſſe conſpicuum dicens. *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus.* Quaſi dicat. Lateat veſtra

Philip.4.5. ſcientia, non pateat prudentia, ignota ſit Manſuetudo, abſcondita fortitudo, occulta Temperantia; perinde eſt, ſed Modeſtia lateat nullũ pateat omnibus, nota ſit univerſis. Nota ſit dum loquimini, in lingua; dum ſpectatis, in oculis; dum operamini, in manibus; dum incedditis, in pedibus; dum converſamini, in moribus. Ut ergo ſitis noti, Modeſtia ſit nota: & quidem omnibus hominibus, quia in vos omnium oculi convertuntur; ſit ergo nota Ethnicis, & inſpecta veſtra Modeſtia, agnoſcant Deum verum: Hæreticis, ut ad fidem convertantur; Catholicis, ut in fide confirmentur; ſit nota impijs ut ad pietatem; impudicis, ut ad Caſtimoniam, ebrioſis, ut ad Temperantiam, auaris, ut ad Liberalitatem, iracundis, ut ad Manſuetudinem, intuitu veſtræ modeſtiæ accendantur. Homines inſignibus ſuis noſcuntur. Itaque pingunt Vulcanum cum malleo, Apollinem cum plectro, Neptunum cum fuſcina, cum ſacculo Mercurium, cum ceſto Venerem, cum gorgone Mineruam; proprium omnium Chriſtianorum inſigne, eſt, Modeſtia inſignis.

III. Inter uberrimos porro fructus Modeſtiæ, primus eſt, quod occurſu ſuo vitia ſuffundat; virtutes commendet. Nam ut bene D. Hieronymus Philoſophus, ait, *Licet ſermone taceant, habitu, & geſtu loqui.* Unde, ut

l.2.in Ion. monet noſtra teſſera, vir modeſtus, vel ſi videatur, prodeſt. Itaque vir modeſtus, eſt orator abſolutus. Quia ſi orationis eſt, appoſite dicere ad perſuaſionem, quis facilius ſuadebit, an qui verbis, ut facere velis, moveat, an qui exemplo, ut facere debeas, quaſi compellit? In viro modeſto totius corporis figura, eſt vocalis: frons ſine nube ſerena, ſine rugis explicata; quid aliud loquitur, & commendat, quàm conſcientiæ tranquillitatem? quam

Prov.15.15. illius oraculi veritatem, *Secura mens, quaſi iuge convivium.* Oculi decenter in ſolum defixi, & averſi, ne videant vanitatem, quid aliud clamant quam il-

Eccleſiaſt.1. lud Eccleſiaſtę effatum. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas?* Lingua in loquendo rara, quid aliud commendat, quam illud Eccleſiaſtici pronuntiatum, *ori tuo facito oſtia, & ſerau.* Deniq; totius corporis forma luce fulguranti

Eccleſ.28. 28. Modeſtiæ, ac decoris undique circumfulgens, quid aliud vociferatur, quam illa Chriſti verba: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera noſtra bona,*

Matth.5. *& glorificent Patrem qui in cælis eſt?* Hoc eſt vere eſſe oratorem, facilius evades orator, vitæ modeſtia, quam linguæ eloquentia: Hæc tantum movet, illa trahit. Pluris ergo eſt homo modeſtia loquens, quam lingua garriens. Quia,

Qui nimium fatur, ſtultiſſimus eſſe probatur.

20. DIES

Digitized by Google

20. DIES SEPTEMB.

Magna est virtus, si non lædas à quo læsus es. Magna est fortitudo, si etiam læsus remittas? Septemb.
Isidorus in solit. 2.

I. ECce novum genus virtutis, ac fortitudinis, lædentem non lædere, imo lædenti iniuriam non immittere, sed immissam remittere. Hæc discces sub mansuetudinis magisterio, & ab illo qui vnus est omnium Magister, in cuius Academia, hæc non modo prima, sed tota est disciplina. *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Absit ut aliud vobis proponam, quod imitemini exemplar, quam Christi exemplum. Tota Christi vita, non est nisi aurea quædam Mansuetudinis tela. Vin huius telæ videre fila? Propone tibi Christum cum Apostolis in medio Iudæorum, *veluti signum cui contradicitur*: id est veluti scopum, in quem omnia maledicentiæ tela, malevolentiæ jacula, odij spicula, inuidiæ sagittæ, ex eorum animis velut pharatris, illorum sceleratis actibus, velut arcubus intorqueantur: Ciues sui ardent in illum invidia, cognati urgent improbe, ut se mundo manifestet: Apostolorum votum est, ut quam citissimè se probet, & prodat Messiam: infima quidem plebs illum sequitur, sed non tam melioris discendæ frugis, quam gratiâ accipiendæ opis: imperiti capere non possunt, qua ratione se dicat filium Dei: Doctiores, illius sermonibus struunt insidias. Si se probat à miraculis, exiguntur scripturarum testimonia; si à sacris literis, disceptatur, vnde homo idiota, & faber nouerit literas. Mansuetudo. *Mat. 11.* *Luc. 2.*

II. Non est satis. In illorum conspectu patrat omnia miraculorum genera: pro animi libidine, alia exigunt, fidem non habituri iam factis, nisi illa ipsa quæ volunt, faciat. Si de sceleribus illos admonet, offenduntur. Si ea illis remittat, obmurmurant, & gratiam, interpretantur blasphemiam: si pellit Dæmones, iuratumque se illorum hostem profitetur, id aiunt fieri potius ex familiari, ac clandestino utrorumque commercio. Si Samariam ingredi vult, ab incolis velut Iudæorum amicus excluditur; si redit in Iudæam, Iudæi Samaritanum pronuntiant: si de Regno, regiaque dignitate loquitur, habetur seditionum concitator: si de abiectione, & humilitate, non creditur esse Messias. Denique promptum benefaciendi, vitamque illis conseruandi animum vbique testatur, & illi contra toti sunt ut illi mala, mor-

Septemb. la, mortemque inferant. Non sufficiebant hæc ad exacerbandum etiam mitissimum animum. Sic aperte obloqui, inepte omnibus eius consiliis, procaciter omnibus monitis, contumaciter omnibus factis obluctari. Tota Christi in hoc certamine fortitudo, est animi Mansuetudo; ipsius panoplia, est Patientia. Constat Christo animus taut pacatus, & tranquillus in omnibus illis obtrectationibus, quasi nulla polleret in eos auctoritate, quibuscum loquebatur, aut careret potestate, qua suam tueretur auctoritatem. Vlli ne vnquam manum admouit, nisi ut beneficium præstaret? Vlline damnum unquam intulit? imo ulluine fuit, cui gratiam non contulit? Nonne potius reprehendit discipulos, monentes, ut cuocaret è cæ'o ignē, contumeliæ audacium hominum puniendæ? Nonne diserte illis significauit, hunc spiritum alienum esse à suo, & se *non veniſſe animas perdere, ſed ſaluare.*

Luc. 6. 59.

III. Discute an hæc Christi, in te Christiane, spirat indoles. Quæ sunt tua quibus præliaris arma, nisi Impatientiæ verba? hâc tibi ipsi es grauis, & aliis difficilis. Hæc igitur pauca animo volue, & reuolue. Cum omnis tua Impatientia oriatur à difficultatibus, aut est præsidium aliquod illas remouendi, aut nullum: si nullum, cur turbaris? si aliquod, cur illo non veteris, cum Impatientia malum potius augeat, tantum abest ut imminuat. Deinde, quid culpam in alios coniicis, qui opinione tua te lædunt? scito, à te malo prouenire hoc malum: neminem lædi nisi à se ipso: esse ineptiam, imo dementiam, velle vlcisci iniuriam, cum hoc nequeas, nisi in te sis insignite iniurius. Disce ergo, non recte curari malum alio malo. Mansuetudinem, tantum esse bonum, ut etiam mala conuertat in bonum. Quis non rideat ineptiam irati? Quid iracunde vis? Damna uitare? Incurris: Non potest tantum tibi nocere inimicus, cui irasceris, quam ipse tibi, dum irasceris. Qualis dementia erit, si medicaturus ægrotantem, si non parti læsæ, sed alieno corpori pharmacum adhibeat? Non claudis tuum vulnus, si aperias sæuiori ictu alterius latus. Non erit vlceri proprio fomentum, apostema extranei: non fluit cum alieno sanguine, balsamum tuæ plagæ. Dānum quod putas tuum, non sarcit aliena vindicta. Si vis innocenter irasci, nulli potes, nec honestiori, nec iustiori titulo irasci, quam tibi irascenti, & tuæ iracundiæ. Huic curandæ non est peritior Galenus, quam animus mansuetus. Subscribit mihi dicenti Poëta:

Iras ſuſtollis, ſi ſit reſponſio mollis.

21. DIES SEPTEMB.

Sanctorum omnium profectus, ad humilitatem est accessus? *S. Dorotheus, Doct.* 14.

Septemb.

I. OBiicit se omnium conspectui, quæ omnibus prope est despectui, quæve re alia nulla magis est suspicienda, quam sui despicientiâ, Humilitas. Virtus nulli satis intellecta, à plerisque semper neglecta. Quæ tam est necessaria, ut nulla sit virtus sine illa, nulla non cum illa. Tantum enim deficis in sanctitate, quantum non proficis in humilitate. Itaque profectus in curriculo virtutum, non est aliud, quam accessus ad humilitatem: hinc tanto es sanctior, Deoq; acceptior, quanto humilior. Nihil facies, nisi te nihili facias, & nihil existimes. Vt boni, vnde bonus fias, aliquid facias, oportet te penitus exinanias. Quantum natura vacuum horret, tantum Humilitas ambit. Hæc sui vacuitas, magnes fit Diuini respectus, illex Diuinitatis. Tunc enim te Deus respicit, dum animus se despicit. Inest Deus ei, qui sibi deest; adest, si tibi absis. Videns Scapheus discipulum vehementer inflatum, & fastu ventosum, verissimâ obiurgauit sententiâ: *Bonum non est in magno, sed in bono est magnum.* Quidquid recte fit, id magnum est, addo, & glorioſum: at quidquid magnum fit, non est statim bonum, sæpe illaudabile, raro securum. Ius securitatis vindicat sibi humilitas. Vis rem hanc confirmari? Eam confirmo illius auctoritate, qui in Ecclesia præstitit summâ dignitate. D. Gregorij. *Qui sine Humilitate virtutes congregat, quasi in ventum pulverem portat.* Sine Humilitate virtus nulla non modo non subsistit, sed nec existit.

Humilitas.

in Explic. 3. Psal. pœnit.

II. Infinita sunt quæ nos, ut infinities humiliemus, non tantum monent, sed cogunt. Vnum est propriè nostrum, Nihil, quia ex natura nihil sumus, & solius naturæ viribus nihil possumus. Vndiq́ue vilissimi sumus, imo ipsa vilitas, ob id quod sumus, & ob id quod non sumus: ob ea quæ fecimus, & ob ea quæ non fecimus: ob ea quæ fecit Deus pro nobis, & ob ea quæ non fecit nobis. Et quia ipse tantus est, & nos tantilli, imo nihil. Quis se non demittet usque ad centrum terræ, & si quid sit eo inferius, ob scelera quæ commisit? Imo non minus se debet deiicere, ob scelera quæ non commisit, sed quæ committere potuit. Quia non peccasse, non est nostræ potentiæ, sed Diuinæ misericordiæ; Nobis enim relicti, quid à nobis non fuisset

Septemb. fuisset delictum. Quod unquam ab vllo patratum est scelus, quod à nobis non tantum fuisset mente cogitatum, sed opere perpetratum, sine Dei auxilio? Par tibi est ratio humiliandi te, quod non peccaueris, quã si peccasses, & æque Deo es devinctus. Non magis venditur gladius, qui occidit multos, quam qui potuit plures occidere. Tua malitia, tot illa patraret mala; quod non fecerit, non est in te, sed in Deo. Æque te debes humiliare, ob peccata aliena, ac ob tua: quia ab iis Deus te præseruauit, quia majus est Dei beneficium, præseruasse, ne peccares, quam remisisse, postquam peccaueris. Maior occasio se humiliandi fuit. B. Virgini, esse præseruatam à peccatis, quam Magdalenæ, tot à se peccata commissa, fuisse sibi remissa.

III. Sed quis cogitans, quid fecerit pro nobis humilis Iesus, se audebit extollere? Confer ô contemptibilis homo, leue, & inane opus tuum, quo gloriaris, cum infinito opere Incarnationis, Eucharistiæ, & Passionis: nonne præ uerecundia, frons tibi decidet? Deus qui est totum, se exinaniuit pro te, & tu qui es nihil, te putas aliquid contra Deum. Quis cogitans, quæ non fecit Deus, non se humiliet, quod non præcipitauerit ad inferos, post primum flagitium, ut fecit Angelis? Licet adeo essemus mente capti, & animo cæci, vt non videremus vllam in nobis sceleris labem, plus tamen deberemus nos abiicere quod Dei gratia non plura præstemus propter Deum, quam ob uermes in quos sumus conuertendi; ob sperma fœtidum, vnde geniti sumus; ob sordes, quibus cum geniti fuimus, obnoxij sumus; ob miserias corporis, quibus inuoluimur, ob pericula animæ, quibus exponimur. O quam appositè Augustinus, *Magis cogitare debetis, quid vobis desit, quam quid vobis adsit. Quod habes, caue ne perdas. Quod nondum habes, supplica vt habeas. In quantis sis minor, est considerandum, non in quantis sis maior. Si enim cogitas, quantum præcessisti alterum, caue tumorem, si vero cogitas, quantum tibi deest, ingemiscis. Curaris, humilis sieris, tutior ambulabis, non præcipitaberis.* Involue te igitur pallio humilitatis, & late & frueris magna pace.

Super Matt. serm. 59.

Si sapis ergo lata, bona res est viuere pace.

Digitized by Google

22. DIES SEPTEMB.

Plus vigilare, plus viuere est, Chrysologus.

Septemb.

Sermon. 24.

I. SIt Vigilantia, virtutum omnium, quæ mores excolunt, clausula. Magno labore comparatas virtutes, nullo labore amittes, nisi velut è speculâ, ut conseruentur, excubet Vigilantia. Hæc ad omnem vitæ partem, & officij genus est in primis necessaria, vtpote quæ per omnia tum divina, tum humana late funditur. Illa est Regina artium, quas omnes genio suo in sublime tollit, atque in officinas, bonam copiam inducit, pleno cornu, vbere fructu, lætissima felicitate. Et cum Regnum cœlorum vim patiatur, illa nobis arma dat in manus, igneamque rumphæam qua fores illæ adamantinæ rumpantur, atque dissiliant, ut violenti in beatam illam possessionem admittantur. Illa nobis texit coronas, vim, & ardorem suggerit, gloriæ characterem inurit, impetum acuit ad æternitatem. Sine hâc, virtus excutitur, subit vitium, salus periclitatur; adeoque est apex Christianæ perfectionis. Hinc Moyses ad Vigilantiam hoc verborum compendio monet. *Attende tibi ipsi.* Id est omnibus viribus, tum naturæ, tum gratiæ ad hoc contendas, ut tibi attendas. Non adhibeas præcipuam curam in comenda pulchritudine corporis, atque indies venustanda, in augendis opibus, in conciliandis tibi honoribus, quæ diffluunt: sed attende tibi ipsi. Hoc est, inuigila Animæ tuæ, in qua tu totus es, in qua melior tui portio est: hæc te cura dies, nocte sque stimulet. Vigilantia. *Deut.* 4. 9.

II. Tanti debes æstimare Vigilantiam, quanti quo nihil tibi charius, ipsam, vitam. Quia idem est vigilare, quod viuere, hinc recte Chrysologus. *Quid tam morti simile, quam dormientis aspectus? Quid tam vita plenum, quam forma vigilantis? Quæ ars, quod tempus, qua potestas, quod officium, non vitæ lucra, lucubratione perquirit? Hinc est quod Regni procinctu peruigil, callidi hostis, præcauet, & euitat insidias: tunc in castris miles superuenientes nocturnos impetus, cauta pernoctatione propellit: sic nauta vigilando, diffusi itineris incertas vias intrat, & calles transit inuios, & vestigio furtiuo ad lucrosi portus votiuam peruenit mansionem. Hinc pastor adiungit noctes diebus, & totum sibi tempus denegat dormiendi, ne qua lupis, suffragante somno, grassandi in gregem præbeatur occasio.* Habes hic simul, & semel conglobata commoda omnia, quæ parit Vigilia *Supra.*

Septemb. corporis plura, & maiora consequeris ex Vigilantia animæ. Sed potissimum inuigila voluntati,& Rationi. Hàc sine,illa cæca est. Vide,ut recte libertate utaris: paris est artis mala fugere,bona sectari; non minoris,moderari affectiones,quæ si modum non retinent, in vitia desinunt. Id ne eueniat,Mentis arbitrio rege, non placito cupiditatis. Inuigila etiam gratiæ, vtere illa vt vitæ cælestis in terris magistra:quam si negligis,gratus esse desinis,& rei nobilissimæ summam iniuriam affers. Recte vteris,si omnem illâ actionem condis,si desis gratiæ,deerit tibi gratia, deseret te gratiæ auctor.Succedet gratiæ offensa eius, quem habere offensum , est exitio esse obnoxium.

III. Inuigila & Gratiæ assecliis,Virtutibus,quarum consortio, vti solet Gratia gaudere,ita præsidio non debet carere.Vbi languet Virtus,feruet cupiditas.Ab hoc fonte vitia omnia promanant,vnde tanquam ab Apennino fluminum,peccatorum omnium diuortia fiunt.Cave umbram Virtutis,pro virtute ostentes;nihil inter homines cõmunius;nihil homini miserius, non amplectere tantum illam, quæ mollis est, qualis ubi est, vera uirtus non est. Ne oderis, ubi aspera est, qualis cum semper est, ubique exosa erit. Invigila denique præ omnibus. Tibi ipsi , qui tibi debes esse instar omnium. Age quod agendum est , quod videlicet iubet præceptum, suadet consilium,monet officium.Age etiam non agere,tui Dominus, non negotiorum famulus. Si moratur difficultas, inuitat Gratiæ auxilium, Dei placitum, laboris præmium: ut recte agas , agenda præuide, quod agis attende , quæ egisti respice. Discerne agenda, liceatne,an expediat, an deceat , soleasne ex virtute , an ex consuetudine. Debeasne, quia præceptum, quia votum , quia propositum est. Quæ animæ passio actioni præsideat , timorne pœnæ , an desiderium gloriæ : odium culpæ, an amor iustitiæ,ut Deo placeas , an ut illum tibi places ? Hæc sunt circa quæ debet se occupare Vigilantia. Denique , ut vigiles, cogita te esse in curriculo stadiodremum , in circo Athletam, in campo militem,in palæstra pugilem,adeoque necesse est te semper esse vigilem.Itaque:

Si cupis esse pugil,iugiter esto vigil.

Digitized by Google

23. DIES SEPTEMB.

Vera fides est, quæ in hoc quod verbis dicit, Moribus non contradicit? *S. Gregorius Hom. de Ascens.* Septemb.

I. FAcio nunc gradum à Virtutibus, quæ mores exornant, ad eas quæ inter Virtutes sunt principes, & quia à Deo descendunt, & ad Deum manuducunt, vocantur Theologicæ; quæ sunt, Fides, Spes, Charitas: tres Dei Charites. Laborabit fides humana, ut credat, quantum sit bonum fides Divina, nisi ipsa fides, conferat, ut credas, suas vires. Vt credas, erunt pro fide fidei-iussores SS. Patres. Hos inter eminet acerrimus fidei propugnator, & indefessus propagator S. Hilarius. *Commendat fidei integritatem, & Euangelica auctoritas, & Apostolica doctrina, & circumstrepentium undique Hæreticorum otiosa fraudulentia. Stat enim fundamentum validum & immotum aduersus omnes ventos, pluuias, torrentes, non flatibus pellendum, non stillicidiis penetrandum, non inundationibus subruendum; Et optimum est, quidquid à pluribus incursatum, à nullo tamen poterit impelli.* Quæ non debet credenti esse securitas, ubi tanta in credendo est soliditas? sed fors quæres, quid, & qualis sit fides? Quærenti respondet ore Augustini ipsa Theologia. *Fides appellata est ab eo quod fit: duæ syllabæ sonant, dum dicitur fides, prima syllaba est à facto, secunda à dicto. Interrogo ego te vtrum credas? Dicis, credo. Fac quod dicis, & fides est.* Itaque iuxta hodiernam tesseram; si non contradicis vita, quod dicis lingua, credo te credere, quæ fides proponit credenda. Fides. *l. 2. de Trin.* *in Ioan. serm. 22.*

II. Quid refert credere verum, si nos simus falsi? Quid conducet, ad salutem te credere, divitias esse spinas, quod Christus docuit, si tu illas expetas ut rosas? si vere crederes tantum deberes horrere, abundare diuitiis, quantum times pungi spinarum aculeis. Quid tibi conferet, si credas omnem qui se humiliat exaltandum, si tu plus ardeas exaltari, quam vllus timeat humiliari? Vera fidei professio, est eorum quæ suadet, executio. Tunc te verum Christianum protestaris, dum iuxta doctrinam Christi, operaris. Omnes per fidem credunt vera, sed oportet credere verè. Credis, oportere nos per multas tribulationes intrare in regnum Dei: & tu interim tribulationes, detestaris, ut persecutiones.

Septemb. Si credis tribulationem esse clauem cœli, cur illam manibus abiicis, nec secus metuis auream illam clauem, quam soles funestam aliquam cladem? Quid prodest scire viam cœli, si non ambulas? A te quæro: quid vtilius tibi, nolle bene operari, aut Dæmonibus non posse? Perinde est in plerisq; nosse, & non posse: imo tibi pernicioſius es, est nosse cum possis. Dæmones credunt, & contremiscunt: Tu timenda multa credis, & non tantum non tremis, sed inter terribilia gestis?

III. Si credis magnitudinem Diuinæ Bonitatis, cur erga Deum non es bonus, sed contra Deum malus? Si credis te posse quouis momento operari æternum gloriæ pondus, quid langues, & iaces sine opere ut truncus? Stupebat tantam desidiam credentium Philippus Nereus: cui familiare erat dicere: *Fierine potest, ut homo credens in Deum, possit amare aliud quam Deum?* Hoc omni tempore majus, hominem non tantum amare aliud quam Deum, sed amare ferè quiduis præter Deum. Quæ maior potest esse insania? Credis sycophantæ promittenti, adulatori ficte blandienti: & non credis Fidei, cuius quot sunt verba, tot sunt veritatis pronuntiata. Quæ major irreuerentia, quam credere homini, cum omnis homo sit mendax, & qui falli possit, & fallere soleat, & non credere Deo, qui est Veritas, loquenti vtilia, promittenti optabilia, minitanti horribilia? Quomodo te excusabis à mendacio, & tibi ipse non imponis, cum toties jactes te certissime credere, gloriæ, quam in cœlis expectas particulam minimam pluris æstimare, quam totius orbis Imperium: & tamen, ut tantum bonum consequaris, nolis vel minimæ renuntiare voluptati, nec ullam vim, ut te abneges, inferre voluntati, nec vel exilem sufferre dolorem, vel tenuem subire laborem: cum tamen pro rebus caducis, & perituris labor quivis gravissimus, non tantum tibi non sit durus, sed nullus. Itaque fides quæ in se est didactica, in te sit practica. Vis habere irrefragabile argumentum vnde constet te credenda credere?

Credu si spernis, bona quæ præsentia cernis.

Digitized by Google

24. DIES SEPTEMB.

Spei & præsentia subiacent, & futura: ista, quia contemnit, illa, quia sua esse præsumit? *S. Zeno. sermon. de Fide, Spe, Char.* Septemb.

I. VT riuus ex fonte, sic spes profluit ex Fide. Quid certius Spe, quæ absentia præsentia proponit, & futura sua esse præsumit? Cur hoc? quia quæcunque uspiam in sacris literis promisit, illud & certissime faciet, & fidelissime exequetur. Prius soluetur tota terrarum fabrica, prius cadet è cœlo, & luna, ruent è firmamento stellæ, dissipabitur cœlorum machina, totaque in chaos antiquum redibit rerum vniuersitas, quam ut Deus in minimo promisso suo hominem fallat. Sic enim loquitur ipse ore Prophetæ. *Quoniam in me sperauit, liberabo eum.* Ut in hoc Dei oraculo, velut in bene fida statione anchoram spei iacias, pensiculatius hæc verba expende. Promittit Deus: *liberabo eum.* Non dicit vnde, ubi, quando, quomodo. Hinc ea verba intelligenda sunt de quacunque necessitate. Itaque si sit in medio oceano, inter decumanos insanientium fluctuum vortices, liberabo eum de naufragio. Patet in Paulo: si sit in cauea leonum, qui rabidi fame, impetu in eum facto insiliant, ut eum unguibus dilacerent, dentibus comminuant, liberabo eum de ore leonis. Fecit hoc Danieli: si sit in carcere vinctus vndique catenis, cinctus militum copia, liberabo eum de carcere; Expertus hoc est Petrus: si sit inermis, imbellis, imbecillis, & consurgant aduersus eum castra, & armis eum infestent, liberabo eum de manibus inimicorum. Sic actum cum Dauide. Spes. *Psal. 90. 14.*

II. Vim majora pericula, vnde eum Deus eximat? Si sit in fornace ardente, inter fumantes crepitantium flammarum globos, liberabo eum de incendio. Euenit hoc tribus pueris, in fornace Babylonica: si fuerit ab iniquis actoribus falsi criminis insimulatus, ab impiis iudicibus, contra omne ius ad mortem condemnatus, & iam ad ipsum Theatrum mortis ducatur, liberabo eum ex ipsis faucibus mortis. Sic contigit Susannæ. Denique in quacunque fuerit necessitate, liberabo eum. Sed ob quam causam? eam quæ est in omnium manu. Audite causam: *Quoniam in me sperauit.* Non

Septemb. quia quadraginta diebus ieiunauit; non quia flagellis expiatoriis in corpus suum animaduertit: non quia noctes, dieſque me obſecrando impendit, non quia lautas in pauperes diſtribuit eleemoſynas. Sed *quoniam in me ſperauit.* Quid facilius quam ſperare? Ut ſperes, non opus eſt mouere pedes, ut ambules, nec digitos, ut ſcribas, nec manus, ut labotes, nec oculos, ut legas, nec linguam ut loquaris: non fatiges, nec corpus, nec animum. Mane in conclaui quietus, immotus, & modeſtus, ſperas, & ſperando omnia impetras. Hæc ſi expendis, quo modo adhuc diffidis? Merito hic exclamat Salvianus. *O miſeria! ô peruerſitas! homini ab homine creditur, & nõ creditur Deo. Humanis promiſſionibus Spes commodatur, Deo negatur.* Et paulo poſt: *cum elementa omnia, & naturam mundi Dominus noſter fidelem fecerit, illi tamen prope ab omnibus non creditur, qui ſolus fecit, ut rebus omnibus crederetur.*

ad Eccleſ. l. 2.

III. Ceterum, non eſt ſpes bona, quæ bonum ſibi propoſuit, ſed quæ bene. Bonum quidem ſperare mali, imo & peſſimi poſſunt, imo & ſolent. Bona ergo ſpes eſt, quæ de vero bono rite concepta eſt. Hanc qui habet, ſtringat, teneat, neque abire eam, vel in vltimis ſinat: Sororeſque illi iungat Charitatem, & Fidem: hæc ſpes læta eſt, & fida, quæ nec ſperantem fallit, nec confundit, ſed ad optimum prouehit, animumque interim ſperati boni anticipatione delectat. Quod ſi ſperes, quæ vulgus putat bona; Malum tuum ſperas, quod vel dilatione te cruciet: vel vſura ſui tibi noceat. Fac ſuccedat; quod ad corpus attinet, hoſti arma paraueris, quod ad fortunam, variæ, & immitis Dominæ ſubieris iugum: quod ad animum vero ipſum, magna etiam pars in cladem, ac perniciem verti queat; quoniam quæ animum delectant, ſæpe & trucidant. Sic bene ſperando, & male habendo tranſit vita mortalium. Nam, & futura cogitantibus, præſentia dilabuntur, & qui longinqua proſpiciunt, quæ ſub oculis ſunt, non vident, & qui cras viuere deſtinant, hodie non viuunt. Nondum eſt, cuius initium ſperatur. Ita cum ſpes omnis, boni abſentis expectatio ſit, conſequens eſt ſperantem, pro eâ ſaltem parte, qua ſperat, mali aliquid pati: omnis ergo ſpes, ne tu confundaris, ſit is, qui ſperantem nunquam deſerit, qui ad opitulandum eſt potens, ad ſubueniendum procliuis, ad iuuandum expeditus: qui fuit Spes noſtra ab uberibus matris noſtræ: ille te non deſeret, ſis licet pupillus, orphanus parentibus, orbus. Nam:

Qui paſcit coruos Deus, is non deſeret orbos.

Digitized by Google

25. DIES SEPTEMB.

Septemb.

Charitas est quam fides concipit, ad quam Spes currit, cui profectus omnium bonorum seruit?

Cassianus super Psal.

Charitas.

I. HIc tandem est montis quem conscendimus vertex, quia Charitas est virtutum omnium apex. Est filia fidei: Sed de qua dici potest illud Poëtæ. *O matre Pulchrâ, filia pulchrior.* Omnes virtutes vel cum ipsa, vel ex ipsa: ideoque vel illam cingunt ut Dominam pedissequæ, vel seruiunt ut Reginæ, famulæ. Quidquid ad eius commendationem dixeris, minus est quam meretur dici. Itaque manum ab hac sacra tabula admoueo, & illius laudandæ prouinciam D. Zenoni magno Charitatis præconi committo. *Charitas non quenquam pro persona diligit, quia adulari nescit: non pro honore, quia ambitiosa non est; non pro sexu, qui illi vnus est ambo; non pro tempore, quia varia non est. Non æmulatur, quia inuidia quid sit ignoret, non inflatur, quia Humilitatem colit: non malum cogitat, quia simplex est: non irascitur, quia etiam iniurias libenter amplectitur: non fallit, quia fidem ipsa custodit: non ulla re indiget, quia ei præter quod est, nihil est necessarium. Hæc rura, urbes, ac populos composita pace conseruat. Hæc circa Regum latera, securos gladios facit. Hæc bella premit, lites tollit, iura euacuat, fora compescit, odia eradicat, iras extinguit. Hæc mare penetrat, vrbem circuit, commercia nationibus necessaria subministrat.*

Serm. de fide, Spe, Charit.

II. *Potentiam eius cito edicam. Quidquid locis natura negauerit, Charitas reddit. Hæc coniugalis affectus, Deos, homines, Sacramento venerabili, vnam cogit in carnem. Huius est murus, quod chara vxor, quod generosi liberi, quod veri sunt patres. Huius est munus, quod alij ut nos, vel plusquam nos proximi, vel amici sunt nobis. Huius est munus quod diligimus seruos, ut filios, ac illi nos colunt libenter, ut Dominos. Nihil est prorsus quod sine hac gratum, pacificum, securum, fidele, perfectum sit. Primum est dilectionis munus, Deo refundere, quod nati sumus, soliq; debere quod viuimus: nihilq; prorsus in cordis nostri penetralibus retinere, quod alieno iure seruemus. O Charitas! quam pia, & opulenta, ô quam potens! nihil habet, qui te non habet: Tu Deum in hominem commutare valuisti: Tu eum breuiatum paulisper ab Majestatis sua immensitate peregrinari fecisti. Tu virginali carcere nouem mensibus relegasti. Tu Euam in Mariam redintegrasti. Tu Adam in Christo renouasti. Tu sacram Crucem in salutem, perdito iam mundo prouidisti. Tu mortem, Deum mori docendo, vacuasti,*

Septemb. *cuasti, Tuum est quod cum occiditur Deus, Dei omnipotentis Filius, nullus irascitur de duobus.*

III. *Tu populi caelestis animam tenes, cum ornas pacem, fidem custodis, amplecteris innocentiam, veritatem colis, patientiam diligis, spem repraesentas. Tu diuersos homines moribus, aetatibus, ditione, ex vna natura, vnum spiritum, vnum efficis corpus. Tu Martyres glorioſos Christiani nominis confessione, nullis tormentis, nullâ nouitate mortis, nullis praemiis, nullis minis, nullis affectibus, separari permittis. Tu ut nudum vestias, nuda esse, contenta es. Tibi fames, saginatio est: si panem tuum inops esuriens comederit, tuus census est, totum in misericordiam habere, quod habes. Tu sola rogari non nosti. Tu oppressos vel cum dispendio tui incunctanter eripis, in qualibet necessitate constitutus. Tu caecorum oculus, tu pes claudorum. Tu scutum fidelissimum viduarum. Tibi oculos nunquam siccos esse, aut misericordia permittit, aut gaudium. Tu tuos ita diligis inimicos, ut inter eos, caroſq; tibi, quid distet, nemo discernat. Tu inquam caelestia humanis, humana caelestibus iungis arcana. Tu Diuina custodis. Tu in Patre imperas, in filio obtemperas, in Spiritu Sancto exultas. Tu cum in tribus vna sis, nullo pacto diuideris, nulla humana curiositatis calumnia commoueris. A paterno fonte in Filio tota refunderis, & tamen tota ubi refunderis, nec recedis. Recte Deus diceris, qui à Trinitatis personam sola convertis.* Hæc Zeno ex abundantia cordis in laudem Charitatis. Quantis, Dei amans, cumulatur beneficiis, quantis occupatur negotiis! ut merito exclamet Poëta de quovis, sed maxime Dei amante.

O Deus in quantis animus versatur amantis.

26. DIES SEPTEMB.

Si nobis animum boni viri liceret aspicere, ô quam pulchram faciem, quam Sanctam, quam ex magnifico placidoque fulgentem, videremus? *Seneca Epist.* 115.

Virtutis pulchritudo. *Cic. de finib.* 75. *Tusc.* 236.

I. QVæ Romani Philosophi, eadem & mens est Romani oratoris. *Facies honesti, si oculis cerneretur, mirabiles amores excitaret sui.* Quid mirum cum idem dicat? *Nihil est virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius.* Qui ergo hactenus expoſuimus Virtutum singularum indolem, proprietates, effecta, superest, ut omnium peccatoribus subiiciamus faces, quibus

quibus accendantur ad virtutes acquirendas, acquisitas conseruandas, conseruatas accumulandas. Ordiamur ab eius inexplicabili venustate. Tanta est virtutis elegantia, ut vel vnius tantum intuitus, foret vitiorum omnium interitus. Est enim virtus decori flos, pulchritudinis viua effigies, Honestatis animatum simulacrum, philtrum animorum, magnes cordium, qui ferreos etiam animos ad se non modo traheret, sed raperet. Elephas (teste Æliano) ferox bellua, mulieris formâ ita capitur, ut hebescens ad eius pulchritudinem, turbidos motus, violentiam remittat. Monocetos cornu terribili, quem nullius hominis industria capere potest, ait Gregorius magnus, si virginem aspexerit, oris venustate formosam placidus accedit, & quasi victus, arma furoris sui ad pedes abiicit. Idem dixeris de Virtute, cuius amabilis in omnem partem pulchritudo, tanta est, ut aspectu delinita mens, omnes motus, ut in belluis contra rationem incitatos, facile coerceat. Septemb. *De animal. l. 1. c. 38.*

II. Huius decoris singularis, Dei beneficio, in natura videmus micare scintillulas, quæ sua luce ad virtutis amorem exsuscitent. Egregia hac de re Tullius. ***Sunt ingeniis nostris innata semina virtutum, quæ si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura duceret.*** Atque hæc naturæ vis, à puero in pueris paruis sæpe obseruatur, in quorum indole, virtutis splendor in pectus insitæ, & illuminatæ collucet. Eminet enim in fronte pudor, in oculis verecundia, in toto corpore modestia singularis, prudentia in dictis, in moribus innocentia, aliæque dotes, prænuntiæ olim vitæ illustris. D Basilium qui vidisset in flore pueritiæ, scintillantem subinde vidisset ex animo gratiam, nec dubitasset fore aliquando virtutum insignium diuersorum, quarum specimina in communi Luce ponerentur. Sed, & aliud præterea quiddam Dei Providentia instituit ad virtutis commendationem. Spiritus enim sanctus ad commune bonum generis humani, solet ad quoddam genus Virtutis propensionem omnibus indere, in quo præcellere honestum quiddam iudicant, & naturam à primo ortu sic disponit, ut in eo inclinentur. Naturæ lex geniusque, ait maximus Tyrius, ***in diuersas partes emittit. Pythagoram ad Musicam, Thaletem ad Astronomiam, Heraclitum in solitudinem, Carnendem ad castitatem, Diogenem ad patientiam, Epicurum ad voluptatem.*** Sed hic parum vidit, nec agnouit Spiritus Sancti motiones, quibus naturæ imbecillitatem attollit, & inexplicabili destinatione, varie varios, ad varias virtutes fingit ut sint cæteris exemplaria quæ æmulentur. *l. 3. Tuscul.* *Serm. 19.*

III. Obseruat Cyrillus Hierosolymitanus, Spiritum Sanctum, aquæ nomine, salientis in vitam æternam, in Euangelio designari, ob Diuini Spiritus operationes in multis varias, & mirandas. Vna, inquit, pluuia in vni- *Catech. 16.*

Septemb. versum descendit mundum. Quæ alba quidem fit in liliis, rubra in rosis, purpurea in hyacinthis, ac in diuersis speciebus diuersa, & in omnibus fit omnia. Tum subdit, de Spiritu Sancto simile: illum se huius linguæ accomodare ad Sapientiam; alterius animam illuminare in prophetia, illius Temperantiam corroborare; alium instituere ad eleemosynam: docere alium ieiunare, exerceri ad pietatem, & mundi res contemnere: alium præparare ad martyrium; atque sic alia in aliis operari. Hic Spiritus se in animos insinuans hominum, exornat donis suis vnumquemque, provt opportunum esse videtur. Virtus enim, ut fœcunda parens, multiplici fœtu gloriosa, obumbrante Spiritu Sancto, in Abele innocentiam genuit, in Noë Spem, & Longanimitatem, obedientiam in Abrahamo, in Jobo inuictam Patientiam, in Iosepho Castimoniam, in Mose Mansuetudinem, in Davide Pœnitentiam, in Apostolis dignam Deo perfectionem. Hi omnes velut ab alto, & sublimi loco videntur vnumquemque affari, & dicere: nihil esse Virtute pulchrius, nihil præstabilius, nihil hominum contentione dignius, nihil honestius. Præ illa spernendæ sunt omnes, & Midæ opes cum auro, & Creti gazæ. Dubitas? Audi quod sequitur:

Gazis congestu, præcedit mentis honestas.

27. DIES SEPTEMB.

Tanto quidque vehementius volumus, quanto certius, quam bonum sit, intelligimus?

S. Augustinus lib. 2. de pecc. Merit. cap. 17.

Desiderii Virtutis. QVm sit Virtus, & venustate formosa, & dignitate magnifica, & æstimatione pretiosa, ex prædictis satis fuit exploratum. Virtus tibi modo non tantum est de facie leuiter nota, sed tota penitus cognita. Quæ igitur fuit in Intellectu, superest, ut sit in affectu: quæ fuit intellecta, sit iam dilecta, quæ tibi explorata, sit & desiderata. Eo enim quid volumus vehementius, quo intelligimus euidentius. Summum desiderium, iure exigit bonum quod est summum. Gratia, & natura sorores sunt, eundem habent auctorem, & Patrem, Deum. Itaque docebunt te naturalia, quomodo oporteat concupiscere supernaturalia, Natura sic à suo est instituta auctore, ut

re, ut nullum rei vlli conferat bonum, nisi illius obtinendi, magna præ- Septemb.
cesserit cupiditas. Res naturæ plus optant, quam nanciscuntur. Ignis, dum sursum ascendit, nihil magis appetit, quam contingere cælum: & tamen illuc non peruenit. Sed cupiditas illa ei fuit necessaria, ut ad locum perueniret, non summum, sed sublimem. Saxum, cum descendit, desiderat descendere usque ad cor terræ, & tamen permanet in eius superficie. Ardentissimam quoque affectionem ingessit brutis animalibus erga fœtus. Vacca, absente vitulo, mugit, & quasi gemit. Animalia timida, amor prolis irritat, & impauida reddit: hoc vehemens desiderium, necessarium fuit ad superandam difficultatem procurandæ sobolis.

II. Res summè difficilis est Virtus; est enim sita in arduo, & horrenti iugo posita, quod ipsum, potens est stimulus ad acuendum desiderium, & incitandam Voluntatem. Quæ enim formositate sunt eximia, dignitate prima, vsu salutaria, eo vehementius generosum animum ad potiundum solent incendere, si difficultatibus obsepta via est, atque intercluſa, omnium enim, quæ labore, & studio exquisito parantur, longe dulcior est fruitio, & voluptas inde liquidior percipitur, longe amabilius, gratiusque videri potest, lilium inter spinas, rosa inter aculeos, margarita in ostreo, in glareis aurum, in metâ brauium. Appetitus naturalis, est dispositio ad perfectionem naturalem: sic cupiditas magna, & supernaturalis præparat ad perfectionem supernaturalem. Tota requiritur voluntas, totaque totius voluntatis cupiditas, ut præ difficultatibus non deficias. Quando quidem ubi in animo est Virtus, ibi velut in sacrario, est Deus, isque sit infinitus, qui plusquam infinite deberet desiderari, quomodo ita desiderando langues, & in cõcupiscendâ Virtute torpes? Fluxa Naturæ, & caduca Fortunæ bona desiderantur centies, & millies, plusquam merentur desiderari, & tamen non obtinentur: quomodo tam remissus es in desiderando bonum, *Prou. 8. 11.*
de quo dicit Sapiens: *Omne desiderabile non potest ei comparari.*

III. Interim Virtus quam multum æstimatur, tam parum desideratur. Iniquâ partitione columus Virtutem solo Intellectu, Vitia, Voluntate. Error hic inde oritur quia secernimus bonum honestum ab Vtili, cum nihil sit vtile, nisi & honestum. Quæ vtilia sunt possunt mutuo accipi, alius accomodabit: alia possunt substitui. Sola Virtus sine vicario est, est ipsa rerum omnium vicaria. Sola Virtus, mutuum non accipit. Quem tibi putas vtiliorem qui commodat, aut mutuat, an qui donat? plus dices donantem prodesse, quam mutuantem. Fortuna ad summum, bona sua commodat, postea repetit: Natura mutuat, similia exigit: Virtus dat, nulla reuocat. Quid plura? Eligenda est potius Honestas periculosa, quam Vtilitas tuta.

Septemb. Sed præter Honestatem, nec securitas, nec vtilitas est, non dico tuta; sed vlla. Sola Virtus est potens prodesse: quidquid iuuat, per illam iuuat. Itaque omnis fauor, omne emolumentum Virtus est, aut Virtutem respicit: siue à Virtute sit, siue per ipsam. Alium, si tuis opibus iuues, perdes, quibus iuues: Virtus cum iuuat, iuuatur, crescit subsidio. Hæc tanta bona, cum Virtus suo contineat complexu, cur eam tuo non dignaris affectu? Cur non desideras, quod tuum potest implere desiderium? Virtus non est noxia, quia nemini nocet, non est egens, quia quemlibet ditat. Ardes ergo innoxiè ditari? Impromptu est modus, quem indicat hic versus.

Hic bene se ditat, qui semper noxia vitat.

28. DIES SEPTEMB.

Nihil est, exceptâ virtute, quod mortali manu, ac animo immortali, quæri possit? *Valerius Maximus lib. 5. cap. 6.*

Virtus labore acquiritur. I. QVid te casso labore multa quærere conquereris? Quidquid hic quærit, vel mortale corpus, vel immortalis animus, sola Virtute excepta, non est dignum quæsitu, indignissimum obtentu. Itaque, ut canis venaticus sagacissimè odoratur, & inuestigat prædam: sic animus immortalis in hac vita mortali, nihil non agat, ut Virtutes acquirat, acquisitas augeat. Est enim proprium Virtutis, non quid actum sed quid agendum sit; nec quid absit sibi, sed quid desit, attendere: unde non tam de quæsito gloriatur, vel de acquisito sibi gratulatur, quam de quærendo est solicita. Dicerem certe auarum, aut certe Auaritiæ similem esse Virtutem. Iugiter sitit, quotidie inardescit, quo plus quæsierit, eo sibi pauperior videtur, & plus appetit. Et quia ardet supra modum pollere Virtute, nullus ei desiderij est modus. Itaque semper anhelans, semper altius aspirans, dum se cõparat, parui pendit. Nunquam dicit consummatum est. Scit hoc tempus esse militiæ, non triumphi, atque ideo nunquam torpet, semper est in actu, nunquam feriatur, perpetuo operatur. Semper quasi nunc incipiens accingitur. Qui omnia perfecisse, seque vndique consumasse credit; crede mihi non est Virtus, error est Virtuti obuius, atque aduersus.

II. Quisquis ad summam se peruenisse credit, in hoc primum fallitur; quod ubi credit esse, non est. Deinde quod illic quærentem viam aberrando

errando deserit, dumque, quod non habet, anticipat, quod habere potuis- Septemb.
set, sponte sua negligit. Nihil tam aduersum profectui, quam opinio perfectionis. Nemo studet agere, quod se putat peregisse: si omnem vitam ante oculos ponas, perque dies singulos actuum, verborum, ac cogitationum, rationem à te ipso exigas, incorruptus arbiter rerum tuarum, videbis quãtum vacui in animo sit, quantum vitia occupant, sed ut Virtus totum pectus occupet, necesse est totius animi, accedat contentio, & conatus, & ardor. Nos mala nostra auidissime cupimus, bona vero remississime; unde fit ut diuites multi sint, boni autem pauciſſimi. Nam quid miri, si citius ad votum ardens intentio, & feruens contentio, quàm voluntas lenta perueniat? quod si minima rerum non habentur gratis, si opus est labore, ut sis malus, si etiam vitia quibus peris, exigunt studium mentis, quid de virtute speres, qua nihil in rebus humanis est humanius, nihil inter alta excelsius, nihil inter bona melius? Non tu illam, quasi diuerticulum curarum, sed ut rectum, atque vnicum iter ad felicitatem cogita.

III. Vaca illi, & insiste summo nisu, totoque animi pondere, cum sit res summi ponderis, nullum quo illi non studeas, effluat momentum, quia est maximi momenti: omne studium impende, teque totum super impende, quod rebus viliſſimis sæpe impendisti; illudque in memoriam reuoca, sa- Ex satyr.
num magis quam comptum verbum M. Varronis, *Si, quantum operæ sumpsisti, ut tuus pistor bonum faceret panem, eius Philosophiæ vel duodecimum dedisses, tempore bonus iam pridem fuisses.* Quod velim intelligas non de Philosophia illa profana, quæ terrena sapere, sed de cęlesti illâ quæ ea quæ sursum sunt, quærere docet. Sed pernicioſus est hic hominũ error, quod se bonos autument, si non sint mali, existimentque virtutem esse, carere vitiis. Vitiosa laus est, solum sine vitiis esse. Eo res venit, eo contractus est pudor, ut minor malitia pro Virtute sit. O augustam! ô malignam, & ingloriam gloriam, solum inter malignos non esse, & vituperabilem laudem eius, cui non alia sit, quam non esse vituperandum. Sine malitia esse, non est bonum esse. Aliud est esse non malum, aliud esse probum. Non esse malum, vix non erit malum: fortasse & adhuc malum est; vix, & dubio iure, vituperio liberabitur: nam posse bonum esse, & non esse, ob viciniam saltem malitiæ, iam non bonum est: Laus autem non est non mali, sed boni, & de bonis. Igitur non sufficit, nihil pœnitendum agere: sed agere de quo sit gratulandum. Denique cognoscitur arbor ex fructibus, homo ex operibus. Illa autem ut sint bona, dependet ab intentione, in fructus ab arboris radice. Quia:

A radice mala, nascuntur pessima mala.

29. DIES SEPTEMB.

Culpæ genus est, non feciſſe quod ſummum eſt? *Theodoricus.*

Vt Virtutes acquiras, exempla aliorum aſpicias.

I. VT ſis in omni Virtute non tantum magnus, ſed inter magnos ſummus, facilè à te impetrabis, ſi iuxta monitum Theodorici Regis, tibi ipſe perſuadeas, eſſe genus culpę, non feciſſe quod ſummum eſt. Ut hoc facias, multum conferet ad eos oculorum aciem conuertere, qui in ſingulis, aut etiam in omnibus Virtutibus fuerunt ſummi: Qui viuunt in cœtu laudabili vita, moribuſque præſtantium, magnum habent ſubſidium, ut & ipſi virtute ſint præſtantes, dum in virtutum quibus præcellunt, intuentur præſtantiam. Verſantur enim velut in ſpectatiſſimo theatro, admirabilium rerum pompa referto, unde cum ſpectauerunt, & illi virtute fiunt ſpectabiles. Homero Vliſſes videbatur Sapiens, *qued mores hominum multorum vidit, & urbes.* Et qualia quæſo fuerunt eius ſpectacula? Cicones feri, Cymmerij tenebriones, Cyclopes inhumani, venefica mulier, cantatricum ſcopuli libidinoſarum, Eumæi ſtabulum, Alcinoi hortus, Inferni monſtra, naufragia ſociorum: quæ partim inania ſunt, partim fabulis, & Poëticis coloribus inuoluta. Alia in Sacrorum hominum, veluti, regno, & domiciliis videre licet, alia ſolent ſpectacula vſurpari, alia rerum omnium facies oculis proponi, non ſine commodo mirifico intuentium.

II. In hoc Charitas eximia erga Deum, alioſque mortales: in illo ſingularis animi demiſſio, & incredibilis modeſtia: lucet in illo patientia inuicta, & laborioſi animi conſtantia: in hoc Paupertatis amor. In quibuſdam admirari licet Innocentiam animi, & candorem pectoris: in aliis Spiritum pietatis: in alio humaniſſimæ mentis manſuetudinem. Vbi tot vnâ ſoles fulgent, neceſſe profecto eſt colorari, in his ſpeculis animaduertere ſuos næuos, torque aculeis concitatos currere in ſtadio perfectionis ad brauiũ. Hæc adiumenta ſunt parandorum animi ornamentorum, hæc curricula perfectorum hominum, hæ officinæ ſapientum, hæ ſcholæ proborum. In congreſſu, & commercio tam inſigni piorum, qui non proficit, aut cœcus eſt, qui non videat, aut plumbeus, qui nullum guſtum rerum illuſtrium habeat, aut malitioſus, qui ab officio boni uiri abhorreat. Nec tantum oportet intueri, quos imiteris viuos, ſed iam ſublatos è viuis. Plæclare Caſſiodorus.

dorus. *Honestum est, quos sequimur tempore, velle praeoniis anteire.* Sæpe referenda est memoria ad eorum vitam cogitandam, qui nobis viuendi sunt norma, & quorum opera, virtutum omnium sunt magisteria. Quare ut Tullius, ciues suos iubet, quos ad virtutem instituebat, acerrimè cogitare, quibus gradibus Romulus ad Cælum ascenderit, quibus Numa, quibus Africani, & alij Heroes. Sic deceret nos frequenter circumspicere, quam ad cœlum inierunt viam Apostoli, quam D. Augustinus, & alij Apostolici viri. Septemb. *l. 9. Var. epist. 7. In parad.*

III. Sed quia hodierna die illius Angeli est solennitas, cuius inter Angelos maxima fuit dignitas, & par dignitati Sanctitas, S. Michaelis, ad eum, ut imitemur, oculos attollamus, & mentem conuertamus. In eius triumphali labaro, aureo charactere expressum est, quod & nomine suo refert. Quis ut Deus? Hoc Diuino acroamate, veluti excusso è nubibus fulmine, prosternam omnes aduersarios. Si suis blandimentis, & molli titillatione mihi lenocinetur Caro, opponam? Quis ut Deus? Si Mundus mihi obiiciat pompam & choragium futilium reculatum, si diuitias, fucum fortunæ: si honores, somnium vigilantium: si gloriam, nihili effigiem; si dignitates, quibus nihil indignius; si famam magnam, parui nominis umbram; si scientiam, inflatam bullam: si gemmas, maris spumas; si aurum, & argentum, terræ excrementum; si omnia regna mundi, quæ non sunt nisi stercora præ regno Christi: Opponam illam glorioſam Michaelis tesseram: Quis ut Deus? hæc vna interrogatio, erit omnium hostium internecio. Hoc verbum erit mihi contra omnes aduersarios adamantinum scutum. Hoc est verbum victoriæ. In hoc verbo, Michaele protegente vincam. Hæc interrogatio, erit mihi plus quam fulminatrix legio. Hoc Angelicum vexillum plantabo in corde meo. Hoc vno in corde meo, prælia Domini præliabor. Hæc tibi, quisquis virtutis acquirendæ es studioſus, sit vox familiaris. Quis ut Deus? si quod dicis, verè sentit, senties vim maximam in esse illis trinis verbis, & experieris bono tuo esse verissimum illud de his verbis:

Stellis, atque herbis vis est, sed maxima verbis.

Digitized by Google

30. DIES SEPTEMB.

Septemb. **Non quemquam propter canos, aut rugas putes diu vixisse; non ille diu vixit sed diu fuit?**
Seneca l. de Breu. Vitæ.

Non differendum, tempore bene uti.

I. HOc mense præterierunt nobis triginta dies salutis: vide an illis te promoueris ad tuam salutem. Discute an non possit de te dici, quod Seneca asserit hodiernâ tesserâ, te hisce triginta diebus non vixisse, sed tantum fuisse. Certè si lubet ad calculum reuocare tua, quibus occuparis negotia, quibus vacas opera, reperies fors ex modico illo, quo viuis tempore, plus te vitæ perdere, quam viuere. Si de vitæ breuitate, tibi fortè videtur, quod non sit satis spatij, ad promouendam tuam, quam optas, salutem, ad promerendam felicem, quam expectas æternitatem, ad soluenda Deo, quibus obstringeris debita, ad exhibenda illi quibus obligaris obsequia, rectè dolestempus tibi nimis angustum, cum pro minimo beneficio, debeatur Deo obsequiorum æternitas. Sed ex illo spatio tam contracto, plus tua culpa tibi deperit, quam pietati tuæ superfit. Vnde si vel totum vitæ spatium dolebas esse angustius tuis persoluendis Deo officiis, quanto magis dolere debes, illas angustias contrahi, & pene totas detrahi? Omne illud tempus æstima tibi perditum, ex quo non refers fructum, aut meritum.

II. Si quod opus fuerit, non recto fine directum, tam illud vacuum reputatur, & inane, quam sit corpus exanime. Iam vero diuide per partes vitæ tempus, & fortasse inuenies te non tam vixisse, quam duntaxat fuisse. Metire singulos, per suas horas dies: Ex horis quatuor & viginti, detrahe quæ somno dantur, supersint decem, vel octo, vel septem in quibus vigilas: quantum tibi quæso, inuigilas? quid tum porro boni, quid recte operaris? vel enim otiaris, vel operaris: si otiaris, vanum est: si operaris, cupiditati operaris, & sic perdis operam, & pretium operæ. Cum enim nullus illius operis sit honestus finis, est labor cassus, ne dicam prauus. Preces fortasse aliquas à te recitatas suggerest sed quantis illæ interciæ nugamentis? quantis agitatæ curis alienis? quantis infuscatæ diuersarum cogitationem maculis? quam illud mancum & elumbe, & exile bonum, quis non videt? sed esto tamen, valeat, sed qvantum est istud ad reliquas diei, partes? Quot in orando

Digitized by Google

orando ponis horas? Confer cum cæteris, quæ cassæ sunt, & sine fructu ef- Septemb.
fluunt, nonne cuidenter patebit te magis vane, quam fructuose viuere, adeoque te tantum, esse diu, non viuere? Neque enim viuere censendum est, quod fine videndi caret, caret autem illo fine, nisi illud quod agis, promoueat te ad illud regnum, cuius nullus est finis. Non pudeat nos ex Ethnico Philosopho emendicare aliqua temporis rectè impendendi documenta.

III. *Non* exiguum, inquit, *temporis habemus, sed multum perdimus; satis longa* Supra.
vita, & in maximarum rerum consummationem large data est, si tota bene collocaretur: Sed ubi per luxum, & negligentiam nostram defluit, ubi nulli rei bonæ impenditur: vltima demum necessitate cogente, quam ire non intelleximus, transisse sentimus. Pessimè moreris in ipsa vita, si non viuis bonam, Non differas bene viuere altero die, quem forsan non videbis, vel si videas, forte non erit voluntas. Vitæ pericula fugis, cur vitæ bonæ pericula tibi creas, cunctando? dum tu bene viuere differs, mors tibi vitam aufert. Vive hodie: Hodie Deus est Dominus: ergo hodie oportet te esse seruum Dei: quia & hodie Deus seruit tibi, imo, & seruat te, dum hodie facit solem oriri super te, filium fortasse tenebrarum, ut fias filius lucis. Deus non differt in crastinum sua munera; cur tu differs illi tua obsequia? Hodie te Deus cumulat indebitis beneficiis; cur hodie non respondes illi debitis officiis? Alterius diei obsequia non sufficient beneficentiæ sui diei; cur vis, ut satisfaciant, etiam diei iam præterito, & beneficiis, quibus hodie frueris? Non sufficit diei bonitas sua, vt soluat debitum suum, quomodo vis, ut soluat etiam pro malitia alterius diei, duplicatis debitis tuis, & gratiis Dei. Hodie Deus est Deus, & hodie tu es creatura: hodie tu es, & forte cras non eris. Cur vnius horæ audes iacturam facere, cum per æternitatem non poteris Deo satisfacere pro beneficio minimo, quod hoc momento accipis, ex infinito amore Dei procedēti? Sic ergo statue secuturi mensis tempore uti, ut totum illius spatium: sit tibi ad meritorum cumulum. Solue cito, sine procrastinatione, quæ Deo debes nomina. Quia:

Si cito non soluis, te magno crimine voluis.

1. DIES OCTOBER.

October. **Quid angeli de his quæ scienda sunt, nescIunt, qui scientem omnia sciunt? *S. Gregorius libr. 2. Moral.***

Angelus custos. I. DVco huius mensis principium, à quo Deus cæpit creandi principium, ab Angelo. Erit enim hic mensis tibi ad salutem auspicatissimus, si sub Angeli tui tutelaris exigas auspiciis. Quam primum Deus Angelos procreauit, simul quibusdam ex iis reuelauit fore, ut certo tempore, certi homines illorum tutelæ essent in terris committendi. Nec enim poterant hoc nescire, qui scientem omnia sciebant. O quantum quilibet Angelus inter cælestes illas, quibus circumfluebant, delitias, anhelabat ad illud sæculum, & illius sæculi annum, & illius anni mensem, & illius mensis diem, quo erat ille nasciturus, cuius ipse curam erat susceperturus! Tandem post multa sæculorum volumina, adest sæculum illis optatissimum, nobis fortunatissimum, quo illi nostrorum curam cæperunt gerere, nos sub illorum tutela cæpimus viuere. Iam eluceſcebat dies nobis natalis, qui illis semper fuerat in votis. Et ecce, eodem momento quo nos egressi sumus de matris vtero, ipsi descenderunt de cœlo empyreo. Vix ergo fueras natus, & ecce adest tibi Angelus ad latus. Visa iam tam nobili Animâ, gratulabatur sibi de impositâ à Deo sibi prouinciâ. Osculatur, dissuauiatur, amplexatur in corpore infantili Animam. Orditur mox tutelaris præsidiis officium, promittit omne obsequium.

Ps. 90. 11. II. Hic ergo dictum puta illud Dauidici metri. *Angelis suis Deus mandauit de te, ut custodiant te in omnibus viis suis.* *Angelis* suis tam præstantibus spiritibus, aulæ suæ ministris, Maiestatis suæ ephæbis, familiæ suæ œconomis, militiæ suæ antesignanis, *mandauit*, non tantum, quod amici est, commendauit, sed quod Domini, mandauit, *de te.* Mandauit tam nobili Genio, de te tam humili vermiculo. *Vt custodiat te.* Quidquid habet in intellectu perspicacitatis, in voluntate bonitatis, in viribus roboris, hoc totum impendit, ut te custodiat. Itaque si quis unquam fuerit bonus, ad bonum motus in voluntate; Si quæ rara illustratio in Intellectu; si quæ Divina inspiratio in mente, si ardor cælestis in corde; si verecundia in fronte; si quies in conscientia, si exultatio in spiritu; agnosce esse beneficium cælestis illius spiritus.

Digitized by Google

spiritus. Verbo complectar omnia: si dixero, Angeli tui beneficio te effu- Octob.
gere omnia corporis, & Animæ mala, consequi omnia utriusque bona. Ille tibi semper, & ubique individuus est socius, vitæ tuæ totius testis, ipse oculatus singulorum factorum speculator.

III. Itaque ut illum prosequaris officiis, qui te sibi tot obligauit beneficiis, unum, alterumque officij genus suggero. In primis ipsum diem tibi natalem illius amori, & obsequio totum consecra. In promptu est causa; quia illa est ipsissima dies, qua propter te, & propter tuam salutem, Angelus descendit de cælo, ut tibi hic adsisteret in terris: illa die te suscepit in suum clientem, cum promisso numquam te deserendi, nisi assequereris tuam salutem. Quid igitur ages illa die, ut post Angeli tot beneficia, sis gratus tuo benefactori? Primum, pernigilio illius diei, ieiunio, aut alia corporis maceratione, testare quod bene sit corpori, illius deberi custodiæ. Corpus ergo hactenus præseruatum, in honorem Angeli præseruantis, aliquid patiatur. Quia vero præter corpus & animum seruauit: ipso die expiatum sacra exomologesi, & Divino epulo pastum, illi offer. De Herode, monstro illo hominis, scribit Euangelista. *Herodes natalis sui cœnam fecit* Mar. 6. 21.
Principibus, & tribunis, & primis Galilææ. Cœnam tam opiperam struxit illud portentum impietatis, die illo quo fuerat natus, cui melius fuisset si nunquam natus fuisset in mundo. Cur tu Angelum tuum non inuites ad cœnam illam magnam, non quidem ut ea pascatur, sed ut te videat pascentem? O quanto perfunderis gaudio, dum tibi persuadebis Angelum tuum adsistere huic Divino conuiuio? Præsertim cum ille, quo pasceris, & qui de cœlo descendit panis, sit panis Angelorum: verius enim dixeris de illo cælesti pane, quam de corporali, Poëta:

Quando deest panis, tunc est cibus omnis inanis.

2. DIES OCTOB.

Dominetur vitiis ratio, subiiciatur corpus animo, & impleta est tota hominis perfectio? *Prosper l. de Vit. contemp.*

I. HActenus in hunc vnum collineauimus scopum, ut declinares à malo, & faceres bonum. Obiecimus menti declinanda vitia, & quæ Perfectio.
ex vitiis oriuntur peccata: deinde facienda, sive virtutum exercitia, & quæ

Digitized by Google

Octob. ex illis comparantur, animæ ornamenta. Illa mala si fugias. Hæc bona si facias, non tantum eris bonus, sed in omni bono perfectus. Quia vitiis exterminatis dominabitur Ratio, illa dominante, erit animus Dominus corporis, & hæc est tota perfectio hominis. Ad hanc perfectionem, deinceps erit labor meus, Intellectum instruere, Voluntatem accendere. Nos in multis accusamus naturam, in plurimis condemnamus fortunam: utraque innocens est humanæ conditioni, imo ambæ liberales. Fortuna ita sua distribuit, ut nulli non tribuat. Illud est mirabile, & miserabile, cum plerique maledicant Fortunæ, omnes tamen ament fortunas: Maior culpa aliquorum Philosophorum fuit, culpare Naturam, quasi homines non agnoscat filios, sed priuignos; quos si non odium, fastidium nouercarum negligit. Cætera animalia diligentius, dices curasse, consentanea, vnumquodque supellectili, ab ipso donauit ortu: solum hominem imbellem, nudum, indignum, inermem, depilem reliquit. Sed si omnia nobis dedisset Natura, quid daret nobis Ratio? Hoc maius beneficium illi debemus, quod noluerit liberalis esse, hoc ipso iam liberalis, & virtutis suæ memor.

II. Non fuit in homines Natura nec auara, nec prodiga: nulli quod necesse est denegat, nec quod non est necesse, erogat. Fateor, non homini dedit falcatos dentes, ut apro, nec vncinatos ungues, ut Leoni; non solidos, & missiles, ut equo, quibus funda calces sunt: non pellicea tela, ut hystricibus, quibus arcus, & pharetra, cutis est; non trasatiles domos, ut testitudini: non loricas cuticulares, ut testaceis: non muros spiculatos, ut echinis: non denique amicit setis, spinis, plumis, corticibus, crustis, testis, pilis; sed exermem, exutumque reliquit. Solum cerebrum, caputque inter humanos artus texit, & protexit, quasi reuerita in arce, ac capitolio suo animum: quo integro, & curato, omnia in tuto sunt. Animus præponderat solus tot illecebris, tot blandimentis, tot curis, quibus fœtus suos reliquos Natura mulcet, fouet, & fauet. Quid ni hic dixerit homo quod olim M. Curius, qui ingens auri pondus offerentibus recusauit, dicens: malle se imperare locupletibus, quam esse locupletem. Ita, non est quod homo inuideat aliis animantibus, quæ Natura instruxit tot dotibus: præstat nudum, & solo animo dominum esse Naturæ, & Fortunæ. Absque magno apparatu habet homo, quæ omnia habent. Vnum animi pignus, cunctorum diuitiis animantium æquiualet. Huic si subiiciatur corpus, & hic Deo, fruitur omni, quod potest optare, bono.

III. Ut porro hoc assequatur, suggero conlia, suppedito præsidia. Ad hoc inprimis opus est, non tantum duce, sed & comite, imo & pedissequa Gratia, sine qua omnis nostra ad perfectionem via, est devia. Cum hac igi-

tur

tur certum est dari aliquam artem, qua animus corpus subiiciat sibi, se nulli, nisi Deo. Cadit sub disciplinam aliquam, volendi, & nolendi modus, ut fabricemus columen in discrimine, fortunam in infortuniis, tranquillitatem in tumultibus, gaudium in tormentis; atque adeo priuemus Fortunam, & naturam, omnibus, quibus nos cruciant instrumentis. Ludi, spectacula, musica, conuiuia, infirma sunt artificia dolori, & affectibus placandis. Hæc, & alia adhilarandi organa, non possunt esse, nisi ad tempus obstacula, non antidota: possunt ægritudinem suspendere, non eximere: præsto, sub manu, imo sub sinu, est pharmacum miseriæ, in pharmacopolia animæ. Instrumentum instrumentorum, manus est: Aristoteles illam dixit, organum ante organa: quia sine manu nostra, manca sunt cætera, & inutilia, quippe inertia, exanimia, nisi artus spiritu, & motu animet humana dextera. Transtulit illam laudem ad Mentem Galenus, quod artificia inuenerit omnia, & dirigat, ipsamque manu ducat. Tametsi parum potest Mens sine Voluntate, illa quidem suggerit facienda, hæc præcipit vt faciat. Supplet Voluntas, quæ dare Natura deberet, Fortuna posset, ingeniū dedit: plus donat libertate sua, quam liberalitate Natura, quam prodigalitate Fortuna, quam solicitudine Industria. Dedit omnia, cum dederit nullius egere: dedit plus quam possit dari: Sed nos miseri amamus nostras miserias, dum voluntatem maligno amandi, & abominandi vsu in nos metipsos armamus & ferocire cogimus. Nihil vsitatius homini est, quam velle, nihil inusitatius, quam bene vell.. Recurrat Voluntas humana ad Divinam, ut fontes ad flumina, & hæc ad Maria, & erit Divina. Enim vero, nihil hoc carmine verius: Octob.

Vndiq; per montes currunt ad flumina fontes.

3. DIES OCTOB.

Hæc est in omnibus sola perfectio, suæ imperfectionis cognitio? S. *Hieronymus epist. ad Theodoret.*

I. NVllus tam est catus, sit licet Cato, in quo non plus requiratur, quam reperiatur Prudentiæ; Nemo est tam sapiens, quin plura nesciat, quam sciat: ut bene Sidonius. *Nullus scit mihi crede, quanta nesciat.* Nullus tam Cognitio sui.

Digitized by Google

Octob. *Carm. 9.* lers, quia in pluribus hallucinetur, quam recte operetur. Denique nullus adeo est perfectus, quin plus, ei Virtutis desit, quam adsit. Illud nimis quam certum: hic inter mortales, ex mortalibus, cum mortalibus, nihil est perfectum. *l. 1.* *Nulli fuere tales, in quibus nihil ipsa desideraret Integritas,* inquit Arnobius: *omnis enim perfectus, perfectione est indigus*: ut scite Fulgentius. Magna tamen est Perfectio, suæ imperfectionis cognitio. Suffragatur mihi D. Leo. *Ad Menin. l. 1. Serm. 2. Quadrag.* *Perfectorum iustitia est, ut nunquam præsumant se esse perfectos.* Hæc tuæ imperfectionis cognitio, elatos deprimit, inflatos extenuat, contumaces, Deo submittit. Quam multæ nobis per eam naturæ necessitates aperiuntur? quam multa nobis pericula patefiunt? quam frequentes mundi technæ, & Dæmonis strophæ deteguntur? Hæc ante oculos posita, non sinunt nos nobis imponere. Quis enim sit tam amens, qui ex propriis miseriis efferatur animo? Quis tam excors, qui eisdem ante oculos subiectis, non elationem omnem abiiciat, non pro securitate metum, pro voluptate dolorem, pro hilaritate mœrorem suscipiat?

II. Hoc porro interest inter hanc scientiam, & alias, quibus imbuimur, quod si vnam ex cæteris scientiis perceperis, non continuo alteram pernoueris, nisi perdiscas: qui Mathematicam tenet, non statim Philosophiã assequitur: vel si ignarus sit Philosophiæ, non idcirco est iuris ciuilis peritus, nisi ad illud percipiendum incumbat. Verum qui in hac scientia elaborauerit, nullo fere alio labore, nulla aliâ operâ adhibitâ, in alterâ etiam præstantissimâ, ac saluti nostræ necessariâ, doctus existet: nimirum in Dei immortalis notitia. Quis enim Deum tam nobis aperit, atque adeo pene ante oculos statuit, quam misereriarum nostrarum aspectus? ad quas si te conuertas, confestim in Deum te abripi sentias. Quid ni igitur tibi dixero quod olim Philemon? Homo cum scis, hoc fac ut intelligas, & semper eris homo. Vsus est hac sui cognitione, pro medicamento arrogãtiæ Philippus Macedo, qui cum ad Chæronæam Athenienses vicisset, animum elatum ratione compescuit, & nequid deinceps per fastum faceret, hoc instituit, ut quotidie mane excitaretur è somno his verbis. *Surge Rex, & hominem te esse cogita.* Hæc vna scientia aliis omnibus, non tantum præit sed præest.

III. Quid mihi conferet omnium linguarum peregrinarum notitia, si linguam ego meam à carpenda aliorum vitâ non refræno? Quid plurimos libros euoluere, si nihil aliud inde discam, quam alios dolis meis involuere? Quid stellarum vires, & elementorum motus scire me iuuat: si à vitiis animum non remoueam? Oro te, quid nautæ prodest, artem nauigandi scire, & tempestate mergi? Quid artis bellicæ peritum iuuat, de bello multa

lo multa iactare,& prælij committendi rudem esse? nunquam is donabitur rudi. Quid viæ ducem, aliis viarum compendia demonstrare, si à via ipsemet aberret? Sine sui cognitione, omnes qui naturæ dotibus excellunt, dicere licet eos gladium tenere, quo se lædant, ac cædant, ignem humeris gerere quo conflagrent: restim collo, qua frangulenter: pugiones in pectore, quibus transfodiantur: spinas in pedibus, quibus configantur; saxa, ad quæ pedibus impactis cespitent, & cespitando cadant, & cadendo iaceant, & iacendo pereant. Denique sine illa cognitione, omnia quæ accepimus ad vsum vitæ, conuertimus ad vsum culpæ. Prodidit se Philosophum Demonax, dum interrogatus quandonam cœpisset philosophari, respondit, dum cognoscere meipsum incæpi. Ita tunc didicisti primum sapere, quando incepisti, te ipsum noscere. Bias, ut homines ad sui cognitionem duceret, iubebat ut in speculo vnusquisque suas actiones contemplaretur, ut honestas magis ornaret, turpes vero emendaret. Non tibi exhibebo quibus te inspicias specula, sed quibus te admoneas, & velut è specula tibi ipsi manè dū cuigilas, excites, dicēdo, Nosce te ipsum. Hac doctrina destitutus, fis vita, & moribus dissolutus. Imo vis vnum interrogem, & respondeam, quod erit Veritatis quasi axioma?

Hac sine doctrina, quid vita est? Cœda latrina.

Octob.

4. DIES OCTOB.

Deus meus, & omnia? *S. Franciscus.*

I. HVnc diem suo iure vendicat sibi maximus Minorum Patriarcha, Franciscus, qui, quod est Seraphinus inter Angelos, hoc est ipse inter homines. Seraphicum suum in Deum amorem prodidit potissimum hac sua tessera, sibi perquam familiari. *Deus meus, & omnia.* Rem compendio perstringam. Inuitauerat D. Franciscū ad cœnam Bernardus à Quinta-Valle, vnus è proceribus ciuitatis Assisij. Cœna absoluta, in eodem ambo quieuere cubiculi. Franciscus statim decubuit in lecto, & alte se dormire, & profunde stertere, pio astu simulauit. Cum porro Bernardum crederet dormire: in profundo noctis silentio, surgit è lecto, & leuata facie in cœlum, manibus, & oculis in Deum totus intentus, maximo cum pietatis sensu, hæc verba ingeminabat, Deus meus, & omnia. Et quidem noctes ipsas quatuor, trium horum verborum commentatione, & creberrima repetitione,

Octob. titione, non semel, summâ cum animi sui voluptate transegit. Quasi secum ipse hæc secum diceret, cum illa toties repeteret. Millies hoc dicam, millies hoc cogitabo, millies hoc, & usque, & usque, & usque millies repetam: neque enim vel dicere possum quid maius, vel cogitare quid melius, quam Deus meus, & omnia. Alij alia quærant, alia desiderent, vnum ego Deum meum quæro, Deum desidero. *O Deus meus, & omnia.*

II. Opes aliis, & honores, voluptates aliis vniuersas relinquo: Deum ego habeam, & omnia habeo. Totos ego aliis mundos concedo: aureos, & gemmeos montes, non inuideo, summas delitias permitto: mihi Deus meus est omnia. Nihil ita bonum, nihil ita pulchrum, nihil ita iucundum, quin summum illud, & primum bonum sit infinities melius, pulchrius, iucundius. Quam me varia sæpe accendunt desideria, quam diuersis subinde æstuo cupiditatibus? ita ut cum lunatico illo adolescente, modo ignem, modo in aquam rapiar. Sed quænam illa tanta bona sunt, quæ ego tam anxie appeto? Num, vel istud genus edulij, aut potionis? Deus meus, cibus meus, potus meus, & omnia: num hoc vel istud genus relaxionis, aut voluptatis? Deus meus, gaudium meum, voluptas mea, & omnia: num hoc vel istud genus honoris, aut dignitatis? Deus meus honor meus, mea dignitas, & mea omnia. Quid est tandem quod appetere possim, & cuius loco mihi Deus non sit, & sit omnia? Mihi Epulatio, mihi Oblectatio, mihi quies, mihi thesaurus Deus est; mihi Deus omnia, & plusquam omnia: nam etsi cibis, quibus inhio vesci; potu, quem sitio, refici; voluptate, quam ardeo, frui; honores quos expeto assequi liceat, quid istud vesci, refici, & frui, & assequi? *Deus meus & omnia.* At vero labor premit, dolor affligit, curæ distrahunt, homo turbat, & exagitat. Nihil horum metuendum; neque enim hæc omnia, licet simul ingruant, mala sunt, si summum illud bonum opituletur, Deus: Deus meus & omnia.

III. Tu mihi ô bone Deus! ô Bonitas, tu in labore requies, in dolore voluptas, in curis securitas: tu mihi ab omni hominum tumultu, & insultu propugnaculum tutissimum: tu mihi ab omni malo refugium, tu mihi es omnia, quæcunque desiderare possum. Ergo quandocunque in posterum, & quodcumque bonum appetiero: hoc ipse mihi semper occinam: Deus meus & omnia. Desine ô homo impuros riuos sectari, cum fontem purissimum habeas. In vno habes omnia. Hinc disce sub magisterio D. Francisci in gymnasio Spiritus Sancti diuinitus edocti: illum cui Deus est omnia, secum vehere expeditam Gaudij officinam. Deus, & homo solitarij satis sunt: quisque sufficit sibi: cuique inquam, sufficit, quod suum est. Unum puto ex omnibus felicem, qui in vno Deo, se, & sua ponit omnia.

Digitized by Google

nia. Philosophus ille Prienensis, cum captâ patriâ, onusti rerum suarum sarcinis universi fungerent, nihil sustulit: rogatus causam: omnia mea, inquit, mecum porto. Noverat rem portatu facilem, sine onere tamen, felicitatem esse. Ille alter, Aristippus aliquis, post naufragium, nudus venit Rhodum, cæteris iacturam suam lamentantibus, ipse alacris, quia ex fluctibus detulerat omnia sua, dum se. Ita is, cui unus Deus est omnia, in ipso oceano portum secum portat, non modo in mari sed in ipsa terra procellosæ fortunæ. Nec importunitas laborum, nec timor discriminis, nec sensus cruciatuum, nec pudor opprobrij, nec incommoda paupertatis, incommodabunt illi, non obruent eius gaudium, non turbabũt quietem domesticam cordis, non munitam modo, sed securam. Inter omnia igitur, quæ tibi eveniunt, sæpius tibi occinne illud D. Francisci Symbolum, Deus meus & omnia, cui accinit Poëta Octob.

Est mihi cuncta meus, quæ quo velle, Deus.

5. DIES OCTOB.

Non orietur ei sol gloriæ, cui non fuerit ortus sol justitiæ? *S. Bernardus. Serm. 5. in Vigil. Nativ.*

I. NEmo in hac valle lachrymarum tantæ est obnoxius miseriæ, qui non sit candidatus æternæ gloriæ. Sed ad gloriam non est alia semita, nisi iustitia. Sicut duplex est vita, altera mortalis, quam hic agimus; altera immortalis, quam expectamus; sic duplex est sol, pro duplici vita; pro hac vita, sol Iustitiæ, sive Gratiæ, prō altera, sol Gloriæ. Tu hunc qui mundum illustrat solē imitare, si velis solé Gloriæ tibi allucere. Quotidiana mentis innovatio, solis est mitatio. Sol quotie occidit, & oritur, hoc est, quotidie quasi & nascitur, & moritur. Sic quotidie in te occidant, quæ ducunt ad animæ occasum, Vitia; moriatur in te Iracundia, superbia, Acedia, Intemperantia, tot quot in te dominãtur Vitia, tot à te efferantur funera. Sic ęris sol occidens, dum excusseris vesperi animum, illa in te occident, quæ animam occidunt, Esto & mane sol oriens, & quasi denuo nascens: nascatur in te, sicut modo genito infante, novus spiritus ardor, nova in Virtutum exercitiis diligentia, nascatur in te Pudicitia, Modestia, Temperantia, Tolerantia, singulæ denique Virtutes. Tunc orietur tibi quotidie sol justitiæ, & indubiè post occasum mortalis vitæ, orietur tibi sol immortalis gloriæ. Renovatio spiritus.

Digitized by Google

Octob. II. Sic vive hoc die, quasi certo moriturus, hac, quæ sequetur, nocte. Tanta omnium virium contentione incumbe in Dei obsequium, perinde ac si omnes homines simul hoc essent à Deo primum procreati, quorum unus tantum è toto numero, esset donandus æterna gloriâ, is videlicet, qui maximo animi ardore, & spiritus feruore, Deo famularetur, eique summe placere conniteretur. Ad quem finem cum reliquis indultum foret spatium centum annorum, tibi tantum indulgeretur spatium illius diei. Quid tunc ageres, imo quid tunc non ageres? Esset ne in omni illo die momentum, vel sterile aliquo in Deum obsequio, aut non fertile insigni merito? Revoca sæpe in memoriam, sanctorum axiomata, quæ spiritui sint, quibus ad curriculum inciteretur calcaria. Quale est istud S. Antonij. *Vbique possumus invenire cælum, modo cor hominis sit in corde Dei*: Et illud S. Alberti: *stupeo nos posse credere Deum esse Deum, & tam tepide nos ei servire.* Et aliud eiusdem. *Non attendas quid facias, sed quid te facere oportet, quid posses facere, si fineres te a Deo duci*, itemque S. Odonis. *Homo solus parum potest, sed Deus, & homo concordantes, omnia possunt.* Denique illud S. Romualdi. *O Romualde si permitteres Dei gratiam operari in anima tua, quid non faceres? miser, vis per te facere, & totum corrumpis.*

III. O mentis cæcitas! ô voluntatis perversitas! nos tam multa ex Fide, qua illustrati sumus, audire, tam mira videre, tam stupenda scire, tam prodigiosa cognoscere, & tamen non credere? aut si credimus, minime expendere, aut si expendimus, tam parum apprehendere. Sana præterire ut aliena, negligere ut inutilia, sæpe ridere, ut stulta, contemnere insomnia, abominari ut noxia, & aversari ut vitæ, tempori, loco muneri inconvenientia, & repugnantia. Nonne ut olim discipulis, sic modo nobis merito, exprobraverit incredulitatem nostram, & duritiem cordis Christus, quia his qui viderunt, non credimus. O incredulitas exitiabilis! O durities cordis detestabilis! non credere tot expertis, non assentiri tantæ fidei viris, tanti nominis divis! Qui cum omnes una voce prædicent, semitam in cælum angustam, viam asperam, nos tamen quærimus latam, ingredimur planam, & plus credimus nostræ temeritati quam ipsi Deo, ipsi veritati. *Contendite*, inquit, *intrare per angustam portam* & Quomodo ergo poterunt, qui non contendunt? aut quomodo contendunt, qui contendendum non credunt? aut quomodo credunt, qui non satagunt? certe non satagunt, qui non aliter contendunt, qui ita quiescunt, qui visâ tanta aliorum contentione auditâ contentione difficultatis, intellectâ difficultatis necessitate, turpiter stertunt; & vix stare curant, cum stare tamen, quin deficiat, posse neminem audiant. Aut ergo tales necesse est Deo ipsi detrahant

M. 16.

Matt. 7. 13.

trahant fidem, aut suam desperent salutem, qui tam expressam spernunt monitionem. Ne te in illo tuo tam laudabili curriculo retardet difficultas, & labor, cogita bravium, suspice cælum, obijce tibi gaudium. Octob.

Quantum gaudebunt, quos gaudia summa replebunt.

6. DIES OCTOB.

Vbi Deus Magister est, quam cito discitur, quod docetur? *S. Leo Serm. 1. depente.*

I. VT sis homo novus, necesse est tibi sit magister. Homo Deus. Illo te docente, & te sub illo discente, qui antea eras discipulus errorum, evades Magister Virtutum. Discis tu bene vivere, docebis alios bene agere. Prima tibi volenti te totum innovari, sit cura, reformare intellectum, qui inter facultates Animi, tenet principatum. Rationem quæris? in promptu est: Quia qualis est intellectus, talis est reliqua tota intellectualis creatura, talis est & Voluntas, talis uterque appetitus, tales affectus, tales oculi, talis lingua, talis denique totus homo interior. Ab intellectu tanquam à Rectore civitatis, sive tanquam à Patre familias, sic pendent omnia, ut quantum Intellectus de veritatibus fuerit persuasus, tantum de illo, ac de cæteris cuiuscumque hominis partibus, dici possit illud Euangelicum. *Credidit ipse, & domus eius tota.* Tota se conformabit Intellectui. Est Intellectus consiliarius Voluntatis, prout enarrat, prout hortatur, prout nuit ille, ruit pene ista. Voluntas, velut virgo pudica in claustris, nihil per se videns, nihil audiens, nisi quod unus famulus renuntiet, dicta credit omnia: ita solum sequitur Voluntas fidem Mentis, ex cuius dicto præcipuum momentum tranquillitatis suspenditur, si veridicus sit nuntius nec falsis rumoribus infestet pacem cordis. Intellectus Reformatio. *Ioan. 4. 50.*

II. Duæ sunt ianuæ miseriæ, aut quia pessimè iudicamus, aut quia amamus, Ne pessime amemus, opus est intellectum veridicis cogitationibus ornare, & tantum non onerare, ut in promptu sint. Oportet itaque habere copiosum præclarorum axiomatum apparatum, & veritatum supellectilem, & magnifica sensa animi. Gemmæ gestantur adversus pericula, & casus: gestentur adversus casus fortunæ, & discrimina animi, si non Christiani, saltem Philosophici sensus. Occurrit menti lacero suggestu, lugubrique supercilio Paupertas. Obveniat illud Secundi Philosophi; *Pau-*

Octob. *pertas eſt ſanitatis mater, curarum remotio, ſapientia repertrix, negotium ſine damno, poſſeſſio abſque calumnia, ſine ſolicitudine felicitas.* Occurret inſatiabilis habendi cupidus? oppone illud Eucherij. *Melius eſt nolle quæ non habeas, quam habere quæ velis.* Perſtringet te ſuo fulgore aurum? Obſcurabitur hoc D. Ambroſij pronunciato. *Aurum ſi diligentius tractes, foris pretium, intus metallum eſt.* Inſtigat te dignitatis cupido? Occurrat ſtatim illud Salviani. *Quid eſt dignitas in indigno, niſi ornamentum in luto?* Alliciet te falſa libertas? Repulſam patietur ambitio tua, ſi occurrat, illud Senecæ. *Liber animus eſt, ac erectus, alia ſubijciens ſibi, ſe nulli.* Titillat te in muliere formæ venuſtas: oppone illud Secundi Philoſophi. *Mulier eſt hominis confuſio, inſatiabilis beſtia, continua ſolicitudo, indeficiens pugna, viri incontinentis naufragium, hominis mancipium.* Ita cupiditates oportet manſuefacere familiaribus rationibus, ac veritatibus aſſuetis in procinctu ad omnem fortunę libidinem.

De contemp. l. 5. Epiſt. 31.

Ad Eccleſ. l. 2. Epiſt. 126.

III. Hoc pacto velut flores aliqui ſequuntur ſolem, affectus pulchri convertuntur ad lumen Rationis, ſequentes verum. Sed multum acuitur Intellectus Virtute: Nullus enim eſſe tam perſpicax Intellectus poteſt, qui vitiis dominantibus non hallucinetur, & in varios errores non prolabatur. Nam de rebus perinde, ut affecti ſumus, iudicamus. Hinc opinionum portenta, hinc ſectarum diuortia, hinc Hæreticorum turbulenta diſſidia fluxerunt, quæ enim quiſque appetebat, ſic ad ea præceps amentia ferebatur, ut cum eſſet flagitioſiſſima, tamen ſancta eſſe opinaretur, & crederet: nam facile quæ volumus, credimus, nec cupiditatem Rationi, ſed Rationem cupiditati parere cogimus. Ergo morum corruptelam, tanta mentis eſt cæcitas conſequuta, ut nefarijs ſceleribus, non impunitas modo, ſed Divinitas ſæpe ſit tributa: ſiquidem amorem illum, quo homines turpiſſimas voluptates inflamato animo concupiſcunt, Deum ſummum Poëta Cæcilius appellavit. Contra, qui ſobrij, qui temperantes, qui verecundi, qui caſti, prudentiſſime loquuntur, latentemque eruunt Veritatem. Ex quo efficitur, ut temperatione corporis valde proficiamus in ſcientijs, compreſſis illis partibus, quæ nimio cibo, & potione immoderatâ exultare, immodiceque iactari ſolent. Saluber enim, & moderatus cultus, & victus teſte Socrate, animi partem illam, quæ mentis, & conſilij eſt, agitat, exſuſcitat, erigit. Contra veriſſimum eſt illud adagium. *Plenus venter, non ſtudet libenter* Concordat cum illo adagio, Poëtæ axioma.

Ebrius atque ſatur, nunquam bene philoſophatur.

7. DIES OCTOB.

Non hominibus tantum sed & rebus persona demenda est, & reddenda facies sua? *Seneca Epist.* 24. Octob.

I. NE erret Intellectus,& cum eo Affectus, ille iudicando, hic amando,corrigenda est Imaginatio,quæ dum fingit,& pingit varias,& vanas imagines,creatur multis æterna pernicies. Imaginatio imponit rebus omnibus laruam,inducit eas velut in theatrum personatas: Sic ut aliter intellectui appareant,quam sint. Sed iuxta monitum tesseræ, sive consilium Senecæ,detrahenda est rebus persona,ut eam de facie cognoscamus. Nam personata illa bonitas,quam nostra fabrefecit Imaginatio,delicatissima,& tenuis est,contactu dispergitur,comprehensione diffluit, interque digitos collabitur,quasi aquam pugno stringeres. Si non tædeat, nec pigeat, ducam te ad fontem ipsissimum omnis,vel quod patimur, vel facimus, mali. Quod vetat Deus homini tanquam malum animæ,hoc Dæmon proponit homini,tanquã bonum corporis,ut sic in vetitum sub specie boni tendat, atque ita malus esse contendat. Quod autem iubet Deus homini bonum, hoc Dæmon ei repræsentat ut malum,ut quantum homo aversatur malum, tantum aversetur quod iubet Deus. Hoc est quot luget Isaias. *Va qui dicitis malum, bonum, & bonum malum &c.* Hinc plane omnis origo perditionis: nam sicut perditio est à peccato, ita peccatum ab hac falsa boni, & mali Imaginatione. Vide hic catenatam malorum seriem. Imaginatio. c. 5.

II. Non peccamus nisi voluntate,voluntas non peccat, nisi dum se à bono convertit ad malum,non ita se convertit,nisi ab Intellectu mota,non ita movetur ab Intellectu, nisi ipse intellectus erret, non errat intellectus, nisi per sensus corrumpatur, non corrumpitur nisi tentatus, non tentatur nisi à concupiscentia,concupiscentiam inflammat Dæmon cum illa contra nos convenit, ut nos circumveniat. Hic potes observare hanc malorum catenam trahi ab intellectu errante,inducique in hunc errorem ab imaginatione. Sed unde quædam quæ apprehendimus bona, sonant tam magnifice, mulcent tam blande? Unde perfido perstringimur fulgore? Nihil est nisi videri,est purpurata umbra, intus seletus;& solum compago nullitatis,& solidum nihil, & rarum deceptionis artificium, quorum animi, &

Octob. vita putari est nimirum talis cuique quælibet res apparet, qualem ei imaginatio larvam imposuerit, fit nonnunquam ut duo quidam simillima, & eâdem cruce premantur, v. g. Paupertatis molestiâ: alter excitatioris animi, suam crucem putat esse levem, imo plumeam, alter abiectioris gravem, imo plumbeam. Hic res eadem est, sed opinio diversa. Mala nostra ad opinionem nostram aut crescunt, aut decrescunt. Gravia patitur, qui hoc unum iam sibi persuasit, se pati gravia. Hinc prudenter imaginationem pluviæ assimilant; quæ in terras illapsa, lexcentas rarunculas procreat. Non male imaginatio Venetorum conspiciliis conferatur, quæ turbam è viginti circiter militibus, aspectabilem representant exercitum.

III. Perinde liberæ mentis conceptus imaginando componimus, sicut imponimus rebus nomina, nobis tamen sic imponimus. Placitum humanum fuit hanc vocem *Leo*, fortissimum animal, istam, *homo*, sapientissimum nominare, poterat & ex consensione populorum, nomen *Leo* significare timidissimum, & fugacissimum leporem, vel bardum asinum, sicut nunc animosissimum, & regium animal. Poterat & vocabulum homo, insulsum peponem, indicare: communi conuentione ita pactum est, non naturâ suâ: pari abutimur libertate conceptibus nostris, & libero, peruerso tamen, hominum consensu, opinionem magnitudinis, & pretij tribuimus. Non quæ habent magnitudinem, sed habere volumus. Sic maioris æstimamus aurum, metallum iners humanis vsibus, quam ferrum nobis tam officiosum. Possent, & eâdem conuentione gentium, commutari opiniones, & pretia rebus indita: Errauerunt apud nos primi rerum taxatores: elegere ad beatitatis titulum, quæ sit necesse inquirere, quæque natura, quia vetuit, abscondit. Cur in æstimatione auri, relegamus felicitatem ad terræ viscera, subter saxa, & fimum, ad Inferorum suburbia? Quomodo ex regione miseriæ efferet se felicitas? Hoc placitum nostrum fuit; placeat mutare, & iniquum rescindere opinionis pactum, & felices inter miserias erimus. Præclare igitur dixit Epictetus. *Homines perturbantur non rebus, sed iis quas de rebus habent opinionibus; verbi causa: Mors non est malum; alioquin etiam & Socrati ita visum esset, sed opinio de morte, quæ malum eam facit. Cum igitur impedimur, aut distrahimur, non alios culpemus, sed nos metipsos: hoc est nostras opiniones.* Itaque:

Euchrid. c. 19.

Vanos mitte metus, cupias si viuere lætus.

Digitized by Google

8. DIES OCTOB.

Cor cogitando tenetur in crimine, licet corpus immune videatur ab opere? *D. Chrysostomus.* *De leuium peccator pericul.* Octob.

I. QVisquis metuit non tantum crimen, sed illius vel discrimen, in gyrum Rationis reuocet palantis animi cogitationes. Nam ut sis reus criminis, non opus est opere. Sufficit cum voto, sola cogitatio operis. Ut igitur non tantum prudenter regas, sed feliciter dirigas Intellectum, diligenter obserua quo ille cogitando euagetur. Vin causam intelligere? attende ad verba D. Hilarij. *Humanæ mentis natura est, ut si cogitatione aliquid contemplemur, talem se nobis vnaquæque species exhibeat, qualem eam, & cogitando formemus. Quoquo enim mentis nostræ oculos intenderimus, id ipsum, in quo defixi sunt, referunt ad sensum. Et ut planius intelligi id, quod dictum est, possit, afferimus exemplum. Si quis hyemali die ver cogitauerit, & ornatum eius, lumine mentis inspexerit, obliterata hyeme, in quâ sit, atque algeat, totum ei in sensu suo ver cum habitu sui, ornatuq; consistet: adeo mentis oculi corporis præstant, ut ineunte in eos obliuione præsentium, totos nos obtineat, quidam quasi animo præsumptus usus præsentium.* Itaque licet sit bruma tempore, Ver est illi in mente. Et dum alget in Februario, inter niues, mens quasi calet in Majo inter flores: & dum sedet corpore ad prunas, animus versatur inter rosas. Ita si Intellectus iugiter occupetur rebus cælestibus, licet corpus sit in terris, conuersatio nostra erit in cælis. Cogitationes prudenter regendæ. *In Psal. 120.*

II. Non pudeat nos qui sumus in Christi gymnasio, imitari Indorum Gymnosophistas. Illi ab ortu solis, ad occasum usque, eodem in loco perstabant: alternis sæpe pedibus toto die, feruentissimis arenis insistebant, solemque immobilibus oculis contuebantur, ut sic animum contemplatione exercerent. Alium habes solem, quem cogitando contempleris, quem sol & luna mirantur, est sol qui oriens ex alto, illuminabat te, cum sederes in tenebris, & umbra mortis, quid ni tota die, tota mentis acie illum contemplaris, cuius contemplatio, mentis est illustratio? sic illum solem contemplabatur, in solitudine Magnus Antonius. Tantum enim erat eius precandi studium, ut solidas subinde noctes, fixis in terram genibus exigeret, quemque rite precantem sol occidens demiserat, in eodem vestigio, oriēs itidem,

itidem, croceo primæ lucis radio inauraret: ideoque piis hisce solem querelis incessebat. *Quid me impedis sol, qui ad hoc iam oreris, ut me ab huius veri luminis abstrahas claritate?* Primus mentis intuitus, dum sol mane oritur, & tu è strato te erigis, sit in illum, qui solem suum facit oriri super te. Quid dignius prima diei cogitatione, quam antiquus dierum Deus tuus, ut inde auspicetur, & consacretur mens? De quo potiori iure debet esse prima tua cogitatio, quam qui ab æterno de te cogitauit cogitationes pacis? Quamdiu Deus fuit Deus, tam diu tu fuisti in mente Dei; per totam retro æternitatem de te cogitauit, & pigebit te de illo cogitare, vel vna hora? Sopitus de nocte, fuisti quasi mortuus, & illi debes quod non fueris vere mortuus, iam quasi, recens natus, orditis nouam vitam: igitur primitias nouæ vitæ pende Auctori vitæ.

Chrysost. supra.

III. Quælibet cogitatio, est cuiuslibet operis antecambulo Sic enim aureus orator. *Nullus actus non cogitatione præcurrente conficitur, nullum opus non corde præmeditante completur, maxime cũ sermo minister sit cordis, nec quidquã aut actu conficitur, aut sermone profertur, nisi prius ad ipsum cogitando gignatur. Nam etsi aliquando cogitamus, nec gerimus, disponimus, nec implemus, tamen cogitata pro factis tenentur, licet nondum opere compleantur: Facere enim cordis, cogitare est. Qui viderit ad concupiscendum, iam mœchatus est in corde suo. Reus est iam animus, qui cogitauit, licet immune corpus sit ab opere quod non fecit.* Sed ut recte cogitationes dirigas, necesse est ad ipsum Veritatis apicem erigas: ut non hæreat in rerum superficie, sed penetret ipsa adyta. Sunt enim cogitationes quædã, quas egregie Alchuinus, Paralyticas dixit, remissæ, & languidæ, ut cum fortissima, lucidissimaque sit Veritas, non dimicent non micent. Brachium exangue, & mortuum, hærens vegeto humero, licet non doleat, non iuuat: ita sunt quædam cogitationes, tam friuolæ, ut cor nequaquam foueant: adeo flaccidæ, ut illud non concutiant. Eadem sententia à duobus æque audita, æque probata, vnius fodicat, & mordet cor; alterius, nec lambit. Quot sunt qui sæpius audierunt, & probarunt, quod Franciscus, qui statim mũdo renuntiarunt: sed retinuerunt alij suas opes, & quod peius, opera, vitia? Eadem fuerunt verba, eadem & verborum Veritas, illi sensa illorum verborum penetrarunt; hi tantum steterunt in vestibulo; hærebant in cortice, non pertingebant ad medullam. Sic multi vera norunt, & alios docent, & eduntignaui, ut cum alios doceant præclara, recedant indocti eorum quæ docent dogmata. Hoc tamen scito à veritate non alienum:

Dogma tuum sordet, cum te tua culpa remordet.

Digitized by Google

9. DIES OCTOB.

Octob.

Sapiens assuescit futuris malis, & quæ alij diu patiendo leuia faciunt, hic leuia facit diu cogitando? *Seneca epist.* 18.

Præmeditatio malorum.

I. VIta quam agimus duos habet tortores, Timorem, & Dolorem. Alteruter semper hæret à tergore, hinc mœror in pectore. Dum est aduersitas, ferit nos dolor; dum prosperitas, tundit nos Timor. Nam timemus ne quod gratum est, perdamus. Itaque quando tibi bene est, times; quando male est, doles. Ut ab utroque hoc tortore simus immunes, plurimum facit, si mala futura præmeditemur. Quapropter in tranquillitate tempestatē, in sanitate morbum, in diuitiis paupertatem, in prosperis calamitatem, expecta. Quidquid expectatum est diu, lenius accidit. & mali præcogitati mollius ictus venit. Læna fertur, cum catulos defendit, oculorum aciem defigere, ne expauescat venabula. Generosior est Virtutis mos: erigit, tergitque frontem, & aperta discrimina, sereno, securoque intuitu lustrat, & illis præmeditando occurrit; Extra ius fortunæ est; nihil fortuitum videt, omnia expectat. Iaculis prospectis, corpus subducimus: subducit præuisio animum malis: scit illudere, dum eludit. Fugare miserias, aut fugere, non est nostri arbitrij. Præmeditatio illas mitigat. Vis est magna in diuturna familiaritate. Sicuti nimia familiaritas, & conuersatio minuit reuerentiam: ita malorum familiaritas, calamitatum timores extenuat.

II. Præcogitanda ergo sunt omnia, & aduersus ea, quæ possunt euenire, firmandus est animus, ne infirmis fortunæ telis deiiciatur. Tota ante oculos sortis humanæ conditio ponatur: nec quantum frequenter euenit, sed quantum plurimum] potest euenire, præsumamus animo, si nolumus opprimi, nec vllis inusitatis velut nouis stupefieri. In omnia præmittendus est animus: cogitandumque non quicquid solet fieri, sed quidquid potest fieri. Imperetur æquitas animo, & sine querela mortalitatis tributa pendemus. Hyems frigora adducit; algendum est; Intemperies cæli, valetudinem tentat, ægrotandum est. Et fera nobis alicubi occurret, aut homo feris omnibus perniciosior. Aliud aqua, aliud ignis eripiet. Hanc rerum conditionem mutare non possumus, id possimus, Magnum sumere

Octob animum, quo fortiter fortuita patiamur: Interrogatus Diogenes quid in Philosophia didicisset? prompte respondit: Præuidere aduersa, & cum aduenerint, illa patienter ferre. Dies medetur malis, ita & meditatio: atque utraque callus obducitur mœrori. Quædam enim laborum consuetudo, cogitatio est. Dolorem quem alij diu sustinendo, sapiens diu meditando lenit. Maiora videntur quæ accidunt subito; negant enim spatium considerandi, quantula sint.

III. Hæc igitur præmeditare. Dominus es, & imperas? seruire potes. Opes tibi affluunt? Etiam mendicare potes? vires & valetudinem ostentas? vnica te febricula, vnica imo guttula necare potest. Liberi tibi sunt? Vno die omnes extingui possunt. Amici tibi sunt? Et amicis & rebus omnibus vna te horula, momentum vnicum priuare potest. Ad hæc præmeditando te præpara, ut cum mors amicos, aut liberos abstraxerit, dicas quod mulier spartanæ, Sciebam me mortales genuisse. Cum pecunia diffluxerit: sciebam non semper fore meum, quod solo vsu fuerat meum: sero animus ad periculorum patientiam post pericula instruitur. Non putaui hoc futurum: nunquam hoc euenturum credidissem. Quare autem non? Quæ sunt diuitiæ, quas non egestas, & fames, & mendicitas à tergo sequatur? Quæ dignitas: quam non ullę maculæ, & extrema contemptio comitetur? quod regnum est, cui non parata sit ruina, & proculcatio, & Dominus, & Carnifex? nec magnis intervallis diuisa, sed horæ momentum interest inter Imperium, & exilium, imo inter solium, & sterquilinium. Scito igitur omnem felicitatem desultoriam esse, & quicquid vlli accidit, posse & tibi accidere. Tantum cauendum est, ne quid tibi subito accidat. Subitæ mutationes lædunt corpora, ita & animos sauciant. Vicissitudines animi subeunt paulatim: non saltu ab hyeme in æstatem itur; intercedit ver; ne repentinus ardor quasset valetudinem. Meditatio præparat animos ad malorum æstus, sicut vernus repor artus. Alte ergo illud tibi imprime. Tela præuisa minus ferunt: cui calculum adiicit Poëta:

Se minus afflictum sensit, qui præuidet ictum.

d by Google

10. DIES OCTOB.

Si vis omnem solicitudinem exuere, quidquid veteris ne eueniat, euenturum vtique propone? *Seneca Epist. 24.* Octob.

I. ALiud est subsidium Intellectus, aduersus omnia aduersa se munire, non tantum futurorum præmeditatione, sed expectatione. Itaque vereris ne eueniant. Expecta tanquam euentura. Sicut peregrino peregre profecturo expectanda sunt, quæ in Itinere solent contingere: fœda tempestas, viæ fractæ, ac difficiles, hospitia egena, caupones fallaces, importuni, ac molesti comites, exhaustum marsupium, cælum ambiguum, venti, pluuiæ, æstus, frigora, fatigatio, & eiusmodi complures miseriæ; quæ sane peregrino tam graues, non videbuntur, si possit dicere: expectaui hæc omnia: improuidæ lamentantium voces sunt: *Non expectabam hunc casum: Quis hoc putasset? sperabam meliora.* Non sunt sapientis hæ querelæ, omnia quæ aliis fuissent inexpectata, erant expectata Anaxagoræ, ideo & ipse patientiæ fuit expectatissimæ. Hic Athenis captus geminos accipit nuntios, sed vtrumque tristissimum. Primus mortem ei decretam denunciauit. Cui Anaxorgoras: Iam pridem, inquit, sententiam tulit natura, tam in me, quam in eos qui me damnant. Alter nuntius, filios interiisse significabat. Cui Philosophus: sciui equidem liberos meos non esse immortales. Letalia hæc vulnera erant, sed quia expectata, Anaxagoram vulnerare non poterant. Expectatio malorum.

II. Illud constantiæ proprium est, ad omnia stare: omnia sibi putat restare. Ita præuenit omnia terribilia expectatione sua, vt cuique dicat. Sero accedis, diu manси in spe, nunquam in timore. Subita illa vulnera Iobo, sera fuerunt, quia expectata. Vtrum plus miraberis? Obstinatamne eius constantiam, & inflexibilem frontem, cum spoliatus opibus, armentis, servis, prole, non molliter exutâ, sed laceratâ fortunâ, nudus mansit, vt sanie innataret? An cum rebus omnibus affluens, adulante sibi per omnia fortunâ, persuasum fuisse euentura mala, quæ euenire posse nemo sanus putaret, Nullus casus ei repentinus venit securo regiis gaudiis, & diuitiis: opulento possessionibus, fortunato tot prolibus. Vacabat, fortasse, dices, ad cogitatus otiosos, quippe extra potentiam, aut morem fortunæ, & inuidiæ

Octob. l. 3. 25.

vota. Audi loquentem. *Timor, quem timebam euenit mihi; & quod verebar, accidit.* Æque miror illum timuisse, ac pertulisse. Quænam maior gloria fuit, tot mala fuisse ab illo fortiter tolerata, an prudenter expectata? Vtriusque fortunæ fuit doctor, prosperæ, aduersæ: æque prudenter, & timide bonam tulit, quam patienter, & animosè malam. Nouit cauere in illa, audere in ista. Vnde tanta illi inter tot diuersos casus fortunæ inæqualis æquanimitas? Ex malorum quæ accidere poterant expectatione.

III. Ferebatur in ipsis vlnis felicitatis, ei blandientis, ut nutrix cum infante solet. At ipse cum nulla mutandæ sortis suspicio erat, expectabat omnia aduersa, ad illam se adornans: & præuidendo quasi præludens. Funestam igitur horribilium scenam oculis suis subiiciebat. Quid erit, sibi dicebat, si tibi rerum tuarum dimidium auferet casus? Quid si armentorum partem? quid si ignis cælitus demissus omnes greges cum pastoribus absorbuerit? quid si his accedat, iactura camelorum, & custodientium seruorum? quid si malorum cumulus, liberorum charorum morte surgat, & fato iniquissimo? quid, si hoc acerbum poculum inuidentis fortunæ, non per haustus aliquot, sed vno spiritu es compellendus exsorbere? Quid si omnem istam seriem calamitatum, non in anno, in mense, non in hebdomade, non indie, sed in hora vna, impetu concordi, irruat? si minori spatio, quam cogites? Quid, si post istas sæuitias, vnum tui perfugium sit, non nosocomium, cum Rex sis, sed sepulchrum adhuc te superstite? nec istud humanum, sed caninum, fœtidum sterquilinium? Vbi omnis tua familia, tuis ipsis visceribus hospitata, sint vermes, ut qui mortua corpora absumunt te cum spiritu exedant: ut non fortuna modo, sed natura iniqua tibi sit, & extra morem suum te spirantem corrumpat? tam aceiba, ut solum tibi mortem neget, ut omnia adeo tibi defecerint, & ipsum deficere? Num propterea turbabitur mens tua, deturbabitur animus? Nequaquam, inquit, pluris enim animum meum habeo, quam pecora, pluris tranquillitatem meam, quam turbam famulorum. Colligat suas copias fortuna; noua torquendi inuenta excogitet: experiatur summum quod potest; pluant infortunia, omnia expecto. Hoc secum computabat, hoc secum decernebat, pugil ille Dei. Itaque malorum futurorum expectatio, erat illi quasi quædã ante pugnam decretoriam, velitatio. Hinc si timeas fortunæ tela, illa prouide præuide, & intrepide expecta. Sic hebetabis illorum aciem: Nam.

Tela nocent leuius visa volare prius.

Digitized by Google

11. DIES OCTOB.

Ne sis auceps verborum, sed collector præceptorum? Octob.

S. August. in psal. 55.

I. A Reformatione Intellectus, gradum facimus ad reformationem Memoriæ. Munus est Intellectus instar apis, euolare ad varios hortos, prata, & agros, atque ibi è diuersis floribus, quod est optimum exsugere, ac inde fauos conficere. Quidquid fuit per varios hortos dispersum, hoc totum postea in alueario, quod multiplicibus distinctum est cellulis, est collectum. Sic Intellectus instar apis argumentosæ, lustrat varios libros, quasi totidem hortos, & inde delibat, quæ postea in alueario, hoc est in Memoria recondat: hinc seligit pias sententias, illic acuta responsa, alibi subtilia apothegmata, ibi ratam historiam, istic utilia viuendi præcepta. Quæ omnia simul conglobata, postea distincte collocantur in alueario Memoriæ. Sed vnum est obseruandum, dignissimum obseruatu, dum ut memoriam farcias vtilibus speciebus, ideoque libros lectitas, non tam, ut monet tessera, sis auceps verborum, quam collector præceptorum. Est fuci colligere verborum fucos, apis vero colligere præcepta, quia ex illis colligitur fauus. Illa quæ committis memoriæ, sint talia quæ sint digna memoratu: sint quæ excolant vitam, non linguam, quæ expoliant mores, non quę reficiant aures: non sint phrases Aldi Manutij, vel elegantiæ Nizolij, sed sententiæ Ambrosij, vel monita Hieronymi. Non sint quæ tractent de *lana caprina*, *asini umbra*, ut est in Prouerbio, sed de animæ salute.

II. Hoc porro ut assequaris, non satis est obiter libros voluere, sed oportet lente volutare. Non debes per libros volitare, ut gallus gallinaceus per prunas, hoc est raptim, ac saltuatim multa percurrere, & nusquam insistere. Lectio pensiculata sit, & crebrius interrupta, ut quod legeris, inde quod postea expendas, seligas, & recollendo melius intelligas. Sunt qui non edunt, sed vorant, & ut de iis proprie Plautus, *tubuccinantur*, plenis buccis grandes bolos properanter ingerunt, sed non digerunt, nec mandunt, sed deglutiunt. His cibus non tam alimento est, quam detrimento. Ita qui multum ingerit legendo, nihil autem digerit expendendo, vitiosè legit, & nil nisi vitia colligit: Alias post plurimos in legendis libris exactos annos, sis licet ætate grauis, cappillis canus, quid in te erit, nisi quod in homine mõ-

Octob. ſtroſum ait D. Bern. *Sermo multus, fructus nullus, vultus grauis, & actus leuis: caput canum, & cor vanū.* Attende porro qualia ſint, quæ in memorię prōptuario recondas, quæ poſtea depromas. Quorumdam expedit obliuiſci, quam reminiſci. Audi quid ad propoſitum ſcribat Iſid. Peluſiota. *Inimicitiam in aquam ſcribere oportet, ut quamprimum obliteretur: Amicitiam autem in æs incidere,* l. 3. Ep. 211. *ut perpetuo firma, & immota conſeruetur.* Sic iniuriæ tibi illatæ, contumeliæ contra te prolatæ, ſcribantur in aqua, deleantur protinus de memoria. At Dei beneficia, quatuor nouiſſima, cæleſtia conſilia, ſalubria monita, ſcribātur ſtylo ferreo in ære, ut perſiſtant in memoriâ ære perennius. Tunc reddes te omnibus ſuſpiciendum; & quæcunque proferes erunt tanquam è cortina, quædam effata, ut vel monitis tuis dictis applauſerit, mendaciumque ipſum, nihil contra illa effingere mendacij poſſit.

III. Sed unum ſubit mirari. Vbi Memoria tam longe, lateque per omnia præterita vagatur, unde cæleſtium præceptorum tanta obliuio, cum tā pauca ſint numero? Vnde obliuio Dei vnius? Vnde obliuio ſui met? Tenaciſſima eſt memoria rerum futilium, & inutilium: quorā vero, & quo vaga hæc, volatiliſque memoria? quæ cum cælum, terramque peruagata, omnia perluſtrauerit, in ſe ipſam neſciens reuerti, quod vnum neceſſarium, & ſalubre erat, obliuiſcetur? In quibus ſi aliquid delectationis interdum, ſæpe tamen anxietatis eſt plurimum. Non male Themiſtocles, cum ei quidam memorandi artem à Simonide tunc inuentam polliceretur; Malle ſe, ait obliuionis, quam memoriæ artem addiſcere. Hæc ars obliuionis, ut plurimū plurimis conuenit, ita plerique & dediſcenda diſcunt, & diſcenda dediſcunt: in his tantum quorum vtilis eſſet obliuio, Memoriam exercentes. Vis reformare Memoriam, & ſic bene efformare vitam? *Memento homo quia puluis, es, & in puluerem reuerteris.* Illa vox Eccleſiæ, ſit lex Memoriæ. Lamæ ſacerdotes Tibetenſes precaturi concrepant buccinis ex humanis oſſibus, roſaria geſtant ex iiſdem, potant frequenter ex cranio. Rogati cur id facerent, reſponderunt, ut mortem ſecum deferrent in memoria, antequam à morte efferentur funera. Admiranda fuit memoria Mithridatis, viginti duarum linguarum tenax. Satius eſt meminiſſe duorum præceptorum, à quibus tota lex pendet, & Prophetæ, videlicet. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde; proximum vero ſicut te ipſum. Itaque ut vtiliter exerceas memoriam tuam, memento tuorum ſcelerum; ut doleas; memento mortis, ut tibi prouideas; memento Diuinæ Iuſtitiæ, ut timeas: memento Diuinæ Bonitatis, ut gratias agas: ſed ſuper omnia memento, quod erit poſt omnia, extremi Iudicij. Aurem vellicat Poëta:

Iudicis in lite, eſt vox perbreuis, Ite, Venite.

Digitized by Google

12. DIES OCTOB.

Non refert quam multos, sed quam bonos habeas libros? *Seneca. Epist. 49. ad fu.* Octob.

I. PEtrus Cardinalis Aldebrandinus rogatus, quænam esset optima sapientiæ schola? Respondit; Memoria. Hæc porro ut habeat copiosam illustrium rerum in suo promptuario supellectilem, opus est assidua selectissimorum librorum lectione. Inqua tamen, quod monet tessera, illud observandum, ut non tam habeas, quos evoluas multos, quam bonos libros. Fuit hoc utilissimum Petri Blesensis, quod Regi Angelorum Henrico II. suggessit consilium. Scitis quod totius prudentiæ compendium in literis continetur. *Si resp. regenda est, si prælia committenda, si castra metanda, si machinæ erigendæ, si renovandi aggeres, si propugnacula facienda; denique si quies libertatis, si Iustitia cultus, si reverentia legum, si finitimarum gentium amicitia sunt faciendæ, libri hæc omnia erudiunt ad perfectum.* Placet oculis conspicuas proponam amplissimas quæ in libris latent divitias, & thesauros? Si quid apud veteres, recentesque scriptores subtiliter dictum, quid sententiose prolatum, symbolis & apologis involutum, si quid ab oraculis responsum, à Principibus edictum, à plebe scitum, à legum latoribus statutum, à sapientibus pronuntiatum, à sacrorum procuratoribus sancitum, illa omnia in unũ congesta cumulum, libri suis lectoribus objiciunt. Quisquamne unquam miles, vel Imperator, partâ victoriâ, tot reperit prædas, quod lector in libris gazis? Lectio librorum. *Epist. 47. ad Henric.*

II. Multos allicit curiositas, plurimos voluptas, ad videnda castra, dispositas iam ad conflictum acies, naufragorum tabulas, theatralia spectacula: has omnes voluptates legendo potes assequi. Potestne fingi aliquid delectabilius, quam sedentem in Bibliothecâ, & immotum, universum orbem nihilominus peragrare, quidquid est uspiam præclarum, & excellens metiri, oculis inspicere, replicare omnium retro sæculorum memoriam, Regnorum ortus, progressiones, inclinationesque tanquam è specula contemplari? Videre naufragia sine metu; spectare bella, sine periculo; rimari terræ viscera, sine fatigatione; principum ædes ingredi, sine repulsâ, subire Templorum sacraria, sine sacrilegio: interesse sapientum consilijs: è Stoa transire in Academiã, ex Academia in Lyceum? Zenone,

Digitized by Google

October. none, Socrate, Platone, Aristotele, Epictero, Seneca, Theophrasto, uti familiarissime, eosq; sibi habere non modo familiares, sed quasi contubernales: ut nemini horum tecum colloqui non vacet, cum volueris; nemo venientem ad se, non doctiorem, beatioremque dimittat: nemo quenquam vacuis à se manibus abire patiatur. Quid enim aliud illi, si tecum loquerentur, dicerent, quam olim scripserunt? quam quæ suggesserunt in suis libris? quid aliud tibi commendarent, quam illa quæ scriptis, cum viverent, commendarunt?

III. Paruane hæc tibi videtur delectatio? maiorem poscis? Quid iucundius quam circumfusum libris deliberare, quidquid est in Grammaticis accuratum, in Epicis amœnum, in Tragædis lugubre, in comœdis festiuum, in lyricis excultum, in Satyrâ salsum, in epigrãmate acutum, in fabulâ ingeniosum, in panegyri elegans, in Historiâ varium, in Philosophiâ reconditum, in Medicinâ necessarium, in Iuris scientiâ utile, in Mathematicis curiosum, in Theologiâ Diuinum. Nec his contentum voluptatibus, ebibere plenis faucibus, & perfundi toto pectore, D. Ambrosij ambrosia, Barnardi nardo, succo Hieronymij, medullâ Tertuliani, Eucherij melle, Augustini acidulâ suauitate, Chrysostomi aureis imbribus, Cypriani, Basilii, Gregorij, & aliorum Ecclesiæ Procerum delitiis? Debet profecto magna esse in libris voluptas, ubi tanta fuit in plurimis legendi cupiditas. Romani quidem ita constantes fuerunt, ut cum illis crura secarentur, aut ferrum in varias corporis partes desæviret, librum legerint, ne temporis iacturam viderentur tunc facere: putasseque nihil eis negotij cum Chirurgo esse. Ita legendi voluptate, doloris acerbitatem temperabant. Magna profecto iucunditas, quæ ita tollit doloris sensum, ut sensu carere, qui patitur, videatur. Ferdinandus II. nulli virtute secundus, tot districtus negotijs, utpote cui uni totius Imperij, tot bellorum undique fluctibus agitati moles iucumbebat, qui perpetuo velut è speculâ custos, omnibus impendentibus periculis debebat perspicere, qui gubernator in puppi, inter tot turbulentas tempestates indefessâ manu clavum Germaniæ tenebat, is tamen inter tot occupationes, sex iustos Surij tomos, quibus omnium sanctorum res præclare gestas fusissime complexus est, sexies evoluit, præter alios complures libros, dicebatque se malle vivendi, quam legendi facultate carere. Tibi ergo fuerim auctor, ut multos evoluas Auctores, & hoc tibi sit cordi.

Libros scruteris, quamvis opulentus haberis.

13. DIES OCTOB.

Historia est conglobata quædam, & coacervata Sapientia; Hominumque multorum mens in unum conglobata? *S. Gregorius Nazianz. Epist. ad Nicobul.* Octob.

I. NOn satis ad utilitatem referendam, ut legas, necesse est legenda seligas. Inter illa præferenda est omnibus assidua historiarum volutatio. Causam accipias ex S. Gregorio, qui nobis hodiernæ est auctor Tesseræ. Quid inter omnia quæ cadunt sub votum hominis, fingi prope optabiljus potest, quam in omni rerum eventu, semper fortunato gaudere successe? in quovis negotio, vel sibi cum laude, vel alteri cum fructu consulere? posse se, vel alios præsentissimo eripere periculo; posse ad quævis quæ præponuntur dubia, apposite, prudenterque respondere, posse levi negotio, aliorum refellere dicta? denique seu quid agat, seu quid dicat, audiatur cum plausu, fiat cum fructu? Hæc omnia nanciscēris voluendo historias. Quia dum legendo per varios libros oculis, & animo vagaris, potes inde velut in unum cumulum coaceruare omnium ætatum, ac hominum doctissima responsa, saluberrima consilia, solertes evadendi pericula rationes, stratagemata Martia, aliaque sexcenta laude digniſſima facinora. Hæc omnia tua facis, dum aliena legis. Teste Plinio: *Res ardua est, vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastidijs gratiam, dubijs fidem.* Hoc faciunt, quod facta tam est arduum, historiæ. Historiarum utilitas, *In præfat. Hist. Natur.*

II. Fructus quos fas est legentem historias, carpere ex lectis, eleganter expositi Maximus Tyrius. Quidquid boni est, sive honesti, sive utilis, sive iucundi, Historiarum lectioni inesse, sic dilucide demonstrat. *Nihil est iucundius, quam in Historia versari, quam sine labore ullo passim divagari, omnia simul loca intueri, omnibus bellis sine periculo interesse, infinitum temporis spatium contrahere, infinitas res gestas simul cognoscere, quæ ab Assyrijs, quæ ab Ægyptijs, quæ à Persis, quæ à Medis, quæ à Græcis facta sunt. Bello nunc terrestri, nunc marino, nunc concionis media videri interesse consilijs. Cum Themistocle in mari, cum Leonide in terra pugnare; cum Agesilao traijcere, cum xenophonte incolumem redire; amare cum Pantheâ, venari cum Cyro, regnare cum Cyaxari. Quòd sapiens ea de causa di-* Dissert. 12.

Octob. *catur Vlisses, quod vafer esset, multorumq; hominum mores lustrasset, & vrbes; dum sibi, dum sociis reditum, pariterq; salutem apparat? Multo sapientior est, qui extra periculum, Historiæ lectione se explet. Charybdin videbit, sed sine naufragio: syrenes audiet, sed sine vinculis; cum Cyclope aget, sed miti & placato.* Hæc, & alia plura Tyrius. Hinc qui Historias non obiter, sed penficulate legerit; omnia quodammodo nouisse censendus est.

III. Potestne euidentius conuinci, quod pro animæ salute hauriri possit emolumentum ex lectione præsertim sacrarum Historiarum, quam ex duobus illis Aulicis, de quibus eleganter D. Augustinus? Erant illi, ut solent aulæ Proceres, mundi delitiis penitus irretiti, honoris cupidi, diuitiarum auidi, cupiditate rerum pereuntium pleni, cælestium inanes. Rapiebantur scenis theatralibus, spectaculis Circensibus, conuiuiis, tripudiis, lusibus, & id genus aliis oblectamentis. Erant & ambo iam desponsati. Quis homines illos totos terræ affixos, delitiis immersos, vanitati consecratos, poterit ad frugem conuertere? Suadere, ut quæ antea diligebant, odio habeant: quæ auidissime sectabantur, fugiant; quæ possidebant, abiiciant; quæ ambiebant auersentur; quæ æstimabant, contemnant? Perfecto nec omnibus suis orationibus Tullius, nec vi torrentis eloquentiæ Demosthenes, nec argumentis suis neruosissimis Aristoteles, nec pondere auctoritatis suæ, potuisset persuadere Cato, hoc tamen illis, ut faciant, persuadebit liber vnus breuissimo tempore non sedulo lectus, sed leuiter inspectus, imo ab altero tantum auditus. Illi enim Palatini casam forte cuiusdam eremicolæ ingressi, repererunt codicem in quo scripta erant acta S. Antonij, arripuit vnus librum, inspexit, legit. Vix inspexit librum, despexit vterque mundum: & ambo iusserunt mundum res suas habere; & ut tandem essent sui, deseruerunt sua. Sic vnius libri lectio, vtriusque fuit à mundo auersio, ad Deum conuersio. Tanti refert ut sis inter paucos electos, vel pauca è pio libello subinde legere. Imo sufficit ad plenam animi libertatem, sedulo lectus, vel vnicus liber. Vnde rem acu tetigit, qui hoc cecinit.

l. 8. Confes. c. 6.

Vt sis mente liber, satis est vel lectio libri.

Digitized by Google

14. DIES OCTOB.

Nemo quærat efficientem causam voluntatis malæ, non est efficiens, sed deficiens. *S. Augustinus lib. 2. de ciu. Dei.* Octob.

I. TAndem dicendo prolapsi sumus ad palmare omnis boni, & mali instrumentum, ad illam animi facultatem, quæ quia in omnes eius facultates, summo pollet imperio, earundem indigetatur Regina. Hæc est Voluntas, in qua cum summa sit quiduis volendi, & nolendi, pro imperio potestas, & pro arbitrio libertas, illa vna est, quæ nos manuducit ad Virtutem, vel ad Vitium, & quod inde sequitur, ad salutem, vel exitium, ad cœlum, vel ad orcum. Voluntas mala, licet patiat omne malum, non tam est efficiens, quam deficiens: quia quod agit teste Augustino, non est *effectio*, *sed defectio*. Illa enim efficit, ut deficiant omnes Virtutes. Illius ergo regendæ cura, non tantum debet esse summa, sed prope sola. Nam illius Voluntatis recta gubernatione, licet totam felicitatis molem dirigere, machinas omnes miseriæ diruere, & Fortunam immotam, raro miraculo figere. Mala quæ patimur sunt plurima, quæ facimus maxima. Plura sunt igitur mala, quam malorum remedia. Itaque singulis malis singula respondere nequeunt pharmaca: quare opus est vno contra omnes animi morbos panchresto, quod non est aliud quam bene ordinata Voluntas. Voluntatis Reformatio.

II. Alias perinde esset, acsi aliquis, cum plueret, nudus in agrum prodiret, & nollet madefieri; sed singulas speraret se posse guttas vitare. Pluunt in nos vndiquè miseriæ: non tot inter torrentes imbres, numerantur guttæ, quod inter homines ærumnæ: non super nos roris more calamitates stillant, sed imbris, imo torrentis ritu, exundant. Igitur cũ nõ possimus fugere singulas, vnum necesse habeamus præsidium, quo effugiamus vniuersas. Vltimam is insaniret insaniam, qui exutus prodiret in aciem, & volantium telorum acies, ac plumbearum glandium ictus omnes præsumeret effugere; quia vnum vel alterum iactum eludere valeret. Thorace valido, aheneo, imo adamantino oporteret se munire, vnde tela omnia obtunderentur. Nostra vita non modo est militia, sed pugna; non modo bellum, sed prælium. Nisi pectus armemus valido animo, imbelles in tam lubrico

Digitized by Google

Octob. bello, exermes inter tot hostium arma, oppriment modestiæ, obruent miseriæ; si non vi, certe numero. Quæcunque alia contra tot ægritudines antidota, contra tot ærumnas subsidia, non sunt tam valida, ut omnem miseriæ sortis ictum retundant; ut acutas Fortunæ, quas in nos euibrat cuspides hebetet. Tanta virtus solius Virtutis est, & Voluntatis sua præoccupantis vota, suâ prudenter vtentis potestate, & libertate,

III. Mirâ à Deo arte elaborata est nostra Voluntas, cum vna sit, plus quam omnia comprehendit. Æque arbitrarium est voluntati cupere, ac odisse: æque ei licet gaudere carendo, ac possidendo. Dices, Non est Voluntati liberum, quiduis pro libitu habere. Non abnuo, sed liberum est ei nolle habere: iam vero perinde est habere, ac non velle. Compendium cupiditatis, supplet omne impendium Fortunæ. Leuius est non acquirere, quam amittere, quia ut nihil acquiras, nihil opus est labores: sed ut amittas opus est & labore, & dolore; præcessit ut amittenda acquireres labor, sequitur ob ea, quæ acquisiueris amissa, dolor. Deinde quod est perinde, facilius est carere, & spernere, atque adeo nolle prosequi, quam consequi. Vbi nostra prudentia? Cur non eligimus quod est facilius, quod leuius, si hoc non minus sit securum, magis fortunatum? Semper manet semita aliqua, quæ paci, gaudio, felicitati pateat, si iter possidendi, quia anfractuosum, occluditur, via contemnēdi est regia, & semper expedita. Hippias nobilis Sophista, cum venit in certamine olympico Pisam, nihil eorum, quæ secum tulerat, aut emit, aut accepit: omnia ipse sibi propriis parauerat manibus, calceamenta, vestes, pileum, pallium, ornamenta, quibus non indutus modo, sed splendidus fuit: interulam, tunicam, purpuramque domi fecerat, balteum Babylonicâ picturâ variegatum colorarat, annulum manus circulauerat, palam clauserat, sculpserat: omnia sibi fuit, textor, sutor, sartor, aurifex. Non est quod inuideat tot artes animus: omnia pensat artificium Voluntatis: omnia sibi non facit, sed donat. Quid exigitur ab ambitu ædium, ab amœnitate hortorum, ab affluentia opum, nisi gaudere? Hoc præstare potest Voluntas, sine tot adminiculis, si nolit omnia, perinde est ac si haberet omnia, iuxta illud: *Omnia habentes & nihil possidentes.*

Cor. 6 10. *Cuncta ut possideas, fac nihil ut teneas.*

Digitized by Google

15. DIES OCTOB.

Magnum periculum est, ne cui licet facere quod vult, is velit quod non debet? *Plutarchus de pr. indoc.* Octob.

I. HÆc tessera sit licet Ethnici, erit tamen ad salutem Catholici, recte observatum, & ad mores reductum. Vt sis tui victor, & tuorum affectuum triumphator, non sufficit renuncies illicitæ voluptati, oportet & renuntiare licitæ voluntati. Quis sitiens si habeat calicem fictilem, & vacuum, non mallet habere aureum, & plenum generoso Massico? Quis morbidus, & infirmitate languidus, non mallet esse sanus, & robore validus? Quis mente hebes, & obtuso ingenio bardus, nollet pollere intellectu Angeli, & inter Angelos Cherubini? O væcors, imo excors! cur non vis commutare tuam voluntatem indole brutam, votis caducam, ægritudine infirmam, desideriis insanam, cum Voluntate Dei, lætâ, felici, sacrosanctâ? Si velles intelligere ut Angelus quod non potes, cur non vis velle, ut Deus vult, quod potes? Qui semel à sulco delirauit, vel à recto tramite aberrauit, quo magis incedit, hoc magis à metâ viæ recedit; quo plus festinat, plus & errat; quo properat celerius, eo à termino distat longius. Quanto magis hoc, aut illud eligis, ut gaudeas, & quiescas, eo minus & gaudebis, & quiesces? cur ita? Quia eo plus obsecundas tuæ voluntati, quæ cum sit opposita Voluntati Diviné, fons est omnis tristitiæ. Voluntatis propriæ abnegatio.

II. Si tua voluntas vna sit cum voluntate Dei, tunc extra sensuum irritamenta, opiniones vulgi, dominium Fortunæ, imo & fines Naturæ positus, liber eris, in sinu tuo gaudens, quia non amplius tuus, nec de tuis gaudens, securus tui possessor, quia voluntatis tuæ osor; Tunc tua Voluntas, cum Voluntate Dei confusa, nihil aliud vult, quam quod vult Deus. Id autem vult usque ad contemptum sui, & aliarum rerum, non tantum ex iudicio Rationis, sed etiam ex affectu mentis; ut iam voluntas, plus quam voluntas sit, ut amor sit, ut charitas sit, & vnitas spiritus, velle quod vult Deus, hoc est iam similem Deo esse. Non posse velle, nisi quod Deus vult, hoc est iam esse quod Deus est, cui velle, & esse id ipsum est, cuius Voluntati necessario liberæ nihil refragatur, omnia consentiunt. Adhæ-

Octob. reat igitur Deo,& viuat, & viuat ex æternæ eius legis decretis, qui veram vult consequi vitam ,& libertatem, Permitte te regi ab eo ad tuam salutem, qui te creauit ad suam imaginem. Qui naui vehitur , non vult regi nauim suo arbitrio , sed permittit totum naucleri imperio. Quod si atrox insurgat tempestas, nunquam magis illius nutui obsecundat; non audet nisi illo iubente, aut mouere,aut moueri.An minus peritus est Deus regere mundum quam nauarchus dirigere nauim? Cur quod facis homini, ut te adducat ad portum,non facis Deo,ut te deducat in cœlum?

III.Vt sis igitur penitus liber libertate filiorum Dei,rescinde omnem voluptatem , & Voluntatem: rescinde te à te in omnibus: Cur vis iam pluribus resciſſis,manere in paruo ligatus, limitatâ libertate spiritus? Non est liber canis , quod longam catenam habeat,ut per intervallum ludat. Manebis etiam vel filo ligatus,nisi cuncta reseces. Sed fortasse triste autumas priuari semper propriâ voluntate.Quomodo triste erit,voluntate propria priuari,si ipsa iucunda sit priuatio? Natura facit ut quod vni desipit, alteri sapiat,quod vni est amarum,alteri sit suaue. Mulieres quæ vterum ferunt, impensè appetunt carbones,lutum,calcem, gypsum: contra fastidiunt edulia exquisitè condita, selectissima bellaria. Anne habetior erit Gratia, quam Natura?Itaque qui Voluntatem abdicat, is se totum Deo dedicat. Et hoc pacto habet id quod vult,& caret eo,quod non vult. Sic absque labore habet,in quo diu laboratur acquirendo , angitur conseruando, timetur cauendo. Non opus est Voluntas quidquam mutuetur à Fortuna, quod non intus habeat: nihil deprecari, quod non queat eludere. Maior est gratia Voluntatis,se Dei submittentis Voluntati;quam Midæ,cuius digiti fodinæ erant auri,cuius palma,India,aut Arabia aliqua.Manum habet talis Voluntas conuertendi omnia , si non in aurum, in id quod auro non emitur:in meritum æternæ gloriæ.Ipsa ergo sibi est India, Ipsa felix Arabia,& vena locupletis pacis,& solidi gaudij.quod nemo tollet, à te non illius gaudij,quod sequitur luctus:de illo enim verissime dictum:

Postquam gaudebis,rursus post gaudia flebis.

16. DIES OCTOB.

Nihil appetere de sæculo potest, qui sæculo maior est. Octob.

Cyprianus. Epist. ad Donat.

I. NE hallucinetur in suis functionibus, quæ omnium, quæ ab animo proficiscuntur, functionum fungitur principatu, Voluntas, necesse est illam desiderio desiderare, ut prudenter moderetur sua desideria. Quid vis appetere, quod nec licet à Deo petere? Quid vis desiderare de terra, qui terra es maior, utpote cui Patria est cælum? Terram conculcas, quid illam honoras? Quid vis concupiscere de sæculo, quod instar umbræ transit? Cui datum est vivere in sæcula sæculorum? Vide quid desideres? nonne sunt illa, quæ si haberes, deberes velle carere? Si tibi aliquid deesse putes, si sit cavum in sinu cordis, si vacuum in gremio pectoris, illo imple, qui sua immensitate implet cælum, & terram, Deo. Nonne malles implere marsupium auro, quam luto? An pluris facis marsupium, quam Animum? ô felicem, illum, qui non plura concupiscit, quam natura reposcit. Qui totus est, integer, suus, qui nullis, tanquam frustis, dividitur votis, qui non mutilatur desiderijs: qui nulla cõcupiscentiæ tenetur cupiditate, qui nec voto eget, contentus secum, & Deo. Desiderium.

II. Tristitia illa quæ ne sis tristis, tantopere cupis, egentia illa, quæ ne egeas, desideras bona, non minuent, nedum tollent, quæ pateris mala. Quia si quæ desideras non obtines, dolebis; si obtines, dolebunt alij, dum invidebunt tibi, tu misere gaudebis. Quæ hæc miseria? Antequam desiderabas, egebas; postquam obtinuisti, non es ditior; nam ditior non est, qui habet plus, sed cui minus deest. Ut cumque, es pauperior nolente, & nihil desiderante. Magis te inopem facit tua cupiditas, quam gravissimi Fortunæ furores, quam naufragia tuarum navium, incendium domorum, interitus armentorum, siccitas cæli, iniuria furis, quã furor hostis. Cupiditas enim facit te inopem non rerum, sed tui, pauperem reddit non facultatum, sed virtutum. Ille solum est dives, qui non cupit: quia iste non eget, atque adeo nullius est servus, imo liber, & ditissimus seipso, & desideriorũ inopia opulentus: sui Dominus est, quia se possidet. Cupiditas semper proficiscitur, nunquam attingit metum: semper procedit, nunquam quiescit. Quomodo tibi cupiditas sufficiet, quæ nunquam dicit sufficit? Solum laudabile, & dele-

Digitized by Google

Octob. delectabile est desiderium illius, qui totus est desiderabilis. Illo enim possesso, cum possideas omnia, non est quod desideres ultra.

III. Præterea desiderium, est collimatio vitæ. Dum aliquid desideras, ad aliquod collineas. Idcirco ne desiderando erres, oportet figere, & sibi præfigere scopum, quo vota dirigamus. Sagittarius, non quocunque iaculatur: nemo in incertum tela conijcit; unum respectat, ad unum iactus suos urget. Hinc errat desiderium, dum ad multa spargitur; quiescit, dum ad unum dirigitur. Sagitta fortius mittitur pro contentione nervi: ita pro viribus desiderij, fortius in propositum ruimus. Sed quia per varia, imo per omnia disseminamus nostra desideria, varij & ipsi sumus, in nullis consistimus, ideo nec in ullis quiescimus, ad nihil intenti, ad omnia ignaui. Sic erramus, sic aberramus, sic deviamus, sic fallimur, sic perimus desiderijs rerum pereuntium. Adijce, quod desiderium sit quoddam amoris supplementum. Ubi bonitas amati excedit facultatem amantis, panditur per desideria Amor: & quibus potest viribus protēditur, ut adæquetur amato! itaque votis, & suspirijs farcire tentat, quod deest. Bonitas Dei excedit vires nostri amoris, cum nunquam tantum amare quis valeat, quin plus amare debeat. Tunc ergo amoris defectum supplemus desiderijs: optamus amare magis, quam nunquam possumus satis. Hinc perpetuus desiderij socius, est Dei Amor. Non est duræ, & densæ naturæ noster Animus; est ductilis, est complicabilis: itaque potest contrahi, & laxari per desideria potest, duci, reduci; complicari, explicari, immensitate quadam factitia; omnem locum, & sinum percurrrit; atque Æternitatis imitatione, omne tempus claudit; & amasse desiderat, & amare, illud sine principio, istud absque fine. Quia desideramus, Deum æternum amassemus ab æterno, & amare in æternum. Sed hoc maxime commendat virtutem desiderij, Deum desiderio consequimur. Nulla res viliori constat pretio, quam res pretiosissima. Votis Deus emitur, nihil minus carum, & tamen nihil magis charum.

Non Deus est carus, cum sit super omnia charus.

Digitized by Google

17. DIES OCTOB.

Illic feramur appetitu desiderij, quo cùm pervenerimus, requiescamus, id est, nihil amplius requiramus. *S. Augustinus l. 4. in Gen. ad lit. c. 9.* Octob.

I. SCilicet tunc tantùm quiescemus, cùm illic pervenerimus, ubi nihil est quod amplius requiramus. Quando aliquid hîc extra Deum quæris, semper adhuc aliquid requiris, ideo nec quiescis. Solum optimè tibi fiet cum optimo. Vis qui hoc auctoritate confirmet. *Hoc tantum scio, quia malè mihi est prater te, non solum extra me, sed & in me ipso*, ait Augustinus. Voluntas nostra structa est ad normam Divinam. Hæc quæ imperitum vulgus honorat titulo bonorum, fugacia illa, & fallacia Fortunæ bona, & dona, quantumvis inflentur, & quæ contracta sunt, explicentur; licet super pedum digitos insurgant extremos, quamvis surrigant cervicem, & attollant frontem, minoris staturæ sunt, quam ut Voluntati adæquentur: cùm igitur sint ei inæqualia, quomodo implebunt Voluntatem? Vestis Zachæi non potest adaptari artubus Goliæ; nec Gigantis calceum potest implere pes Pygmęi. Quidquid est mundi, pusillũ est instar nani. Voluntas est quasi gigas, ideo nullus ei potest adæquari nisi ille solus, qui *exultavit ut Gigas ad currendam viam*. Si vastus oceani alveus exsiccaretur, stilla aquæ non posset impleri. Annè vastum illud cavum Voluntatis tuæ, quo potest capi Deus, occludet, & replebit unica gutta mellis, flatus aëris, fumus ignis, glebula luti? Deus solus satiat. *l. 13. Confes. c. 8.* *Psal. 18 1, 6.*

II. Amabo te, altè infigatur tibi illa augusta D. Augustini sententia, & eam verissimam esse doceberis magistrâ experientiâ. *Væ animæ audaci, quæ speravit, si à te recessisset, se aliquid melius habituram, versa, & reversa in tergum, & in latera, & in ventrem, & dura sunt omnia, & tu solus requies.* Frustra quæris illa futilia Fortunæ frusta. Quidquid volupe est, quo mulcet libido: quidquid honorificum, quo inflat ambitio: quidquid opulentum, quod offert Cupiditas; non tale est, ut possit inde sperari cordis satietas. Divi- *Confes. l. 6. c. 16.*

Digitized by Google

Octob. nis typis eſtormata eſt voluntas. Non mirum ſi minus illi ſit, quidquid Deo eſt minus. Solus eſt Deus, quo poteſt impleri animi ſinus. Quomodo ingens illa inanitas, Deum exceptura, implebitur illis bonis, quæ non ſunt niſi vanitas? Si præter Deum, tota hæc rerum univerſitas, ſit uniuerſa vanitas: quomodo illius particula ſatiabit noſtra deſideria? Voluntas ſolo intus Deo contento, contenta eſt, ſolus qui eſt omnia, quadrat eius cupiditati. Dictis fidem adſtruit, qui pro Fide obijt D. Cyprianus. *Vna placida, & fida tranquillitas, una ſolida, & perpetua ſecuritas eſt, ſi quis ab inquietantis ſæculi turbinibus extractus, Deo ſuo mente proximus, quidquid apud cæteros, in rebus humanis ſublime, ac magnum videtur, infra ſuam iacere conſcientiam glorietur.* Hæc ſi non credis, non credo te ſapere: vel ſi ſapis, quomodo Deus tibi deſipit?

Epiſt. ad Donat.

Theol. Myſt. conſil. 42. III. Appoſite ad noſtrum differit propoſitũ Gerſon. *In anima conſidero tres tendentias principales, proportionaliter ad triplicem vim eius, ſive potentiã. Quarũ una eſt concupiſcibilis, alia rationalis, tertia iraſcibilis nominatur. Cõcupiſcibilis tẽdit in Bonum: Rationalis in Verum: Iraſcibilis in Arduũ. Sic anima per has vires, ſẽdentiam habet in SS. Trinitatem. Nimirum quia ad eam, & eius ſimilitudinem facta eſt, eiuſque imago conſtituta. Attribuimus itaque Spiritui ſancto Bonitatem, & ad hanc tendit vis concupiſcibilis. Attribuimus Filio veritatem, & ad hanc tendit vis rationalis. Attribuimus Patri Potentiam, Majeſtatem, & gloriam, & ad hæc tendit vis iraſcibilis. Oportet igitur, ut his viribus ſatiatis, per coniunctionem cuiuſlibet cum ſuo ſupremo appetibili, anima rationalis totaliter ſatietur, quietetur, & ſtabiliatur.* Quid igitur tibi eſt in cælo, & in terra, cum in illis nihil ſit quod te ſatiet, præter unum, qui in principio creavit cælum & terrã? Quid eſt deſideriũ? Volũtatis hiatus: Voluntas itaq; dũ aliquid optat, ad aliquid hiat. Multa, & magna pollicetur, ut impleat magnum cordis hiatũ Mundus, vaſto promiſſor hiatu. Sed quia non poteſt, congeſtis omnibus quæ poſſidet bonis, in hunc immenſum hiatum, ideo cor novis iugitur inhiat, quia nihil adhuc ſatiat. Adhuc hianti ore clamat, poſt omnia, *Affer, Affer.* Quando tandem ſatiabitur? Reſpondet David: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Quando dicet: ſufficit? Audi ex Philippo. *Domine oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.* Vis ergo ſapere? Nihil facilius.

Prov. 30. 15.
Pſal. 16. 25.
Ioan. 14. 8.

Gaudia vera petas, quæ numquam terminat ætas.

Digitized by Google

18. DIES OCTOB.

Magnam rem puta, unum hominem agere : præter sapientem autem, nemo unum agit. Octob.

Seneca Epist. 121.

I. SUpereſt adhuc ad felicitatem Voluntatis, unum, ut ſatagat eſſe una. Niſi ſit una, nũquam in uno quieſcet Deo. Habeat licet Anima Triplicem facultatem, Memoriam, Intellectum, Voluntatem, hæc tamen facultas triplex, debet eſſe ſimplex. hæc creata trinitas, debet eſſe ut increata unitas. Docebit te hanc unitatem, ex SS. Patribus non unus. Primus ſit Ambroſius. *Et tu ergo ad ſimilitudinem Domini, unus eſto, non hodie ſobrius, eras ebrioſus; hodie pacificus, eras litigioſus. Eſto ſicut imago in didracma immutabilis, eundem habitum ſeruans, quotidie.* Vide ſtantem in ſua baſi effigiem Iovis, veni cras, redi perendie, & ſi velis poſt annum, & luſtra, eadem erit ſemper ſtatua Iovis, non hodie Iovis, cras Mercurij, perendie Æſculapij. Sit in corpore tua anima, ſicut in baſi marmoreâ ſtatua. Non referat faciem hodie ridentis, cras flentis, hac hora lenocinantis, ſequenti minitantis : nunc amantis, ſtatim odientis. Monet imo mover, qui prius ut ſis unus, Ambroſius. Vetus dictum eſt. *Aſſueſce unus eſſe : ut vita tua quandam picturam exprimat, eandem ſervans ſemper imaginem, quam acceperit. Quomodo poteſt unus eſſe, qui nunc iracundiâ inflammatur, nunc indignatione gravi exæſtuat, nunc vultu excandeſcit, nunc pallore immutatur; per momenta varius, & diſcolor?* Homo inconſtans, qui non eſt unus, tot habet varias affectiones in vitâ, quot pavo colores in caudâ. Ut hic eſt diſcolor in plumis, ſic & hic eſt diſcolor in actis. Vnum eſſe oportet. *l.* 1. *Epiſt.* 1. *l.* 10. *Epiſt.* 81.

II. Ut ſis unus, eundem ſemper ſerva vitæ tenorem, nec mentem in varia deduces, diverſiſque affectibus diſcerpi permittas. Ut ſis coram Deo, imo & hominibus, magnus, eſto unus : & rem magnam pũta unum hominem agere : alioquin agis actum niſi agas unum. Illud enim eſt proprium ſapientis. Quia ſapiens eſt qui neſcit numerum, unum ſe ſtabiliens ubique : licet minus ſit unus, quam plura : tamen plus eſt eſſe unum, quam multos. Magnitudo uiri unitate conſtat. Magnus eſt qui non eſt multus, non varius. Fuit ille ſen-

Octob. sus Pythagoricorum ; Unitatem spectare ad bonum, ad malum diversitatem. Satis multa facit, qui semper eadem. Docet Christus inter omnia, tantùm unum esse necessarium. Quod illud est unum ? Ut sis unus. Talis eris si super omnia diligas unum Deum. Assequitur nulla, qui sequitur cuncta. Id sis hodie, quod bene heri ; id cras, quod hodie. Deo id est, non modò proprium, qui summum, semper id esse, quod est. Istam tesseram Divinitatis usurpat vir sapiens : qui semper inter inæqualia, est sibi æqualis, inter dissimilia sui similis, inter varia non varius, inter diversa idem, inter omnia unus. Non est periti artificis, opera caduca facere ; sed fundata, stabilia, æterna. Magnum pretium dat rebus diuturnitas : sic & homini Unitas. Vitrum si soliditate æquaret aurum, pretio superaret. Sæpè pretiosius, quod in rebus est, temporis est. Antiqua opera antiquius habentur, ob temporis quo perstiterunt diuturnitatem. Dignitas est durasse, erit & posse durare, nec facilè infringi.

III. Integros animos reddit constantiæ Virtus. Et ipsa sine frustis est integra, sine partibus tota, sine numero una ; est res vitæ, non horæ, non diei, quæ cum sole occidit, & cum sole oriatur ; interdiu, & noctu, ubique & locorum, & temporum amanda, quæ adhuc in exitu inchoat: res perpetui initij est, ne offendat finem. Nulla dies sine linea est, quanto magis sine puncto? Ego mallem, nulla hora, nullum punctum, sine virtute. Idem velle, idem nolle, est sacramentum sapientiæ: nec enim nisi ad rectum, unitas voti reperitur. Vitium in varia se dispergit, nunquam in unum se colligit. Hoc pessimum malum habemus, mutare mala, variare vitia, non ponere cupiditates, sed transponere : alioquin vel vitij tædio, citiùs boni essemus. Ægre unum reperies, qui verè unus sit, & non varijs affectibus, quibus indulget, varios non referat. Præclarè Origenes ad illa
1. *Reg.* 1. 1. verba, *Fuit vir unus. Hoc*, inquit, *pertinet ad laudem Iusti, quod dicitur vir unus. Nos, qui adhuc peccatores sumus, non possumus illum titulum laudis acquirere: quia unusquisque nostrûm non est unus, sed multi. Intuere namque alicuius vultum nunc irati, nunc iterum tristis, paulò pòst iterum gaudentis, & iterum turbati, & rursum levis : vides quomodo ille qui putatur unus esse, non est unus : sed tot personæ in eo videntur esse, quot mores ?* Fies unus, nixus, ut fulcro, uno Deo: Fies mutabilis, adhærens mutabilibus. Accipe nunc sapiendi methodum,

Qui sapit, hic spernit, quidquid mutabile cernit.

19. DIES OCTOB.

Octob.

Quocunque tempore non cogitaueris Deum, puta tempus illud amissum. *Cæsarius Monit.2. cap.3.*

I. MAgna est iactura temporis, sed maxima dum non es memor Numinis. Amissum scias omne tempus, quo non occurrerit animo tuo Deus. Quomodo potes obliuisci Dei, qui semper meminit tui? & sic meminit, quasi reliquorum omnium immemor, solus esses, de quo solo possit meminisse. Gaudet rusticus si intelligat sui memorem fuisse Regem; cur non gaudes cùm tui semper meminerit, ille Rex Regum, per quem Reges regnant. Gaudet infirmus, si inuisat eum medicus, licet sanauerit paucos; cur tu non gaudes habens in te illum Medicum, de quo virtus exit, & sanat omnes? Gestit miser si habeat amicum, qui illius misereatur in miseriis: cur ego non gestio, repletus multis miseriis, cùm illum habeam in meis visceribus, qui habet viscera Misericordiæ? Expendunt homines etiam pecuniæ pretium, ut videant informe monstrum, & ego gratis non aspicio eius pulchritudinem, in quam desiderant Angeli prospicere? Regina Saba tot confecit itinera, ut semel videret Regem Salomonem in sua gloria: & ecce plusquam Salomon est hic, quem habeo mihi non tantum circa me proximum, sed in me intimum. Deus operatur omnia in omnibus pro te, imò in te, & tu non modò nihil pro eo operaris, sed vix semel per diem illius recordaris? Dei præsentia.

II. Quid aliud faceres cum hoste tibi, tuisque capitali, quàm cum Deo tibi tam amabili, nolens respicere eum, tibi vbique obuium, & in te semper tam beneficum? Prouidentia Dei semper prospicit, ne quid tibi desit; Potentia, ut tibi in necessitate adsit; Sapientia, ut te instruat; Bonitas; ut te diligat: Iustitia; ut pro meritis satisfaciat, Misericordia ut è miseriis eripiat. Sic totus Deus tibi intendit toti, & se totum tibi impendit cum omnibus suis perfectionibus: cur non contendis illi intendere, cum tot tuis quibus scates defectibus? Si Rex è suo palatio ad tuum descenderet gurgustiolum, ut omne suum tibi deferret obsequium; si ut quiesceres, stratum tibi sterneret; ut calefaceres, focum strueret; ut comederes, cibum coqueret; ut munda esset, domum verreret; ut

Digitized by Google

Octob. scriberes, calamum scinderet; ut tegereris, vestes conficeret: denique ut nihil tibi deficeret, nihil non pro te faceret: illumne post tot officia auderes manu percutere, conuiciis impetere, imo vel verbo offendere? Confer Regem cum Deo, illius obsequia cum Dei beneficiis, & inuenies inter vtraque hæc, immensum esse intervallum. Deus vbique tibi occurrit, & tecum operando concurrit, & si quid desit, succurrit, ne in mala incurras, & tu ab illo curris, ab unico tuo refugio fugis; ad eum qui semper ad te faciem conuertit, dorsum obuertis? Audi D. Thomam, & stupe tuam culpam: *Deus omnipotens singulis Angelis, sanctisq; animabus in tantum se subiicit, quasi sit seruus emptitius singulorum, quilibet vero ipsorum sit Deus suus.*

Opusc. 6. 3. 5. 2.

III. Quanta cum reuerentia, modestia, & honore accedis ad eum, cui soli debetur omnis honor, ut suscipias in te Christi corpus. Deus non tantum est intra tuam carnem, sed Animam, cur caro, & Anima tua non exultant in Deum viuum, cum sit vita vitæ tuæ? Siue palam, siue clam, idem sis: Deus est iuxta, Deus extra te, intra te, supra te: infra te, sicut in medio oceani aquâ vndique impletur spongia, sic Deo tua Anima. Cur longa facis vota tua, cum Deus tam prope sit? quid speras extra Deum alia gaudia, cum intra te habeas Deum vnde gaudio gaudeas, & illo quod nemo à te tollat? Cur tota die contristatus progrederis, cum in venis tuis sit ille, qui *lætificat ciuitatem Dei*? Cur mæres afflictus, cum tecum sit solatium afflictorum, præsidium afflictionum? Quid times, cum illum vbique circumferas, quem timent omnes, & omnia etiam quæ timentur? Cur friges, cur non ardes, cum ille te totum occupet, qui venit ignem mittere in terram, nec aliud vult, quam ut accendatur, ut tu inde accendaris? O quam Diuine dixit Diuinus Antonius. *Vbique possemus inuenire cælum, si cor nostrum esset in corde Dei.* O excors! ô vecors: derelinquit te cor tuum, quia non est corde Dei sui. Tu ergo, ut tibi bene consulas, viue Deo toti, qui se totum tradit tibi. Idem est consilium Poëtæ:

Psal. 45. 5.

Viue Deo soli, quod amat caro, quærere noli.

Digitized by Google

20. DIES OCTOB.

Cui totus orbis non sufficit, quinque terræ pedes sufficient. *Oleaster. in caput 14. Isaiæ.*

Octob.

I. CVm sensim prætervolent tempora, antequam nos deserant, varia suggero pro pace consilia, pro salute documenta, pro Virtute incitamenta. Hoc sit primum quod suggero consilium, ut tibi sæpe obiicias, contractum ad quinque pedes tumulum. Sit tibi pro hodierna lectione epitaphium cuiusdam Regis Franciæ, plenum quidem acuminibus, sed & piis admonitionibus, quibus omnium ambitio vtinam pungatur, & amor ambitionis expungatur:

Varia pro salute suggeruntur documenta.

Risi, ploro. Fui, non sum. Studui, requiesco.
Lusi, non ludo. Cecini, nunc mutio, paui
Corpus, alo vermes. vigilaui, dormio. dixi
Salue, dico vale. rapui, rapior. superaui,
Vincor. Certaui, pace vtor. iure ego vixi,
Iure igitur morior, non obsto, obstare nequirem
Terra fui quondam, rursus sum terra. nihil sum.
Terra caduca vale, vermes saluete, recumbo.

II. Euigila ad hæc monita, ne nostri temporis dicaris Endymion, qui bono tuæ salutis penitus indormis, malis, quæ officiunt saluti, inuigilas. Angusta illa, quâ breui clauderis, tumba, sit tibi quæ torpentem excitet tuba. Egregie pungit basilice viuentes D. Basilius. *O miser! parumper quæso à tuo scelere respira, & tuæ conscientiæ recessus aliquantulum perscrutare, tecumque considera, quis rebus huiusmodi finis? Habes terræ partim aratro, partim arboribus vtilis tot iugera: præterea vineas, montes, campos, saltus, flumina, loca amœna. Quid ergo post hæc? Nonne telluris tres tantum cubiti te expectant? Nonne paruus lapis, ad tui miseri corporis custodiam, satis erit?* Quid ergo gloriaris tuo corpore, quod breui custodietur vno lapide? Oleaster tibi promittit quinque terræ pedes, Basilius tres cubitos; & adhuc superbiendo attollis animos? Sed velle mortalibus inculcare memoriam mortis, est (ut loquar cum Picardo) *literas littori scribere*, velut prouerbia

Hom indit. fescent.

Innotis ad ep. Bernar.

Octob. *Thesau. oribod. l. 4.*

prouerbia loquuntur, est ouum tondere, nodumque in scyrpo quærere: adeò enim sunt homines cæci, & amentes, ac si *cerebrum in calcaneis gestarent*, ut loquitur Nicetas. Cùm enim videant quotidie per vicos, tot efferri funera, tot illis obiiciantur in cæmiteriis sepulchra, tot intelligant ex affinibus, consanguineis, necessariis fato occumbere, sic tamen vitam instituunt, ac si foret immortalis; gloria, quam insectantur, esset perennis; honor, cui inhiant, esset æternus; voluptas, quam aucupantur, esset sempiterna; opes, quas cumulant, futuræ essent sine termino in omne æuum.

Guevarria *Horol. Princ. l. 1. c. 17.*

III. Cæterùm, tanta est hominum in mundo cæcitas, & peruersitas, ut hîc viuere, penè nihil sit aliud, quàm in scelera ruere. Ut verè, suis mundum insigniuerit titulis, qui dixerit: *Mundus, sepulchrum est mortuorum, carcer viuorum, taberna vitiosorum, tortor bonorum, obliuio præteritorum, hostis præsentium, magnorum præcipitium, prauorum fastigium, caupona peregrinorum, forum erronum, volutabrum malorum, & commune omnium naufragium.* Addo & istud Tullij: *Est immensa vorago, ac gurges vitiorum, turpitudinumq; omnium.* Et illud Senecæ: *Mundus est diuersorium vitiorum.* Et illud Arnobij: *Est domicilium malorum omnium.* Rectè, quia in mundo solùm boni putantur, qui sunt mali, & mali sunt plurimi. Nihil his querelis est vsitatius. Heu infelicem mundum? Heu fraudulentum mundum? Heu instabilem mundum; Mundum accusamus ore, & diligimus corde: verbis detestamur, operibus amplectamur. Mundum nobis experti sumus perfidum, & tamen illi fidimus: fallacem, & illi credimus; pernicioſum, & eum diligimus; fugacem, & sequimur; detestabilem, & honoramus; abiectum, & æstimamus. Totus est mendacium. Ipsa Sapientia mundi est stultitia. Quomodo in eo videbitur Veritas, vbi etiam ipsum lumen sunt tenebræ? Totus apparatus mundi, & fundamenta eius, sunt cæcitatis instrumenta, superbia, libido, ambitio, iracundia. Vt perinde prope sit, amare mundum, ac amare ipsum odium; quia omnia quæ sunt mundi, sunt digna odio; & qui mundum diligunt, sunt Deo odio. Quid ergo verius hoc versu?

In Verr. 3. Epist. 51. l. 2.

Hic miser est, & erit, mundi qui prospera quærit.

21. DIES OCTOB.

Bonus timeat ne cadat, malus conetur ut surgat? Octob.

S. Fulgentius sermon. de S. Stephano.

I. NIhil aliud est in hoc mundo viuere, quam cadere, & surgere. Qui hodie surgit & peccatis absoluitur, cras iterum cadit, & peccatis inuoluitur. Hâc horâ est quis filius lucis, sequenti filius tenebrarum. Itaque siue quis sit bonus, siue malus, semper illi est timor, & labor; bono, timor ne erectus cadat; malo, labor ut prolapsus surgat. Nemo hoc mirabitur, si quis voluerit facere anatomiam mundi: cuius hodie rudia tantum aspeximus lineamenta. Mundus hic malus, nihil est aliud quam vita mundo adhærentium mala: ubi loco terræ, est Auaritia; ignis, cupiditas; aquæ, Inconstantia; aëris, leuitas, & stultitia; loco petrarum pertinacia; florum oblectamenta; arborum celsarum, superbia: maris profundi, cor. Quid multis? Sol est prosperitas, Luna continua mutabilitas. His affinia habet D. Cyprianus. *Regnum hoc munitur vitiis, ambitur flagitiis, turres eius sunt crimina, arma quarumcunq; turpitudinum molimina.* Si conferamus inter se molestias, quæ ab elementis nobis adferuntur, & quas inter vitia patimur: exiguum omnino periculum esse inueniemus, quod terra, marique infert, comparatum cum iis, quæ nobis vitæ prauitas facessit. Mundi peruersitas. *De Iesu Christo.*

II. An non grauiori versantur in discrimine, qui cadunt in altam voraginem superbiæ, quam qui de altissimo cadunt scopulo? An non periculosius agunt homines inter vitia, & voluptates, quam inter efferas belluas, & immanes feras? An non grauius subit discrimen, qui liuore tentatur, quam cui cerebrum saxo comminuitur? An non grauius periclitantur, qui auaritiæ æstu torrentur, quam qui ad montem Ætnæ habitant? Non est tacendum quod dixit Tacitus. *Corrumpere, & corrumpi, seculum vocatur.* Sic, decipere, & decipi, mundus nominatur. Vere igitur de mundo Arnobius. *Mundus, sedes, ac domicilium, in quo omne nefas quotidie perpetratur, maleficia cuncta confiunt.* Hic est ergo mundus, hostis noster capitalis, qui semper nostro insidiatur capiti: amicus fraudulentus, & perfidus; qui assiduo nos labore fatigat, & fatigatos atrociter castigat: qui se bonis formidabilem, improbis amabilem probat: bonorum maxime prodigus, *De morib. German.* *l. 2.*

Octob. alienorum, propriorum parcissimus: vitiorum omnium machinator, virtutum cunctarum carnifex, qui suos sustentat blanditiis, alienos allicit delitiis. Sic mundus dum nobis, delitiis arridet, mendaciis irridet. Itaque in mundo, vbi tranquilla omnia videntur, ibi nocitura non desunt, sed quiescunt. Illic mala audita vulnerant, visa trucidant. Vere ergo, non sunt bona mundi studiosè appetenda, quæ dum tenentur, intereunt. Quis fructus est, ea indesinenter cupere, quę etiamsi non deserant, sunt deserenda.

III. **Maxima in mundo quæ nos allicit, ut ei obsequamur, illecebra, est Voluptas. Illa, quam sit fallax, mendax, fugax, paucis te do-**

Tuscul. cebit, orator in paucis eximius, Tullius. *Qui voluptatem maxime sequuntur, minime consequuntur.* Sapies, si tibi sapiat monitum D. Gregorij. *Disce homo non diligere mundum, vt diligas Deum, auertere, ut conuertaris, effunde, ut implearis.* Sed per me licet, totum te Mundo dato; fideliter mundo seruito, optime de pessimo mundo sentito: tale ad extremum recepturus es stipendium, qualis ipse mundus est. Te sciscitor, ô mundi insane amator, an non verum: hoc entymema. Aut bonus, aut malus est mundus: si erga te est bonus: quid de illo quereris? si malus, cur illum sequeris? imo obsequeris? Non potest fieri, quin vel inuiti fateantur Cosmophili, in alterutrum errorem se incidisse: quod nimirum, aut malo seruiant hero, aut de bono conqueruntur domino. Merito igitur dixerim de Mundo quod de Fortuna, quæ in mundo dominatur, scripsit Boëtius. *Si Fortunam probas, u-*

l.2.conf.1. *tere moribus, ne queraris: si perfidiam perhorrescis, sperne, atque abiice perniciosa ludentem.* Nemo mundum probabit, nisi improbus: hæc enim est vox improbissima mundi. Ille apud me est dignitate primus, qui virtute est nouissimus: ille meus, qui non est suus; ille laudabilior, qui sordidior, ille mihi gratior, qui sibi nequior. Dum audis talem vocem, adhuc geris illi morem? Quid ni hic exclamem:

Heu stolidæ mentes! pereunt peritura sequentes.

Digitized by Google

22. DIES OCTOB.

Discas non diligere, ut discas diligere. *S. Augustinus* Octob. *conc. 3. in psal. 30.*

I. MAgna est ars verè bona non negligere, maior meliora seligere, maxima optima diligere. Quidquid diligis præter vnum, aut propter vnum, male à te diligitur. Hinc ut discas diligere Deum, prius discas non diligere, quæ non sunt Dei. Bene Fulgentius: *Amor cum periculo sæpe concordat, & dum ad illud solum notat quod diligit, nunquam videt, quod expedit.* Dediscе igitur amare, quod amatum tibi non expedit, quia tibi amanti nocet, dum à salute impedit. Deinde disce ea non diligere, quæ possessa, erunt possidentium, vel ne pereant periculum, vel ut pereant exitium. Quia si diligis diuitias, & eas possides, non tam possides tu diuitias, quam possidearis à diuitiis. Ideo solerter monet Saluianus: *Refugienda est ampla possessio, ne consequatur profunda perditio,* Diligis aliquid ut possideas, & ecce si possideas, iam periculum est ne pereas. Itaque si illa quæ non sunt Dei, amas, iam tibi pereundi periculum creas. Vide ergo cui impendas tuum amorem. Duo sunt, quorum alterutrum quem diligas, necesse est eligas; Deus, Mundus, duo sunt Domini, ut nemo duobus Dominis potest seruire, sic nec diligere. Deus est Dominus: hunc si ames faciet te tui, & rerum omnium dominum: si mundum ames, faciet te suum, imo tui mancipium.

Mundi odium, est Amoris Divini Tyrocinium. *Mythol. 2.*

Saluian. ad Eccles. l. 2.

II. Vtrique seruierat, & suum amorem consecrauerat D. Romualdus; sed quod fuerit inter vtrumque discrimen, testari voluit vltimis suis verbis, vltimum exhalans spiritum; sic enim ipse. *Vixi centum annis in Religione, viginti in mundo. O quam sunt illi breues, felices, iucundi! quam hi longi, miseri, importuni!* Quid opportunius ad inculcandum amorem Dei, odium mundi? cum Dei obsequium licet per centum annos illi impensum, ob iucunditatem sit quasi momentaneum, obsequij præmium sit perpetuum. Audiuisti verba morientis monarchi in humili asceterio, placet audire Pontificis, in sublimi fastigio? Paulus IV. summus Pontifex hanc auro dignam protulit sententiam, cum iam ageret animam. *Octoginta quatuor anni vitæ meæ, & quatuor anni papatus mei, & quatuor momenta videntur mihi æqualia. O quam breuis est vita! quam longa æternitas! & nemo*

In vita.

In vita.

O&ob. *cogitat.* Nunquid vel angustiæ temporis deberent te dedocere amorem temporalium? Esto, fruere solus toto mundo, & omnibus quæ sunt mundi, quid hoc est, cum tempus etiam ad plurima sæcula propagatum, quo potes frui, sit instar puncti? Quod ubi effluxit, priuaris mundo, & omnibus quæ sunt mundi, & simul Deo, & omnibus quæ sunt Dei. Vnum mirabatur Philippus Nerius, quod homines animales, & qui non sapiunt, quæ sunt Dei, potius mirabuntur eum mirari. Audi & stupe: *fieri ne potest, ut homo credens in Deum possit amare aliud quam Deum?* Philippe qui videt in cælis patrem, non miratur hanc tuam in terris vocem. Vis Philippe audire ex me vocem digniorem admiratione, imo dignissimam omnium comploratione? Accipe. Fierine potest, ut homo credens in Deũ, possit amare omnia alia præter Deum?

III. Quid homini est vilius, quam quod est pretiosissimum, Deus? Quid illi pretiosius, quam quod est vilissimum, mundus? O vere! nimis est vilis cui Deus viluit. Pluris æstimabimus rei cuiuscunque humillimæ lucrum, quam, qui præ omni lucro est inæstimabilis, Deum. An non sumus maxime contemptibiles qui sic maximi facimus contemptibilia? De hâc insaniâ, vel potius malitiâ, his verbis conqueritur magnus Augustinus. *Dico breuiter homini auaro, inuocas Deum? Quare inuocas Deum? Vt det tibi lucrum. Lucrum ergo inuocas, non Deum, quia hoc lucrum quod concupiscis, non potes habere per seruum tuum, non potes habere per colonum tuum, per clientem tuum, per satellitem tuum. Inuocas Deum, ministrum lucri tui facis Deum. Viluit tibi Deus. Vis inuocare Deum? Gratis inuoca. Auare, an parum est tibi, si te impleat ipse Deus? Deus si ad te veniat, sine auro, & argento, non vis illum. Quid ergo de his, quæ fecit Deus, sufficit, cui Deus ipse non sufficit?* O aliam mentem imbibe; Vilescat tibi totum, quidquid est præter Deum. Non potest ille vilescere, cui cætera præter ipsum sunt vilia. Disce ergo non diligere hæc vilia, futilia, inutilia, ut discas diligere Deum. Peribis si adhæreas perituris. Res hæc est in confesso, attestante Poëtâ, hoc pronuntiatio: *In psal. 30.*

Illi vita perit, quisquis pereuntia quarit.

23. DIES OCTOB.

Amarus eſt mundus, & diligitur. Puta ſi dulcis eſſet, qualiter amaretur? *S. Auguſtinus de temp.* 111. Octob.

I. PErgimus perſequi mundum, ut ſequamur Deum; illius inculcare odium, & omne eius calcare choragium, ut præ omnibus æſtimemus Dei amorem, & honorem; Sic nobis ſapiet inſtar nardi, illa ſententia D. Bernardi. *Ea ſequi deſine, qua & aſſequi miſerum eſt.* Dic mihi quiſquis hæc legis. Cum in mundo ſis natus, in mundo viuas, in mundo ſis educatus, cum mundum ames, vſque ad odium tui, mundo ſeruias vſque ad ſudorem vultus, mundum ſequaris vſque ad tædium cordis, mundo credas vſque ad cæcitatem mentis, quid aliud expectas poſt omnia tua obſequia à mundo, quàm mundana? Hoc eſt honoris vmbras, gloriæ bullas, voluptatis quiſquilias, porcorum ſiliquas; puerorum apinas, fabularum affanias, verbo, ipſiſſimam vanitatem vanitatum, hoc eſt, Nihil. Et necdum nihili facis, à quo nihil eſt quod expectes, præter Nihil? An ſolus carnem ſine oſſibus emere, nucis nucleum ſine cortice edere, cum hoſte ſine periculo manum conſerere, iter prolixum ſine fatigatione conficere, mare ſine metu naufragii tranſmittere cupis? cum fieri nequeat, quenquam in mundo mortalium viuere, quin quo omine in mundum venerit, cognoſcat. Mundus ſemper idem fuit, & nunc eſt, & poſt nos erit: ſi idem ſit mundus, ergo & eadem omnia quæ ſunt mundi: ergo & eodem modo tractabuntur amatores mundi. Mundi miſeriæ, Diuini amoris ſunt illecebræ. 2.

II. Mundus ſemper fuit, eſt, & erit amarus, & tamen ſemper fuit, eſt, & erit à pleriſque dilectus, & præ Deo electus. Si tam amarus, ſit tamen tam charus, quàm charus eſſet multis, ſi illis eſſet dulcis? Quis non ſtupeat cum ſit hominum turba magna, quàm dinumerare ferè nemo poteſt, qui peſſimè à peſſimo mundo tractantur; ſi ita mundus eos demulceret, ut affligit; ſi ita oblectaret, ut caſtigat: ſi foueret, ut nocet; ſi eueheret, ut deprimit; ſi admitteret, ut expellit, ſi perpetuaret ut conſumit; totus mundus abiret poſt mundum. Quærit Cyprianus de mundo à ſectatore mundi: *Quid amas eum quite odit?* Hoc eſt mundum: & ego oppoſitum quæro. Quid odiſti eum, qui te amat, hoc eſt Deum? Dic mihi amice mundi, hoc eſt inimice tui, nec a- *Serm. 4.*

Octobr. mice Dei, quid videre, audire, discere, amplius expetis, ut mundum cognoscas, postquam vides, quo pacto sis hactenus à mundo habitus? Nónne petenti quietem dedit laborem? petenti honorem, inussit infamiam: petenti opes, & lætitiam, impertiuit inopiam, & tristitiam? & petenti ut in suis te numeraret, dedit missionem? petenti vitam, tribuit mortem? Sic à mundo habitus, adhuc mundum tanti habes? O munde quam procul abes à iusto, & quam procul abesse à te oportet, ut quis sit iustus! Mundo oportet uti, non licet frui. Dicam ergo, & verè cũ D. Bernardo. *Beatus qui post illa non abijt, quæ possessa onerant, amata inquinãt, amissa cruciant.* Suadeo tibi cum Augustino. *Ora ut ad ista damnanda intellectum accipere merearis, & affectũ ad fugienda, & misericordiam ad cognoscendum.* Nihil erit tibi expeditius, quam mũdi laqueis te expedire, & mundum fugere, vbi quis, & qualis sit, cæperis cognoscere.

III. Sed opponès, & vel sic tibi impones: Magna quin, & multa sunt in mundo, quæ hactenus expertus sum Mundi oblectamenta. Et illa nunc vbi sunt? Respõdet mihi, & id ipsum futurũ spondeo tibi, quod Aug. *Delectatio occidit, & præterijt: vulnerauit, & trãsijt; miserum fecit, & abijt, infelicẽ reddidit, & reliquit.* Et necdum mundum relinquis? imo ne relinquas, à quo es breui relinquendus, delinquis? Ut prædones illi Ierechontinum illum peregrinum *despoliauerunt, & plagis impositis abierunt semiuino relicto.* Ecce stipendium mundi: illa quæ sunt mundi (quid illa, nisi vitia) despoliauerunt te gratiâ Dei, iure ad cælum, fauore Christi, tutelâ Deiparæ, suffragiis Ecclesiæ, virtutibus moralibus, omnibus per tot annos congestis thesauris, hoc est totius vitæ meritis; illis, inquam, te despoliauerunt (nónne mundus est verè spoliarium?) Nec satis est quod tibi sustulerint omnes tuas gazas, insuper intulerunt grauissimas plagas: post illorum spolia, sequantur tua vulnera: nec levia fuisse vulnera, hoc est argumentum, quia inter viuos, reliquerunt te semivivum. O ergo ut viuere incipias, antequam viuere desinas; vel semiviuus (quia anima adhuc spirat, dum sperat) incipe totus viuere illi toti, à quo accepisti, ut possis viuere, cui omnia viuunt, qui est vita tuæ vitæ. Mundum ergo delere, & illi seruire desine, dum tempus est. Sic te adhortante Augustino. *Corrigant se, qui tales sunt, dum viuunt, ne postea velint, & non possint, quia subito venit mors, & non est, qui corrigatur, sed in ignem mittatur.* Utere tempore: enim vero.

Serm. de Temp.

Luc. 10. 30.

De Temp. 164.

Tempus defiendi, nunc, & peccata luendi.

Digitized by Google

24. DIES OCTOB.

Vera religio, in vnius constat veri Dei seruitio. *S. Fulgentius ad Donatum.* Octob.

1. SEruire famulum Domino, est æquum: seruire hominem Domino dominantium, est plus quàm æquum, quia est æquitas. Omnis religio constat in vnius Dei seruitio: alia omnis irreligiosa est religio. Cuius ergo suasimus amorem, superest, ut pro virili, persuadeamus erga eum honorem, utpote cui soli deberur ab omnibus, omnis honor. Hunc maximè prodimus obsequiorum officiis: officia extorquebunt bene expensa, Dei in nos immeritos merita. Primum honoris obsequium sit, illum ut par est, timere. Breviter, sed neruosè Tertullianus; *Hominis timor, Dei est honor.* Vis causam timendi? suggeret Iosephus Iudæus. *Qui Deum respicere suam vitam credunt, delinquere non præsumunt.* Expectas iam ut recensea eius beneficia? Quid volo revocare ad numerum quæ sunt innumerabilia? *Suspice cælum, & numera stellas si potes.* Citius, & facilius poteris, quod non potes, numerare stellas cæli, quam beneficia Dei. Non tot in cælo lucent sidera, quot in tuâ cælesti Animâ, elucent Dei munera. Sed agamus personam Arithmetici, & incipiamus inire numerum. Ingens fuit beneficium, quod Pater nos creauerit, non rogatus ab vllo: quod Filius nos redemerit, non adiutus ab vllo; & super omnia quod Spiritus sanctus nos Christianos elegerit, nemine promerente. Magnitudinem huius beneficii, paucis exponit Arnobius. *Christianus ni fueris, spem salutis habere non poteris.* Quid profuisset nobis totius mundi monarchia, si non fuissemus in Christianæ Ecclesiæ Hierarchia? Cum verissimum sit illud Lactantij. *Ecclesia Catholica, est templũ Dei, quo si quis non intrauerit, vel à quo si quis exiuerit, à spe vitæ, ac salutis æternæ alienus est.*

Dei in nos beneficia, exigunt nostra obsequia.

De pœnit.

Contra Appion. l. 2.

Gen. 15. 5.

l. 3.

4. vlt.

II. O Bonitas ineffabilis, quia inæstimabilis! Quot Mauri, Turcæ, Iudæi, Ethnici, Hæretici, si fuissent vocati in admirabile illud lumen, ad quod me, non rogatus à me, vocasti, quanto pluribus præ me Ecclesiam tuam illustrassent meritis, te honorassent suis obsequiis. Et si me voluisses esse Hæreticum, inter Hæreticos vixissem ut Ethnicus, inter Ethnicos, ut atheus; inter atheos, ut atheorum primus. Itaque reliquisti illos omnes, quos si vocasses, fors propter te reliquissent omnia, & elegisti me è millibus, à quibus præscibaste offendendum tot sceleribus. Tu cur id feceris, nosti,

&

Octob. & ego quid hic dicam nescio. Sunt hæc indicia tua, mira quidem, sed tamen iusta, quæ par est potius admirari quam scrutari, honorare, quam inuestigare. *Dei iudicia nemo plenè comprehendit, iuste nemo reprehendit*: ut bene Augustinus, qui omnia optimè. Interim qui Deum expertus es in te non modo voluntate benevolum, sed liberalitate beneficum, non tantum impensè bonum, sed profusè blandum, noli tibi nimium blandiri: quantum tibi gratularis ob accepta à Deo beneficia, tantum metuas, & angaris, ob futura eius iudicia. Hoc ipsum vult Chrysostomus. *Quanto maiora beneficia sunt hominibus constituta, tanto grauiora peccantibus iudicia.* Consonat S. Ambrosius. *Quo indulgentior liberalitas, eo inexcusabilior peruicacia.* Vin tertium? *Cum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum.* Dei dona accipienti non sunt bona, nisi qui acceperit sit bonus.

2. Decimit. c. 25.

Discip. de tempore.

In Luc. c. 20

III. Multa tibi sunt facienda quia Deus tibi benefecit, dum hominem fecit, hoc est, quia es præditus ratione, sed multo plura quia es imbutus vera religione. Parum tibi prodest recta ratio, si desit vera Religio. Attende, & expende verba Cypriani, ut impleas officium hominis Christiani. *Cui plus dignitatis adscribitur, plus exigitur seruitutis.* Vera ergo amplitudo non ex eo pendet, quod quis ampla habeat, sed amplius valeat. Non ideo Rex est laudabilis quia præcellit aliis dignitate, nisi præ aliis excellat Virtute. Hoc est, tum demum Rex est laudabilis, si is cui à multis seruitur, ipse vni seruiat Deo. Consentit mecum D. Augustinus. *In hoc seruiunt Reges Deo, si in regno suo bona iubeant, mala prohibeant, non solum quæ pertinent ad societatem humanam, sed quæ ad religionem Diuinam.* Ab arbuscula humili, & fragili, præter fructum suo tempore reddendum, nihil exigitur; ab excelsa vero, speciosa, & spatiosa arbore, ut multa præbeat multis. Quæ illa? Frigentibus ligna, fessis vmbram, esurientibus fructus, tum ut ipsa aduersus omnes ventorum impetus se tueatur. Tu Christiane es inter homines, quod cedrus libani inter arbores. Es arbor bona, expectat à te cælestis ille agricola ut facias fructus bonos. Christianus es, hoc es princeps es, de Christianis enim dictum est illud. *Constituit eos principes super omnem terram.* Quid te abiicis infra terram, quem Deus constituit principem super terram? Exclamat Tullius. *O Dij immortales, quam magnum est personam tueri principis!* O Deus immortalis? quam magnum est tueri personam Christiani hominis! sis ergo memor illius carminis:

De simplic. eletic.

Psal. 44. 17

Philip. 2.

Quanto maior eris, perfectior esse teneris.

25. DIES OCTOB.

Imitare si potes, apis ædificia, formicæ stabula, bombycis Stamina. *Tertullianus aduersùs Marcion. libr.* 1.

Octob.

I. DEum oportet nõ modo diligere,& colere,ut priùsdocui,sed admirari.Hoc nos docebũt his trinis punctis,non procer aanimalia,sed pusilla animalcula , Apis, Formica, Bombix; in illis minimis , miraberis Deum maximum. Ordior ab Apibus:Quam est apis,exilis, & contemptibili specie, & tamen suavissimum liquorem , & omnibus hominibus salutiferum conficit : hoc mel est,quo ad cibos condiendos vtimur, ad officinarum apparatum,ad debilium stomachorum corroborationem. Dein quæ non vtilitas promanat ex cerâ,quam conficit; cerâ altaria splendent, supplicationes condecorantur, funerum pompa celebratur,Regum mensæ exornantur. Aristomachus, teste Plinio, ita rapiebatur, cum in Apum proprietatibus expendendis versaretur,ut sexaginta annis nihil aliud propè egerit.Certe si Apum consideres Rempublicam,plus miraberis,quam Regina Sabæ Salomonis familiam : nec enim tam admirandus fuit Salomon in suo solio cum omni sua gloria,quam in suo cereo ædificio,apicula. *Imitare si potes Apis ædificia.* Sed quia non potes imitari , potes te inde confundere. Deus mirabilis in animalculis.

II. Api succedit Formica. Primum in quo recipiendo gentium consensus conspirauit, fuit, coniunctio hominum inter homines , ut scilicet oppida,urbes,& Respublicæ constituerentur. Quis hoc primum docuit? Formica,teste Platone,& Plinio,qui sic loquitur. *Formica Reip. ratio, memoria, cura.* Formicæ enim simul laborant,viuunt,incedunt, & hyemis futuræ non ignaræ,atque incautæ,alimenta sibi recondunt,& quod mirandum magis est, nulla earum sibi quidquam vendicat, sed omnia habent in Reipub.suâ communia. Et certè earum Respub. est ad stuporem admirabilis, ad artificium inimitabilis,si videas quo pacto cauernosa penetralia repurgant,quomodo madefacta imbre semina proferunt,ac siccant, quo modo labore suo singulæ victitant,ut nulla aliam offendat: quomodò aliæ aliarum labore fruuntur & quòd nos confundit, quomodò quinquaginta millia formicarum in caverna minitua victitant:ubi duobus viris vna Re- *l.* 11. *c.* 30.

Octob. publica nimis anguſta eſt. Quis non miretur? Beſtiolæ quas miſellas, deſpectaſque Natura fecit, quas innoxius damnauit hyemali ergaſtulo, viuas quaſi ſepulchro, denegato victu, ipſæ ſibi carcerem in horreum mutarunt, hypogeum in triclinium. Vna omnium animalium Formica diues eſt, habet, poſſidet, conditque. Alia in diem victitant, pauperrima ſunt: ſcilicèt Natura portionem prouidentiæ ſuæ in illarum diligentia delegauit: ſat fuit de illis ſolicita, quod fecerit ſolicitas. Vtinam tanta eſſet hominibus parandæ ſalutis prudentia, quanta formicis ineſt vitæ ſuſtentandæ prouidentia.

III. Quis poteſt ſatis efferre naturam Bombycis, cuius ſtamina, Regum ſunt ornamenta? Nónne mirum, tam exiguum, & abiectum vermiculum, fila conficere tam gracilia, tenuia, & tamen tam pretioſa, & artificioſa, ut nullius hominis induſtria id poſſit conſequi? Nónne & illud mirabilius, tam puſillo animali Deum tribuiſſe materiam, quam totius mundi venuſtati ſuppeditaret, quæ ſunt holoſericum villoſum, undulatę veſtes, & innumera alia veſtimentorum genera quæ ex ſerico concinnantur: quibus potentiſſimi terrarum Domini gloriantur? Omnis enim, quam ipſi Cæſares ex veſtibus captant gloria, ſunt Bombycum viſcera. Nónne & illud mirandum, nullam eſſe Æthyopum ciuitatem, nullam regionem tam barbaram, neque tam diſſitam, ubi Magnates, & Proceres, non ſe conentur conſpicuos reddere, Bombycum exuviis? Quid, quod ipſę Deo conſecratæ aræ, & qui ad aras faciunt, ſplendeant, illarum filis, ſeſeque faciant conſpicuos? In rerum natura, mirabiliſſimum eſt omnium mirabilium, natura animalium. Quis hic non ſubmittat criſtas, dum videt ſe animalculis cedere, arte, qui illa præcedit mente? Itaque Bombycis ſtamina, Formicę ſtabula, Apis ædificia, quæ excedunt omnium hominum artificia, ſint tibi ad artes diſcendas ſtimuli, & calcaria.

Res valet, ars præſtat; ſi res perit, ars mihi reſtat.

26. DIES OCTOB.

Eſto tu Dei, & Deus erit tui. *S. Cyprianus ſermon. de Aſcens.*

Amoris indoles. I. SOlo amore Dei, totus fis Dei, & Deus tui. Quiſquis amat, ſibi moritur, & viuit alij, aut alibi. Fatetur hoc quidam amator. *Vbi ſum, ibi non ſum: ubi non ſum, ibi eſt animus.* Etenim cum reſpondeant ſibi amantes, ille

ille in isto,& iste in illo,commutatis spiritibus vivunt. Alter alteri,vterque vtrique traditur, vterque ab vtroque accipitur. Servus, qui suus non est, nihil habet suum. Ista est solertia,illa industria amoris : Seruitutem,vulgi opinione infamem,& probrosam,reddit ingenuam,& glorioſam, imò facit locupletem, & dominantem;unde illa seruire,& mori, quæ censentur horribilia,in amore sunt sancta,& illustria nomina,sunt sine damno, imò cum lucro. Amans fatcor est servus, nec vllus magis est servus,sed servus est liber. Est item captivus,sed ingenuus captivus. Habes qui hoc fateatur Doctorem rectè amantium,Magistrum gentium : *Ego Paulus vinctus Christi.* Cui glorioſius erat esse vinctum Christi, quam Monarcham mundi. Est ergo amans captivus,sed sua libertate, quid enim liberiùs Voluntate? Ex illa nascitur amor. Est & Dominus,licèt alienus; & quamvis non sit sui iuris,se possidet & secum possidet alium. Vterque se possidet, non in se, sed in altero. Dum amas te amantem,perderis in te,sed reperiris in alio, qui de te,non de se cogitat. Sic per te, & à te amissus, restitueris in altero te,qui te seruet,dum te perdit. Adhuc restat miraculum. Postquam à te perditus redimeris ab amico amato à te,& amante tui, per hunc ipsum te possides. Tum si per hunc medium te possides, priùs hunc possidebis, quam te: quare proximior illi, quam tibi eris : nec enim ad te recedis nisi per illum. Octob: *Ephes* 3.1.

II. O novum captiuitatis ritum,esse Dominum triumphatoris sui ! ô inauditum mancipij genus,esse Regem heri sui ! Vnusquisque amantium, longinquior à se est,quam ab altero:vicinior alteri, quam sibi. Quid mirum,si in se non sit,sed in alio,mortuus sibi,rediuivus alij. Amans itaque, dum se negligit,in se perit,& perditur:resurgit tamen, & inuenitur. Primum in amato,dum nihil nisi de illo cogitat. Secundò suscitatur & resurgit,dum noscit se ab amato amari,& in eo viuere. Aduoca nunc integerrimos arbitros,consule iustissimos rerum taxatores,qui æstiment iacturam tui,cum te,& Deum perdis;si ames, & non Deum. Quanti Deus sit habendus,etiam qui offendunt, docebunt. Quanti te debeas habere,roga superbos,pessimos,licèt sui arbitros,se non virtute, non animo æstimantes, sed vilissimâ sui parte. Ex his iacturam tui,& Dei æstima. At si amas Deũ, quam immensum inde tibi lucrum: quia te dando Deo accipis Deum, & te in Deo. Tibi moreris,reuiuiscis Deo, & tibi : te amittis, & inueneris in Deo, sic ergo si tu sis Dei, Deus erit tui:atque ita nunquam magis eris tuus,quam dum eris Dei,& non tuus. Prô felicitatem felicissimam! tuam vitam fragilem,& miseram, commutare pro Divina,& recuperare tuam. O pretiosam mortem amoris,& iustorum, qua emitur Divina vita, & reparatur

Octob. paratur humana! ô ratam rescissi contractus legem! ô gratuitam commutationem, quod te dederis, accipere Deum, & te!

III. Quid ergo miser, & amens amas alia præter Deum? Minùs te est, quidquid amas in terra, aut sub terram natum, Amas aurum? Ferreus est ille amor: adeoque dicere pores ego vinctus auri, quia Aurum victor est tui: & sic cum tuo auro viuis ferrea sæcula, quia vnus dies, ob magnitudinem tædij, est vnius sæculi facies. Dum ergo amas illas purpuratas fœces Fortunæ; nunquam eris magis fortunatus; quia tradis te non reddituris, non compensaturis. Egenus manes hoc amore: nam postquàm te dederis, nunquam restitueris: & cum omnia tibi videberis possidere, pauperrimus sine omnibus, & sine te manebis. Quis egentior, quàm sui? solus, & alterius simul, & sui ipsius (ut dixi) esse potest, qui soli se illi dedit, qui ideo solus est omnium, quia solus est omnia. Egregiè de egregio Dei amore, dum suis omnibus perfectus est numeris, dixit Isaac apud Cassianum. *Tunc Dei perfecta dilectio, quâ prior ille nos dilexit, in nostri quoque cordis transierit affectum, &c. cum omnis amor, omne desiderium, omne studium, omnis conatus, omnis cogitatio nostra, omne quod videmus, quod loquimur, quod speramus, Deus erit*, Hoc demum est esse Dei, & quod sequitur, sui. O vtinam posset cor nostrum eructare verba illa bona, quæ olim tota iam Dei, D. Scholastica, quæ fuit amantium Dei schola. Sic ipsa. *Nescio quid mihi Deus fecerit, sed scio, quod nihil possum amare præter ipsum in hâc miserâ vitâ.* Nihil amare in terris præter Deum, est fabricati sibi in terra cælum. Hoc tibi insideat.

Vt sis ipse tui, sit Deus ipse tuus.

27. DIES OCTOB.

Stans in terra, in cœlo es, si diligis Deum.
S. Augustinus in psal. 85.

Amantis Deum felicitas. I. ETiam in terris, Amor est faber cæli. Miraris Amorem fabrum? Filius Dei, olim dictus *fabri filius.*, Amoris Divini est Pater. In cælo nulla est tristitia, sic nec in terris, amantibus Dominum cæli. Habeo huius rei fideiussorem D. Nicolaum Tolentinum, *fuerine potest, ut homo qui seruit Deo propter Deum, possit esse Melancholicus in hoc mundo?* Exulat omnis melancholia, ex Divini Amoris Monarchia. In cælo est torrens voluptatis: hoc torrente etiam hic potatur, quisquis est sitiens Charitatis. Testem cito huius

Mat. 13. 55.

ius Veritatis D.Scholasticam. *O si sciremus solatia, & delitias, quæ Deus abscondit diligentibus, & seruientibus ei, mundus esset nimis parvus, ad comprehendendum eos, qui illi seruiunt.* His affinia dicit S. Laurentius Iustinianus. *Deus abscondit excellentiam Religionis, hominibus, alias totus mundus non esset nisi unum monasterium.* Vertex felicitatis in cœlo, est videre Deum; Apex felicitatis extra cœlum, est spes videndi Dei, suffragatur mihi Blosius. *Vnicum & verum solatium bonæ animæ in hoc mundo, est spes semel videndi Deum.* Quis ergo, ut extra cælum inueniat sibi cælum, nolit toto corde diligere Deum, cum inde ipse reddatur de terreno cælestis, & fiat illi de terra cælum? Quæris qui te ad amorem excitent stimulos, acuant aculeos? Expende sequentes rationes. Octob.

II. Quid non agendum homini, ut suadeat homini Amorem Dei? Quot scribendi libri, quot adferendæ rationes, quot excogitanda argumenta, quot habendæ conciones, quàm horribilia intentanda supplicia, quàm incredibilia promittenda præmia? Et hoc ut suadeatur res omnium rerum, facillima, vtilissima, iucundissima? Res quàm natura docet, Ratio suadet. Deus iubet, tota rerum universitas hortatur. O homines vix homines? Quid si fumine esurienti proponatur mensa exquisitissimis ferculis opiparè instructa: si auaro præ pedibus iaceat auri cumulus, argenti acervus, congeries gemmarum, oportebitne vel è Græciâ accersere Demosthenem, vel ex Italia euocare Tullium, qui huic ut thesaurum tollat, illi ut cibos sumat, multis grauibusque allatis rationibus, suadeat? Tamen ut quis persuadeat homini Deum esse amandum, proh! quanto opus est molimine. Adeone inamabilis est amor? *Quid tibi sum ipse,* (ait Augustinus) *ut amari te iubeas à me, & nisi faciam, irascaris mihi, & mineris ingentes miserias? Paruana ipsa est miseria, si non amem te?* Parua? Profecto miseria maior, nec ab homine timeri, nec ab Angelo excogitari potest, quàm non amare Deum. Sicut enim amare Deum, in terris est cœlum: sic non amare, est Tartarus.

III. Vt suis momentis ponderes Dei in nos amorem, trutina illa verba Christi. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in illum, non pereat.* Sic *Deus dilexit.* Sic, tam fortiter, tam effusè, tam ardenter, tanta æstimatione, tanti illum fecit. *Deus;* illa infinita Maiestas, nullius egens, sibi sufficientissima, qui verbo creauit omnia, cui tot Myriades famulantur Angelorum; *Mundum,* humanum genus, infimum naturæ rationalis terminum, brutis animalibus affine, terrenis addictum, cælestium inane, immundum, ingratum, inimicum, rebelle, in quo nihil dignum amore, plurima digna odio, & supplicio, *Filium suum Vnigenitum,* naturalem, Ioa. 4. 9.

Octob. lem, consubstantialem, eiusdem Maiestatis, Potestatis, Sapientiæ, excellentiæ, quem infinito dilexit amore, cui totam suam substantiam, vna cum omnibus suis perfectionibus ab æterno communicauit. *Daret*: in Rectorem, in Magistrum, in exemplum vitæ, in resurrectionem, in pretium, in satisfactionem pro peccatis, in thesaurum perpetuum, in iuge sacrificium, in Sacerdotem æternum, in panem vitæ sempiternæ, in alimentum immortalitatis, in pignus futuræ gloriæ, in Regem, Iudicem, & Remuneratorem, in gloriam, in triumphum cælestis gloriæ, *Daret*: ad unionem nostræ naturæ, ad nuditatem, paupertatem, ad labores, & incommoda huius vitæ, ad contumelias, & persecutiones, ad alapas, & sputa, ad flagella, & spinas, ad omne genus probrorum, & dolorum, ad crucem, denique & mortem. *Vt omnis qui credit* &c. Totum id fecit, ut nos ab exitio sempiterno, cui addicti eramus, eriperet, & æternâ vita donaret: nec à nobis requirit aliud, quàm ut credamus, in Filium, eique seruiamus, & diligamus. Qui sic, & tantum te dilexit, necdum ingrate vel tantillum diligis? Imò Domino cæli præfers pauxillum terræ? Verè.

Vrit amor cæcum, non est amor arbiter æquus
Nam deforme pecus, iudicat esse decus.

28. DIES OCTOB.

Amor non amatur. *Iacobonus in Vita.*

Maximus amantis est dolor, tam rarus in terris Dei amor.

I. NOn amari summum Bonum, ad amaras lachrymas compulit Iacobonum. Fuit is ex Seraphicâ D. Francisci familiâ, vir præcellens sanctimoniâ. Qui cum videret tantam esse amantium Deum, qui est Charitas, caritatem, ut erat ipsi Deus charissimus, incedebat mæsto, & in solum deiecto vultu, non sine copioso fletu, ac oris planctu, & cordis luctu. Alij per compita ei obuij, cum viderent genas tam uberibus perfusas lachrymis, toties gementem, singultientem, ac præ mæroris magnitudine, tantùm non exanimem, ab eo studiosè quærunt: ecquid ita ploret, quid deploret cur tam copiosæ in oculis lachrymæ, cur tam acerbæ in lingua queri moniæ, quid ei sinistri euenisset: promptos se ad succurrendum, modo causam suggerat tam vasti doloris. Frustra rogant, rogatus non respondet. Dolor magnus vult honorari silentio. Non est ergo qui consoletur eum, non est usque ad unum, quia magna est velut mare contritio eius. Tandē multorum importunitate compulsus, ductis prius ex imò pectore immanibus

Digitized by Google

nibus ſuſpiriis: vos, inquit, petitis, ſilentio digniorem, quam eloquio lamẽtandi cauſam? Amor non amatur. Ille vnus deberet eſſe omnium hominum qui ſunt, fuerunt, erunt maximus dolor, quia non amatur Amor. Octob.

II Quid eſt hoc? opſtupeſcite cæli ſuper hoc. Vbi iudicium, ubi prudentia, vbi ratio, vbi fides? Amantur opes, nullam nobis allaturæ opem: quid vilius? Amantur honores, tituli, dignitates, quæ inſtar vmbræ præterceunt, quid vanius? Amantur ſpurcæ voluptates, quas aliud nil conſequitur niſi mæſtum pœnitere, quid fœdius? Amatur mundus, amatur caro, amatur Dæmon: hoſtes noſtri capitaliſſimi. Denique omnia odio dgniſſima amãtur. Amor non amatur. Qui nos condidit, conditos conſeruat, conſeruatos tot fauoribus, beneficiis, gratiis locupletat, locupletatis, Regnum ſuum promittit in præmium; qui nobis aërem quo ſpiramus, alimenta quibus veſcimur, veſtes quibus tegimur, terram, qua ſuſtinemur, ſolem quo illuſtramur, animam qua viuimus, denique omnia ſua, ac tandem ſe gratis, nobis ingratis largitus eſt, hoc eſt, Amor non amatur. Ille qui vnus quidquid uſquam in rebus procreatis eſt amabile, condidit, à quo res omnes ſuaues dulcedinem, venuſtæ formam, ſplendidæ lumen, ſpirantia vitam, intelligentia rationum, res denique omnes perfectę perfectionem, & quomodocunque bonæ bonitatem hauſerunt. Ille, qui eſt illicium omnis amoris, conſummatio omnis deſiderij, terminus omnis motionis, ſatietas omnis appetionis, quies omnis voluntatis, centrum, & finis totius vniuerſi; denique, Amor non amatur. Odium amatur, & amor non amatur.

III. Latet Deus in corde meo, eſt abſconditus in pectore, fluit per venas meas, inſidet fibris meis, circumſcribitur meis viſceribus, inſinuat ſe per medullas, in me, & in qualibet parte mei, totus Deus eſt collectus, totus completus, totus præſens, cum vniuerſa Potentia, Sapientia, Bonitate, cæteriſque perfectionibus ſuis. Conuerte nunc oculos tuos, ô Anima! ad te introrſum in fundum cordis tui; ibi ſilente creaturarum ſtrepitu, & importunarum cogitationum ceſſante tumultu, illum alloquere, & cum illo colloquere, qui eſt Sapientia Patris, & centrum tui cordis. Obſecro Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis, liceat mihi pauca, quærere, ô Bonitas, quid eſt quod me ames, & ſic ames, cum odiſſe me deberent, omnes creaturæ? Quid eſt quod amari cupias à me, inter amatores tuos me ſeligens, qui indignus ſum, qui ſim inter Dæmones, ſervus eorum factus? O amor mundi, & gaudium cæli, quid tibi, & mihi, qui debeo odium, eſſe & horror totius vniuerſi? Similis ſimilem amat, quid tu optimus, diligis me peſſimum? Quid tu ſapientia, amas me ſtultitiam? Potentia, infirmitatem, Miſericordia miſeriam, Pulchritudo turpitudinem, Scientia ignorantiam, quid

Octob. quid denique tu Bonitas, amas me malitiam? Eia Anima incipe, vel nunc amare eum, qui ab initio sine initio te amauit, & in fine sine fine te amat, & ab æterno expectauit ut eum amares, & in æternum deinceps paratus est te amare. Pascisçar Domine tecum, ut olim sponsa tua Catharina. Domine tu cogita de me, & ego cogitabo de te. Beatum pactum, quo acquiritur cælum, imò Dominus cæli. Quid ni hic exclamem.

O felix pactum summo cum Numine factum!

29. DIES OCTOB.

Felix commercium, ubi datur lutum, tollitur aurum.

Petrus Damianus l. 7. ep. 7. ad Agnet.

Commercium cum Deo. I. VIcturum te existimares aurea sæcula, si quantum est luti in Platea, tantum esset auri in tua crumena. In tua est manu, tale, dum volueris, inire commercium. Pluris tibi, credo, est cælum, quàm omne aurum. Desere terram, hoc est lutum, accipis cælum: despice terrena, dabuntur tibi cælestia; sperne humana, acquires Divina. Si hic esset in terris locus, vbi foret gazophylacium Christi, nónne malles collocari tuas pecunias in isto Sacrosancto gazophylacio, quàm in tuo malefido morsupio? Festiue B. Alcuinus. *Auaru,* inquit, *aurum quærit & quid in auro, nisi species vana? Nónne vnus panis esurienti, melior est, quam mons aureus? Aurum prodesse potest danti, non accipienti. Ideo demus diuitias in præsenti, ut in futuro possideamus illas. Nam pauperis manus, Gazophylacium est Christi.* O Christiane! quantum diligis Christum, tantum æstima Gazophylacium Christi. Osculare, pauperis manus, sint licèt callosæ, scabiosæ, purulentæ, fœculentæ. Pone in illis manibus decumanum nummum, hoc est lutum, & accipies aurum, hoc est cœlum. Nam, teste Ioanne, *Platea ciuitatis* (videlicet cælestis) *aurum mundum.* Instat Christus. *Suadeo tibi emere à me aurum.* Negabis te habere, quo aurum emas, pretium. Pretium auri, est massa luti. Hoc da, & accipies illud.

Ep. 66.

Apoc. 21. 21.

Apoc. 3. 18.

II. Quid est hic, in quo degimus, mundus, nisi forum nundinarium? Et quid sunt quibus hic viuimus dies, nisi, teste Gregorio Nazianzeno, Tempus nundinarium? Consentit Chrysostomus. *Nunc est panegyris, & nundinarum dies, qua quisque sibi comparare potest, qua vtilia, aut necessaria videbuntur.* Dum ergo hic celebras nundinas, expende pecunias. Si quis veniret ad

Digitized by Google

ret ad nundinarium forum, & quo merces emeret nihil conferret præter lutum, nónne ut stultum conspurcarent eum luto? sumus omnes lutei, quidquid possidemus de bonis terræ, est ipsissimum lutum. Satis est nos ad cælestes nundinas venire luteos, cum luto. Deus est institor, tu nundinator. Audacter accede; noli cum Petro dicere. *Argentum, & aurum non est mihi.* Clamat, & invitat te, qui vult emi à se. *Qui non habetis argentum properate, emite, comedite, venite, emite absque argento.* Ardet vendere, tu ardeas emere. Vult te ad suas quas proponit nundinas, properare, non vult te hic esse instar testudinis tardipedem, sed instar Pegasi alipedem: non vult te tantum venire, sed properare. Non exigit à te aurum, vel argentum; da quod habes vilissimum, & accipies, quod non habes, pretiosissimum. Dum ergo hic celebras nundinas, vt emas merces, eroga pecunias. In his nundinis exponitur Virtus omnis venalis, tu tantum, ut emas, esto liberalis.

Octob.

Act. 3. 16.

Isai. 55. 1.

III. Ut Dij, testibus gentilibus, omnia vendunt laboribus, sic & Deus omnia sua vendit, labore, sed facili; molestiâ, sed brevi; incommodo, sed exiguo; pretio, sed propè nullo: Vendit quâ nihil in cælo, & terra habet æstimabiliùs, suam gratiam, vnico cordis suspirio, vnius diei ieiunio, vna ex oculis lachrymula, vna sanguinis guttula, vna sudoris stillulâ, vna oris voculâ, vnius horulæ vigiliâ. Quid adhuc torpes stolidè mercator, quid hæres insane nundinator? si nihil habes quod des tui, da te, & habebis cælum, & cum cælo Deum, & cum Deo & in Deo, omnia quæ sunt Dei: si nihil pro Deo potes facere, saltem, quod potes, aliquid pro illo patere: si non velis dare pecuniam, saltem velis, dum aufertur, pati eius iacturam. Patiendo, & nihil faciendo, potes emere Regnum cæli. Ideò imprimè tibi illa humilis Francisci aurea verba. *Quando omnia perdidisti, & ideo affligeris; habeto semper hæc verba in corde. Pro his omnibus paratur nobis Regnum cælorum.* Si, quod tibi vendit Deus, & pretium quo emis à Deo inter se conferas, necesse erit verba illa D. Romvaldi proferas. *Cælum est tam magnum, Pœnæ nostræ tam paruæ, & dies nostri tam breues, ut oporteret nos mori præ pudore, dum conquerimur.* Vtere ergo cum quæstu, hoc nundinario tempore, cuius vel vnicus diçs, est omni pretiosior pretio. Id ipsum testatur D. Scholastica. *Dies vnus bene impensus obsequio Dei, plus valet, quàm millio annorum ad obtinendum vniuersum mundum.* Arrige aures loquenti Divino mercatori.

Tu modo da cænum, reddam pro munere cælum.

Digitized by Google

30. DIES OCTOB.

Octob. **Sustinete virgam corripientem, ne sentiatis malleum conterentem. *S. Bernardus in psal. qui habitat. Sermon.* 10.**

Peccati comes, Pœna.

I. PRioris diei tessera te docuit methodum feliciter nundinandi. Sapientis est malle pati in hac vita leuia, quàm post illam gravia: melius est enim corripi, quàm conteri. Divina Iustitia, ut reddat vnicuique iuxta sua merita, sicut habet geminas manus, ita & gemina, quibus castigat instrumenta, altera est dextera, altera sinistra manus: illa est Patris, hæc Iudicis, illâ tenet virgam, hâc malleum; dextera corripit, sinistra conterit: utitur virga contra amicos, ut corripiat ad momentum: utitur malleo contra inimicos, ut conterat in æternum. Vide quid eligas, ne posteà te pœniteat elegisse. Ut semel castigeris, non est libertatis, est necessitatis. Peccasse te, tam est certum, ut non possis negare te peccatorem, quin novum committas peccatum. Ubi præcessit culpa, necesse est sequatur pœna. Culpa enim nunquam est solitaria, pœna illam non tantum sequitur ut pedissequa à tergore, sed adhæret ei ut comes à latere. Quid ergo miraris te corripi, vbi commisisti corripienda? Nónne tu vnus ex illis es, de quibus conqueritur, qui te quærit, Deus? *Verterunt ad me tergum, & non faciem?* Qui cum peccares ad Deum vertisti dorsum, nunc quia peccasti, ut castigeris, inclina dorsum. Quidquid hic pateris, quia est leue tribulationis, non est nisi ictus virgæ, quod posteà patieris, sunt conterentis ictus mallei: si formides diros ictus, declina prauos actus: quia respondent actibus ictus. Ut effugias virgam, fuge culpam.

Iere. 2. 27.

II. Si iaceres in incude sub ictu mallei, quid malles, esse vitrum, an aurum? Vitrum malleo conteritur, aurum perficitur. Quivis in hac vita est velut in incude, debet tundi, hoc est plecti. Divina Iustitia vt plectat, tenet malleum, si sis vitrum, hoc est improbus, difflies, frangeris, peribis: si aurum, hoc est iustus, solidaberis, perficieris. Est hic ipsissimus sensus D. Augustini, *Malleus vniuersa terra, diabolus est: De ipso malleo, in manu Domini posito, id est in Potestate Dei, tunduntur ductiles tubæ, id est, animæ sanctæ, ut resonent Dei laudes. De isto malleo, & iustus tunditur, & peccator, ille ut probetur, ille ut puniatur. Aut certè ut iustus augeatur in bonis, & peccator corrigatur à malis. Sub isto enim*

Serm. 122. *de Temp.*

enim malleo, in manu, id est in potestate Domini, constituto, tunduntur non solum humiles, sed & superbi, sed humiles producuntur ut aurum, superbi comminuuntur, ut vitrum. Vna eademq; tunsio, bonos producit ad Gloriam, malos redigit in fauillam. Ne ergo ictibus illius mallei frangaris, non sis fragilis, mollis, labilis instar vitri; sed esto firmus, solidus, validus instar auri. Hic te transferas, *de umbra ad solem, de tunica ad Loricam*: verba sunt Tertulliani. Assuesce dura agere, ut possis dura pati. Non sis mollis ut pilus cuniculi, vel medulla anseris. Memineris illius: Quod, nocet, docet, Quod pungit, vngit; sic Deus iustos, dum percutit, perficit, dum flagellat, coronat: Oseb. *Ad Mart. c. 3.*

III. Tu interim memineris illius: sicut non est tutum in illum scribere, qui potest proscribere: sic multo est intutius, illum offendere, qui potest percutere. Ut tibi delinquendi est libertas, sic & Deo percutiendi est potestas. Ne delinquas, linquas necesse est delinquendi ansas. Tu deinde cum alios corripis, caue sis malleus. Non sis ferreus Censor, ut ad muscam occidendam ensem quæras, aut securim, & malleum, ad ovum frangendum, aut ad nucem enucleandam, æream machinam. Nec ad minimam alterius negligentiam ita verbis ferueas, ut ad parricidium, aut quodvis inexpiabile scelus: nec vrticam tot securibus adpetas, quot annosam quercum: nec in exiguum murem castra moueas, ut in certè grandia, & monstra immanissima. Sis Censor, sed non tortor. Puni peccantem, sed tanquam peccaturus, & ideò puniendus. Volo corripias, memor illius, quod scribit Petrus Damianus. *Qui non corripit puerum ova furantem, magnum postea patietur latronem, equorum stabula perfringentem.* Volo inquam corripias, sed non conteras. Quod si & tu vicissim ab aliis vel corriperis, vel impeteris, innocens; ne vertas tergum, sed oppone vultum. Scis quantum tibi nocebunt? *Erunt tibi sicut ignis ad aurum, non sicut, ignis ad fœnum. Ignis enim ad aurum accedens, sordes tollit; accedens ad fœnum, in cineres vertit.* Sic Augustinus. Cogita satiùs esse, ut loquar cum eodem Augustino, *deglubrari, quàm deglubi, & radi, quàm excoriari.* Hoc modo si te geras, perinde erit, velle te aliquem contra te ut prosternat, deiicere, ac leonem subulâ, aprum aristâ, taurum digito excipere. Ad illa potiùs ridebis, quàm timebis. Ep. 20. *In ps.* 128.

Tristia ridebis, si spernas, nulla timebis.

Digitized by Google

31. DIES OCTOB.

Octob.

Non tam benignum, ac liberale natura nobis tempus dedit, ut aliquid ex illo vacet perdere.
Quintilianus. Declam. 4.

Temporis volubilitas,

I. QVid vis perdere tempus, vbi nullo potes Deo satisfacere tempore? Cur vnius diei, aut horæ intervallo audes suspendere obligationem tuam? si vnâ horâ Deus suspendisset beneficentiam suam, in mundo non esses, imò si suspendisset indulgentiam suam, in Inferno esses. Æterna stipendia tibi promissa sunt: non decet interruptis seruitiis mereri: si vis benè viuere, nunquam intermittas bonam vitam. Oportet spiritus remissè, singulis diebus te armare ad prælium, & expergiscere alacriter, quasi ad pugnam, audito quasi lituo, & signo bellico. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* Hoc præceptum tibi manè promulga, & persuade tibi hunc diem vitæ, non tantum esse diem militiæ, sed pugnæ. Quomodò surgunt milites eo die, quo publicatum est præceptum confligendi cum hoste? Miles eo die quo initurus est prælium non est inermis: Tu quotidie præliaturus es, manè dum oras, arma te maxima quâ potes charitate, profundissimâ humilitate, invictâ patientia, relinquarumque Virtutum armaturâ. Suspicio tantum, & timor pugnandi armat milites, & cogit aliquot dies persistere armatos: quid tibi facere debet certitudo, & fides pugnæ quotidianæ.

Mar. 22.

II. His accedit, debere nos festinare, ut Deo quæ debemus, rependamus, ob temporis perniciissimam volubilitatem. Inprimis tempus, cui hæc nostra vita, innititur, quid aliud est quàm rota quædam, & perpetua vertigo? Dum igitur indesinenter temporis rota voluitur, secum humana omnia trahit, resque omnes sua mobilitate versat, & circumvoluit, adeò ut omnia, ut ita dicam Ixioniâ reddat. Rem appositè explicat Simocatta, de tempore sic loquens. *Dum omnia nouat, & adulterat, & transformat, & alia aliter fingit, perenniq; conuersionis gyro circumagit, & quod fixum, ac firmum est, mobilitate, ac fluxu rerum humanarum, ceu rotâ crudeliter versat, ac circumvoluit, semperq; constantiam, ac stabilitatem odit, & vbi errorem sistat, non inuenit.* Altè hos temporis gyros cogitet ac vertigines, qui amat æternitatem: Etiam Annus circulos, rotasque sua notione in ipso temporis fluxu indicat, ac præfert.

l. 3. c. 8.

Varro

Digitized by Google

Verro enim dictum quasi circulum putat, quia ut parvuli circuli, annuli, sic magni, dicebantur anni. Cum igitur tempus ipsum voluatur indesinenter, vitam quoque nostram volui necesse est, quæ tempore vehitur, ac defertur. Varias ætates specta sibi inuicem succedentes, & circuitus esse censc, & gyros, quibus mortales circumvolvuntur: Octob.

III. Scitè Seneca, de vitæ humanæ orbibus, & circulis. *Vnus dies, gradus est vitæ, tota ætas partibus constat, & orbes habet circumductos maiores minoribus. Est aliquis qui omnes complectatur, & cingat, hic pertinet à die natali vsque ad extremum.* Igitur humana vita perpetuo voluitur, semper in gyrum abit, plena circulis est, nunquam sistit, semper labitur ad modum rotæ. Probè S. Nilus, vbi ex hac vertigine colligit desiderandam eam vitam, quæ vera est. *Si vitam quæ verè vita est, desideras, expecta semper mortem futuram, & odio prosequere vitam præsentem.* Porro quid verius, testatiusque, quàm in morem rotæ vitam nostram volui, adeò ut sicut sol vertitur indesinenter, ita quoque ipsa voluatur? Assiduè enim carpitur, & minutissimis portiunculis, dum datur, eripitur: siquidem motu perpetuo cælum rotatur, momenta horas, horæ diem, dies hebdomades, illæ menses, hic annus, anni lustra, ac hæc denique sæcula trudunt. Si ergo sapis, ita temporis, vitæque huius vertigines cogita, ut assiduè etiam figas oculos in semper manentem Æternitatem. Probè metitur tempus, qui, seriò cogitat æternitatem, nec labentem vitam amat, sed perennaturam. Ante finem vitæ, cogita quod eris post finem vitæ: Cinis, puluis, nihil. Ne sis igitur fautor carnis, recondo hoc in sinu mentis. Ep. 12. in Parænes.

Est caro nostra cinis, modo principium, modo finis.

1. DIES NOVEMB.

Novemb. **Quem delectat alicuius Sancti meritum, delectare debet par circa cultum Dei, obsequium.**
S. Chrysost. serm. de martyri.

Solennitas sanctorum est stimulus ad sanctitatem

I. SOlennitas omnium sanctorum, aditum nobis patefacit ad Sancta Sanctorum, vbi sanctus Dominus, & laudabilis, & mirabilis in sanctis suis, immensæ pompam gloriæ, nobis, vt sancti simus, ostendit, illis, quia sancti fuerunt, ostentat. Simus nos Christiani, vt olim viri *Galilæi* ad montem Oliveti, *aspicientes in cælum*. Iam clangenti sonore resonat per vniuersam terram, Apostolica illa tuba *quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Illa quæ sursum est Ierusalem*, clamat ad nos, qui sumus in medio Babylonis: sursum corda: oculi, manus, os, vultus, mens, voluntas, omnia hodie sint sursum, vt de nullo nostrum dicatur, illud Christi: *vos de deorsum estis*: nemo hodie audiat vocem illius, cuius mansio est in inferno deorsum, *mitte te deorsum*, sed sursum sint nostra corda & desideria, vbi nobis parata sunt præmia vt tamen eo quo par est cultu, celebremus hanc solennitatem & vt simul cum triumphante Ecclesia, & nos triumphemus letitiâ, debet hæc solennitas sanctorum, nobis esse exhortatio ad sanctitatem. Par nobis erit in cælis gloria, si cum illis hic in terris paria fuerint, & nostra opera: qui ergo sanctos laudamus, & nos eos imitando, reddamus laudabiles. Id ipsum asserit hodiernæ tesseræ auctor: *Si ideò sanctos diligimus, quod in ipsis iustitiam, fidemq; suspicimus, possumus nos quoque esse quod sunt, si faciamus ipsi, quod fecerunt illi.*

Col. 3. Gal. 4. 26.

Ioa. 8. 23. Eccl. 51. 9. Mat. 4. 6.

Supra.

II. Sed cum nobis hodie pateat per sanctos ad cælum aditus, penetremus cogitando cælorum aditta. O quale regnum! si Deo seruire, regnare est, quid erit Deo potiri? Deo frui? Deo dominari? quis toti terræ dominatus est vnquam? quis insuper cælo? quis toti mundo? ô, Anime! cælo, terra, mundo Deo potitur Anima, quæ ibi regnat, ô Regnum vbi quot homines tot sunt Reges, in quo nec est, nec accedit vllum malum: non hyems, non æstus, sed ver perpetuum, non fames, non sitis, sed plena satietas, non morbus, non ægritudo, sed certa sanitas: non labor non fatigatio,

Digitized by Google

gatio,sed vera quies,non paupertas,non indigentia, sed rerum affluentia: Novemb.
in quo nulla cupiditas, ambitio nulla, nullæ Dæmonum insidiæ, nulli laquei,nullæ tentationes,nulla mortis apprehensio,nullus iudicij timor,nullus inferni metus, nullum peccatum, nec vllum peccandi periculum. O Regnum,in quo est & omne,& summum bonum, summa felicitas, felix securitas,secura æternitas, vbi summa delectatio,beatitudo, satietas, torrens,mare,pelagus, abyssus gaudij, & felicitatis, ô mansio secura!ô patria fertilis!Regnum cuius vinculum est pax,concordia,charitas,quàm ita diffundit Deus, vt quidquid felicitatis vnus possidet ciuium, alter obtineat dum alterius gaudet bono alter,habetque tot gaudia, quot amicos; igitur habet gaudia omnia, quia est amicus omnium.O Regnum! ô summa felicitas?per quàm intellectus capacitas non solum expletur, sed submergitur: voluntatis auiditas non solum satiatur sed inebriatur; amplitudo memoriæ, gloria Diuinæ maiestatis sic occupatur, vt nihil habeat nisi Deum cogitare. Hunc intellectus amplectitur, voluntas stringit,vterque possidet,Hinc amor, lætitia, iucunditas, quid enim melius summo bono? quid delectabilius,delitiarum torrente?quæ vita suauior,quàm secura, felix,æterna?viuere cum Deo,viuere de Deo, qui per se sufficit, extra quem nihil verè est:in quo totum inuenitur.

III. Denique ibi erit Deus *omnia in omnibus ut bene* S. Augustinus,*hic aurum quod est,non potest tibi esse argentum, quod vinum est non potest tibi esse panis: quod tibi lux est,non potest esse potus: Deus tuus totum tibi erit, manducabis eum,ne esurias,bibes eum,ne sitias:illumenaberis ab eo,ne sis cæcus:fulcieris ab eo,ne deficias, possidebit te totum integrum,totus integer. Angustias ibi non patieris cum eo,cum quo totum possides:totum habebis, totum, & ille habebit, quia tu, & ille vnum eritis.* 1.*Cor.*13. *In psal.*36. *cons.*1.
Appositè item S.Hieronymus, *quod Apostolus ait vt sit Deus* omnia in omnibus,hoc sensu accipiendum est. *Dominus ac Saluator noster,nunc omnia non est in omnibus,sed pars in singulis,verbi gratia:in Salomone sapientia,in Dauide bonitas,in Iob patientia,in Daniele cognitio futurorum,in Petro fides,in Paulo Zelus, in Ioanne virginitas; in ceteris cetera: cum autem rerum omnium finis aduenerit, tunc omnia in omnibus erit,ut singuli, sanctorum omnium virtutes habeant, vt sit Christus totus in cũctis:* Hęc omnia velut aureo sigillo, hoc poëmate obsigno, *Ep.ad Anãd.*

Regnum cælorum,requies est plena bonorum:
Nil ibi,deficiet, Deus omnibus omnia fiet.

2. DIES NOVEMB.

Novemb.

Peccator prudens erit in pœnâ, qui stultus fuit in culpa. *S. Gregorius l. 5. Mor. c. 13.*

Pietatis officio defũgeris nisi succurras defunctis.

I. QVæ vna est per multa locorum spatia, mater nostra Ecclesia, non vno item regionis termino circumscripta definitur, est ubi gaudet secura sine cura; est vbi pauet timida cum metu, est vbi mœret tristis cum luctu; triumphat supra terram, militat in terra, patitur sub terra. Illic est domestica, hic peregrina, ibi captiua: istic est in domicilio, hic in diuersorio, illic in ergastulo: quapropter vna gaudij ob beneficia; altera, timoris ob pericula, postrema, mœroris ob supplicia, affectus nata est, omnibus concitare. Heri dum cogitatione intrauimus domum Domini velificati fuimus affectui gaudij; hodie descendamus de cælo ad inferiora terræ, ut quid illic qui terrena sapuerant, patiantur, nos ne patiamur, illorum damno intelligamus. Nunquàm qui olim fuerant stulti in culpa, prudentiores fuerunt, quam in pœna: ne simile nos insipientes patiamur tormentum, modò prudenter caueamus peccatum. Quid illic non patitur anima, vbi quidquid hic homo potest pati, cum illis comparatum, quæ illa patitur, vix esset materia patiendi? In illis cernitur ius ad cœli bona, cum extrema penuria, vius, & erecta spes, cum longissima, & cruciante mora potiundi: amor inflamatur, sed quia inter flammas, sine possessione amati: iam Reginæ sunt, at sine regno: iam victrices, sed sine corona, angelis sociatæ, furiisque orci vicinæ, denique in eo statu non iniuria dubitet quis, miseræ, an beatæ dici possint.

II. In Deo item est miranda illa duorum extremorum coniunctio, ut simul eluceat, hinc benevolentissima benignitas: inde acerbissima seueritas. Hinc amor patris, inde æquitas Iudicis: extremè amat, extremè & castigat: æternæ pœnæ remisit supplicium, sed temporariæ, vsque ad nouissimum quadrantem reposcit debitum, ad extremum sic sunt liberi à tartari suppliciis, ut tamen sint in ipsis tartari subvrbiis: nam illorum pœnæ non magis à reproborum manium carcere distant quàm interiecto veluti pariete spei, & desperationis. Lustremus animo pompam odiosissimę crudelitatis, & apparatum immanissimæ ferocitatis, quàm furiæ induxerunt ad miserorum hominum vitam excruciandam; vncos, & fidiculas, artusque dissipantem equuleum, rogos flammis horrificos, rotas, cruces, tunicamque

que molestam, ferreos pectines, viscera ipsa interiora scrutantes dira lacera- Novemb.
tione, sarragines igne rubras, oleo bullientes, multis mortibus circumseptas. Hæc omnia cum illorum collata pœnis, pictura tantam sunt pœnarum. Submittamus iam oculos ad locum tormentorum, vbi charæ nobis animæ cruciantur animæ à corporibus seiunctæ, vt fidilissimis sociis nudæ, spoliatæque sunt & solæ gemunt, ac patiuntur: solæ vim doloris excipiunt, præterea distractæ à mole carnis, viuidiorem habent sensum, atque in ipsis pœnis vim vniuersam, & attentam cogitationem fixam, & locatam habent; vt non modò eorum atrocitatem perfectè intelligant, sed impensè persentiant: horrent igitur, & colliquescunt in malo illo igne, qui admirabili, sed & intollerabili modo, velut spirituum victor, in substantiam ipsam peruadit.

III. An non deinde in statu est violentissimo, misella anima, quæ posita velut primulo in atrio, ianuaque beatitatis, ab ingressu divini paradisi excluditur, cogiturque in summo illo desiderio, marcere, singulisque momentis in amoris illa rota non dicam lacerari, sed propè continenter emori? quid quod videat se per se nihil apud Diuinam Iustitiam agere posse, ad optatam liberationem, inania esse vota sua, preces irritas, itaque tota in suspiria & dolores versa, ad cœlum pio ardore suauissimisque votis aspirat, secum illa sæpè ingeminans, ô cara Empyrei cæli patria! ô felicissimus aspectus, & fruitio summi boni! quando hæ catenæ frangentur, & ignea clausta quæ viam intercludunt. Hæ sunt amabiles Dei amantium querimoniæ: dici non potest, quanto cum impetu animæ illæ à lutea contagione liberæ, & Deo morte iam viciniores, ad polum illum amabilissimum contendant. Videmus ignem qua violentia in cælum fertur, vbi regio est ipsius quietis à Deo definita; quæ propensio tam est fortis & contenta, ut si quando impediatur, orbem concutiat, eruat montes, vibret nubes, omnia sonitu, & terrore compleat. Verum hunc impetum, animarum in Deum, ut centrum omnium voluntatum, propensio longè exuperat: itaque illæ miserabiles animæ, è suo illo fumoso vaporario, è suo igneo æstuario, ut inde extrahantur, manum attollunt: tibi arbitrarium est illas inde manu mittere: hoc posse & nolle quæ inhumanitas! imò quanta crudelitas? ô igitur si quid apud te valet pietas, quæ parentibus debita est; si quid obseruantia, quæ maioribus; si quid iustitia quæ fœderatis; si quid promissio, quæ testatoribus; si quid gratus animus; qui beneficis: si quid amicitia, quæ beneuolis, miseremini purgantium animarum: consequeris & tu miser misericordiam si fueris misericors, tu pro illis hic vel plorando imminues illorum plantus quapropter:

Hic pro animis plora, cito cernant, ut patris ora.

Digitized by Google

3. DIES NOVEMB.

Novemb.

Sunt quædam quæ nescire quam scire sit vtilius.
S. Augusti. Enchir. ad Laur. c. 17.

Scientia sanctorum qualia doceat.

I. VNum est quod Deo impensè displicet, quod ut illi inseruias serio, incipias tam sero. Quamdiu lubet deliberare, an velis te è seruitute dęmonis liberare? quoúsque cogitas, an velis facere quod expedit magis tandem concludere, aut libet proponere, quod necessum omnino est iam nunc aliquando expedire? terminanda consilia, instat hora, ingredienda via, maturanda proposita, ne nox subito præuertat, importuna mors euertat, nec metuētes immatura. Vt quod diu fuerat faciendum, tandem facias, excitabit te Dei Gloria cui sectandæ conditus es, imperabit tibi Dei voluntas cui optemperandæ obligatus es; inuitabit te Dei beneficentia cui vitam vniuersam debes; suadebit facilitas, quàm parit gratiæ subsidium; alliciet vtilitas, quàm tota pollicetur æternitas; impetrabit à te felicitas, ad quàm votis omnibus anhelas; denique coget ipsa necessitas, quia ni seriò tandem nos totos Deo tradamus, etiam in hac vita nil expectandum nisi extrema calamitas. Quantum enim nocuit nobis obtemperasse indomitis nostris affectibus? in quantas nos illi præcipitarunt ærumnas? quanta adduxit tœdia? quàm molestas solicitudines? quàm grauem animi perturbationem?

II. Itaque vtilius nihil magisque necessarium, quàm excutere tandem gladium è manibus nostris, quo nosipsi iugulamus, quàm ut venenum effundamus, quo nos metipsos inficimus, quàm ut sepeliamus omnium malorum incommodorumque instrumenta. Opportunè prorsus ad rem qua de agimus, Abbas Abraham, rogatus ab Abbate Pimenio quemadmodum nos dæmones impugnant? respondit: *dæmones nobiscum non pugnant quia voluntates eorum facimus: sed nostræ nobis voluntates dæmones facti sunt & tribulant nos*: voluntas propria, pessimus est dæmon qui nos oppugnat, acutissimus gladius guttur nobis præcidens venenum est, cum primus noxiũ, cor ipsum penetrans, mors est fallacissima nos interimens. Itaq; si sapis, ut agas agenda, hoc est, rectè & prudēter, non audies propriæ voluntatis imperium, perniciosum est; non sectaberis naturæ genium, prauus est:

est: non consules mundi indolem, maligna est; non credes diaboli suggestioni, mendax est: sed ne sine fine pereas, in omnibus finem respice, divinum imperium suspice, Christi exempla inspice; non differes dum opportunum est, non negliges dum inchoatum est, non sistes quoad expeditum est, ut quid te facere non modo deceat, sed oporteat, scias, opus est illa sanctorum scientia, quæ est necessaria singulis, apta omnibus, salutaris vniuersis. Sine illa scientia sanctorum, numquam intrabit in sancta sanctorum: alia omnia satius est ignorare quàm scire, vtilissima est scientia, cuius beneficio potes pollere sanctimoniâ. Novemb.

III. Docet illa, si vita stadium est, sic currere, ut comprehendas: si schola est sic discere, ut sapias; si militia est, sic certare ut vincas; si mercatus, est sic negotiari ut quæstum facias: si theatrum est, sic personam agere ut plausum referas; si peregrinatio est, sic ambulare ut metam attingas; si exilium est, sic illud sustinere ut patriam obtineas: si sementis est, sic serere in terris, ut metas in cœlis: si diuersorium est, sic versari ut hospitem te cogites; si vinea est, sic operari ut mercedem reportes. Ecce quàm docet multa scientia hæc vna, vis verbo omnia? scientia sanctorum, virtus est, eo vsque patet quo vsque vita porrigitur: cuius omne negotium, est virtutis exercitium, quidquid aut intellectu concipis, aut memoria retines, aut voluntate appetis, aut concupiscentia desideras, aut sensu percipis, aut ore loqueris, aut manu peragis, ne inter omnia quæ agis, actum agas, atque ita in fine doleas te nihil egisse, dum animam ages, sit tibi vnica omnium agendorum norma, Dei voluntas. Paxis illius initium, est primum rationis diliculum: quo si non auspicaris, vitæ primitiis frustraris. Progressus est vniuersus ætatis cursus, qui si alio dirigitur: vita vsura prodigitur: terminus est supremus vitæ exitus, qui si praxi illa non concluditur; spes vitæ illuditur, votum salutis fallitur, hæc scire non tantum est salutare, sed pro salute necessarium, denique hæc omnia:

Qui scit laudatur, qui nescit vituperatur.

Digitized by Google

4. DIES NOVEMB.

Novemb. **Sic nos gerere debemus, ut non tanquam propter corpus viuere debeamus, sed tanquam non possimus sine corpore. *Seneca epistol. 15.***

Mortificatio. I. PRima scientiæ sanctorum rudimenta, fateor sunt corpori per quàm rudia, sed spiritui vtilia, prima enim in eius schola lectio, est carnis mortificatio, non terrearis verbi asperitate, frange corticem qui amarus, ut gustes nucleum, qui suauis est, ne attendas verbum, sed expende verbi sensum. Hæc quam times carnis mortificatio, est quàm optas cordis viuificatio: sic moriendo fugis mortem, acquiris vitam: quid? an ergo tyrannus est Deus qui nostris se oblectet doloribus, qui sibi placeat in nostris cruciatibus: qui pascatur nostrâ inediâ, qui reficiatur nostrâ siti, qui diteur nostra egestate, qui exultet nostris gemitibus, cui dulce sit famulos, iucundum filios suos dilectos & sic dilectos toto corpore, ciliciorum asperitate vestitos, flagrorum diritate laceros, sanguine nostro cruentos, omni denique solatio destitutos, mœrore oppressos intueri? quasi non posset nos, nisi sic afflictos tueri, profecto, necesse est mortificatio sit bonum incomparabile, & illius boni emolumentum sit inæstimabile, cum ille bonus, & misericors Deus, cum ille pater amabilissimus illam nobis tam sæpè, tam accuratè, tam impensè per se, per Vnigenitum suum, per Prophetas, per Euangelistas, per Apostolos, per primos ecclesiæ magistros voluerit nobis commendare, imò & mandare, quomodò Iesus nostri magis, quàm nos ipsi amans, tam, mitis, & humilis potuisset enuntiare hæc verba. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie*: nisi sciret ex hoc semine vberrimam nobis inde posse accrescere & gratiæ, & gloriæ segetem?

Matt. 11. 29.

II. Age fructus inde crescentes, ut simus cum Ioseph, filij accrescentes, suis mementis trutinemus. Si quis pater filium haberet eumque primogenitum, imò quod caput est vnigenitum, morbis non tantum plurimis, sed maximis infestatum: si laborarent pedes podagra, manus chiragra,

Digitized by Google

ragrâ, alij artus scyathicâ, stomachus cholicâ, totum corpus gangræ- Novemb.
nâ; si iaceret in Nosocomio vti Iob in fimeto, qui esset potius simulacrum cadaueris, quàm figura hominis; eiusque pater calleret arcanam aliquam artem sibi vni notam, aliis ignotam, qua posset sine difficultate, facilè, sine impensis, gratis, sine cunctatione, cito, illi mederi,: totque ac tanta mala pellere, ac pristinæ valetudini restituere, si artem illam celaret, neceâ ad solatium filij vti cuperet. Huncne tu diceres patrem, an carnificem? hunc ne censeres erga filium medicum, an contra filium Tyrannum? hunc ne interpretareris filium prosequi amore, an persequi odio? quis vnquam Nero ferocius sæuisset in corpus alicuius Catholici, quàm hic filij sui vnigeniti? vna esset omnium sententia, hunc talem non modo è parentum eradendum catalogo, sed nec in hominum recensendum numero; qui sic filium detestaretur ut nec tantillo labore, suum in filium vellet affectum testari.

III. Quod damnares, ab homine fieri, ne probes si id faciat Deus, Non est pater qui sic diligit filium, & Deus hominem vtpote pro quo factus est homo, nec Iob in suo sterquilinio tot fuit oppressus infirmitatibus, quot homo post casum primi hominis, vtpote cuius tanta est infirmitas, ut à planta pedis vsque ad verticem capitis non sit in eo sanitas: vnicum est pharmacum morbis tantis proscribendis, non tantum vtile sed facile, mortificatio, hanc nobis proponit magnus ille medicus, de quo olim virtus exibat, & sanabat omnes, illam nobis non tantum commendat, sed inculcat, imò ut hoc tam necessario vtaris medicamento, non tantum mandat præcepto sed præit exemplo, sumit in manus calicem, cuius haustu eris sine vllo morbo in pristino statu: quærit: *potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* propinat & sic inuitat, ut bibas, præbibit. Hoc calice homo affectus suos componit, appetitionibus exorbitantibus modum imponit, purgat intellectum: renouat spiritum, in pristinam asserit è seruitute libertatem, extinguit libidinem, proscribit inuidiam, exterminat iracundiam, denique omnibus se eximit infirmitatibus, qua igitur fronte exoptet quis reticuisse Deum, nec iudicasse tam salutare remedium, tam necessarium pharmacum? cur hac medicina ad salutem non vtamur? sit licet hæc medicina amara carni, est chara menti; carni non indulgeas, ut cœlestia sapias: *Matt. 20. 22.*

Incrassata caro, gustat cœlestia raro.

Digitized by Google

5. DIES NOVEMB.

Novemb. Pœnitentia appellata quasi punientia, eo quod ipse homo in se pœnitendo punit quod male amisit. *Hugo l. 3. de misteriis Ecclesiæ.*

Vbi præcessit culpa, sequatur pœna.

I. ALtera arcanæ illius scientiæ, de qua heri, lectio, est sui ipsius Deo oblatio. Primas in omnibus tribue qui est omnium primus, utpote principium. Illi offeres primas vitæ, qui vitæ tuæ est dominus, cui enim potiori iure vives, quam ei à quo habes quod viuis? nec enim usquam vives verius, nunquam felicius. Deo ut vivas, tibi, mundo, peccato morere. Eidem ut placeas, eius iustitiam misericordiâ placa. Sicut nullum est momentum quo illum in te non experiris beneficum, sic nec momento illum sustine offensum, quia æterni est interitus discrimen, gravius aliquod, vel momento, foviſſe crimen. Quid si differatur ultra terminos misericordiæ, & præcidatur spes veniæ? satis ut metuas ne pereas, est, posse perire. Multis id sæpius evenit, tu cave & time, ne tibi eveniat. Offensa omnis in semita cœli, error est tanto periculosior quanto prolixior. Cogita vias tuas & si ducant per devia, converte pedes tuos: quo pergis diutius, recedis longius, redibis difficilius: nolle in calle errorem corrigere, est velle ruinam incurrere: nolle redire est velle perire: redeas ergo in mentem ut redeas in rectum callem, antequam errando obducas callum, si vero erres in via quæ ducit ad vitam, recedis ab eo qui est via, & vita: at quo accedis? Heu! ubi omne bonum definit; quo malum omne confluit, ubi Deus hostis est, diabolus amicus, peccatum voluptas est, infernus fabula est, damnatio vero terminus est.

II. Quodvis peccatum peccanti est venenum: incurris exitium ni evomas hoc toxicum, & audes, imò gaudes retinere, quousque tandem occidat? at nõ occidit hactenus, quia non occidi. Sed non sit tibi ansa peccandi audacter, quia pepercit clementer; noli abuti indulgentiâ præteritâ, prope est vindicta futura, qui dui parcit, tandem punit: & vel ideo quia distulit punire, gravius plectit dignũ olim puniri. Fecit propitius ne perires, permittet lacessitus ut pereas, Ah! quod tui similes, imo dissimiles, quia meliores, quo tu laboras morbo, periere? Et potestne placere homini, quod

Digitized by Google

quod displicet Deo, aut illum oblectare, quod hunc offendit? Et illud quidem, quod cum si mori posset, mori cogeret? quod Dei hominem mori coëgit, & mori ignominiosissime, atque acerbissime? quod vulneribus eius debuit persanari? sanguine eius elui, meritis eius compensari, quod eidem Deo omni cruciatu intollerabilius, omni iacturâ est gravius? quod solum cogitatum sanguine coëgit sudare? Et hæc est scientiæ sanctorum secunda lectio, mali quod vetant recte vivere, expiatio, & offensi Dei reconsiliatio. Pungunt ista ad pœnitentiam peccatorem, ad cautelam iustum stimulant, optas fors oculis tuis subiici tabulam perfectæ pœnitentiæ? eam tibi expressit Climacus. Novemb.

III. *Vide* (ait ipse) *quosdam ex innocentibus illis reis totas noctes ad usque mane sub dio immotis pedibus stantes & miserabiliter cum sumno, & natura luctantes, vique huius pene fractos; dum nullam sibi penitus quietem indulgerent. Alios cœtum intuentes, & illic opem cum lamentabili voce, gemituque implorantes. Alios item qui in precibus perseverabant, manus post terga, sceleratorum ritu revincti, vultus alto mœrore confusos, humi defigebant: sedebant alij humi in pavimento, supra cinerem, & saccum genibusque vultum tegebant, frontibus humum ferientes: alij assidue pectus tundebant, nec aliud audire erat quam huiuscemodi voces: va, va, miseris nobis, iterumque va miseris nobis. Merito, merito, parce, parce Domine. Alij in gravi solis æstu se cruciabant, alij frigore se torquebant. Erat videre in illis genua, quæ ex assidua geniculationum consuetudine callum obduxerant, oculos exesos, & debiles altosque insinus capitis recedentes, genas habebant saucias, & ardore feruentium lachrimarum adustas, vultusque pallentes & emaciatas facies, nihil à mortuis si conferres differentes, pectora plagarum ictibus liventia, & è crebris pugnorum verberibus cruenta. Sanguinis ex pectore reiecta sputa, ubi illic lectus quieti positus? ubi mundities, & adversus frigora vestis munimentum? rupta & lacera omnia inquinata, sordibusque vermium scatentia.* Quid nos simile post peccata fors non similia, quia his graviora? saltem in tuis miseriis invoca Dei misericordiam, & cum Davide pœnitente profer illud vel solum miserere. *Scala paradisi grad. 5.*

Per miserere mei, tollitur ira Dei.

6. DIES NOVEMB.

Novemb. Securus transcendo cætera, quando ille me sub se tenet, qui est super omnia. *S. Augustinus in Psal. 6.*

Familiaritas cum Deo,

I. NOn satis tibi erit, ut heri convici, habeas Deum ex irato placatum, ex offenso propitium, ex severo benignum, ex Iudice patrem, eundèm habere stude commercio familiarem, conversatione amicum. Familiaritatis officium est cum amico frequenter colloqui; Id ut facias movet te Dei tui majestas, quæ laudem tuam meretur, movet te tua vilitas, quæ tuam obiectionem: suadet Dei tui beneficentia, quæ gratias tuas exigit, & tua denique egentia quæ spem ejus poscit, qua sine non sufficis sed deficis, movet te eiusdem presentia, quæ reverentiam tuam & adorationem postulat, & tua iniuria,, quæ præsentem non veneratur, neque hic excuses tempus, potes alloqui quovis tempore, mane, vesperi, meridie, potes colloqui quovis momento, non longo alloquio, sed brevi suspirio, non opus est dum oras, ut exores, captatione benevolentiæ, ubi alloqueris ipsam benevolentiam: nec debes te exquisito artificio reddere attentum, qui semper non tantum ad verba tua attendit, sed ut te exaudiat totus tibi intendit; nec docilem, qui priusquam ores, novit quid sis oraturus, & ut afficaciter ores, te docet: non opus est, ut scribentibus proœmio, ut agẽtibus fabulam prologo, ut è suggestu perorantibus, exordio, tuum dum oras oris exordium, sit cordis suspirium, semper apud illum sunt blanda fandi tempora, cui ut audiat, omne tempus est opportunum, nullum intempestiuum.

II. Quanto promptiùs est negotiari cum Deo salvatore, quam cum principibus, in quibus non est salus? est miles iam emeritus, & de principe optime meritus, qui post plurima, quæ in gratiam principis, sub eius aquilis, obivit pericula, post graviſſima quæ tulit incommoda, post moleſtiſſima quæ devoravit tœdia, post omne quod principi suo præstitit obsequium, flagitat prẹmium, offerre illi intendit libellum supplicem, is si principem mane accedat, non succedet, respondebitur enim: nimis cito, adhuc quiescit; si vesperi, nimis sero, iam decumbit; si in meridie, importunum est, iam prandet, si à meridie, intempestivum, iam alijs distinetur nego-

negotijs. Iam verò ubi libellum supplicem admisit, non statim inspicit, & ubi inspexit, non illi annuit, sed ad consilium suum, ad Iudices remittit: illic ipsi libellum accuratè examinant ad Iustitiæ libellam, inde non rarò ad alios remittunt. Sic ille libellus dum ad hos mittitur, ad illos remittitur, sæpè amittitur, & sæpè post multa merita, vel infra meritum valde parum, vel pro meritis admodum nihil accipit: hic verò quovis tempore, imò & temporis momento, magnum illum Regem convenis: & ecce vix os ut petas aperis, mox illud quod petijsti accipis, imo promptior est ille dare quam tu accipere: quin & urget, & petit à te ut petas; & sic petendo accipias. Et quotus quisque tantum Dei beneficium Deo refert acceptum? Novemb.

III. Amici quoque est familiaris, non modò cum illo colloqui, sed communicare secreta omnia; quæ sunt in corde clausa, aperire, quæ abdita referare, quæ occulta, patefacere. Et quocum secreta tua conferes tutius, quam illi qui totus est tui tutela? cui secreta, quam illi qui est secretissimus, cui potius revelabis tua abscondita? quam illi, qui videt in abscondito? quocum ages confidentius, quam cum eo, cui es perspectissimus? qui ea quæ per te novit, à te nosse cupit, ut communicationis fiducia obtineat consilij & solatij gratiam. Cave autem loquaris ore, non corde: illo laudes, hoc non æstimes; illo roges, hoc non desideres: honores illum non tam labijs, quam officiis. Quid proderit, imò quantum non obcrit, orantes attollere manus ad cœlum, & oculos declinare in terram; cum tanta Majestate miscere colloquium, & cum quibuscumque hominibus cogitando habere commercium; sermocinari cum Deo, & negotiari in foro? Alloquij Divini decus est, reverentia, dos est sinceritas, sine quibus si Deo loqueris, familiaritatis jura infringis, humanitatis leges violas, & ubi debuisses, certè potuisses, sperare beneficium, debes expectare supplicium. Denique ut cum fructu ores, transcende animo omnia & conscende ad eum qui est super omnia. Eris super omnia, atque adeò securus, si sis sub Deo, hoc est non tam ore, quam corde orare, quia

Dum cor non orat, ne quicquam lingua laborat.

Digitized by Google

7. DIES NOVEMB.

Novemb. **Quid petentibus se, non dabit, qui seipsum non petentibus dedit. *S. Chrysologus Serm. 67.***

Oratio. I. QUanta ex hac tessera nobis, quid vis à Deo impetrandi oritur fiducia, quid negabit qui se donavit? scilicet, qui dedit se, non dabit sua? Fovebis cum Deo familiaritatem, si orationem tibi habeas familiarem: quia nutrix familiaritatis cum Deo, est supplex oratio. Huius quanta est pro homine utilitas, tanta est pro salute hominis necessitas. Fateor, summa est homini necessitas alimenti: possumus esse sine parentibus, sine vestibus, sine ædibus, sine lecto, & alia quacumque domus supellectile; at sine cibo, pereat necesse est homo. Tamen licet videatur hæc esse ultima necessitas, multo tamen magis est necessaria oratio animæ, quam cibus corpori. Hinc teste Chrysostomo, quod anima est corpori, id animæ est oratio. Aliquot saltem diebus, licet ægre, absque cibo, licet vivere, sine animâ, nec momento licet unico. Hæc causa est cur Servator dicat; *oportet semper orare & non deficere.* Sicut ergo oportet semper, ut vivas, corpore haurire aërem, sic oportet semper aspirare ad Deum orando, ut vivas spiritu. Oratio magis est necessaria, quam homini ægro pedibus, aut manibus, amicis, & opibus destituto, necessarium sit stipem petere. Quid enim aliud miser ille faciat? cum neque pedes habeat ut incedat, neque manus ut laboret, neque facultates ut sibi ad vitam sustentandam necessarijs prospiciat, adeoque nisi perire velit, egestati suæ subsidium quærere mendicando compellatur.

l. de Orand. Deo.

Luc. 18. 1.

II. Atqui multo maior est spiritualis nostra necessitas quam corporalis ulla vel esse, vel concipi queat: nam si perinde hæc spiritualis paupertas sentiretur, uti corporalis, cœlum lachrymis gemitibusque fatigaremus assidue. Non esset unus è cœlitibus quem non interpellaremus precibus. Quis credat hominem aliquem in una eademque re, divitias, honorem, salutem, robur, & quidquid optare queat reperientem, illam oblivisci posse, turpiterque negligere? Quæ igitur amentia est cum in oratione, unicum omnium spiritualium nostrarum miseriarum refugium, contra omnes necessitates tutelam, ac præsidium firmis-

Digitized by Google

firmissimum, malorum cunctorum præsentissimum remedium, bona denique omnia, ipsumque illum qui est omne bonum habeamus, quod eadem tam negligenter oscitanterque vtamur, maxime cum ex eius neglectu, & oblatione tam ingentia damna oriantur. Æstimemus igitur hoc inæstimabile bonum, ut par est. Gratias quantas possumus maximas agamus pro gratia illa maxima, & fauore optimi Numinis præstolantis ut nobis orantibus sit præsto, beneficia quæ petimus præstando; nec dubitemus, quin simus certo impetraturi quæ illum rogamus cum nos roget ut se rogemus, Itaque nolle eum, cum ipse nos vrgeat, orando rogare, est illi iniuriam immodicam irrogare. Novemb.

III. Potestne felicitas ulla cum nostra, quia incomparabilis, comparari, qua semper pro nostro arbitrio, ac desiderio possimus, cum supremo illo cœli, terræque monarcha sermocinari, & pro felici æternitate negotiari? Non utitanta felicitate, vel abuti tanta Dei benignitate, nunquid summa est stultitia, supina negligentia, maxima impudentia ultima desperatio? Quid quod vel ideo cogamur orare, quia oratio nos Deo coniungit? miseros nos; ac infelices, si à Deo separemur: quid enim tunc præsidij quid remedij, quid consilij, sit reliquum? quid agnellus faciat à matre avulsus sine lacte, sine pastu, nisi ut pereat? membra item nostra à reliquo abstracta copore, quam vitam habeant? Elementa à centro suo remota quantopere luctantur? sicut itaque elementis necessarium est centrum, corpori membra, agnello mater: ita ut Deo fruamur, & cœlesti gloria potiamur, necessaria est oratio. Vt igitur eam illo quo par est modo orationem instituamus, ab omnibus exterioribus, visibilibusque rebus seiuncti, in desertum, ac solitudinem cordis nostri secedamus, inibi regnum Dei reperturi: animo enim nostro plusquam totum cœlum claudemus, quia ipsum Deum eodem quantum possumus complectemur. Sed ut sint potentioresad quidvis impetrandum preces, nullæ sint in corde precantis sordes, non hoc meum, sed poëtæ est consilium.

A macula fordis munda orans intima cordis.

Digitized by Google

8. DIES NOVEMB.

Novemb. Considera, quid, quis, qualis, sis: quid in natura; quis in persona: qualis in vita. *S. Bernardus lib. de consil.*

Meditatio. I. HÆc tria si cum otio consideres, euehent te super sidera, eris horum meditatione non tantum tibi dissimilis, sed planè alius. Sed ut illa assequaris, proderit frequenter ad futura omnia animum meditando explicare. Sicut necessaria est ut, Deum consulas, oratio, sic ut tibi consulas, meditatio: quàm illa debet esse feruens, tam hæc sit frequens; hæc vna futura omnia ut apprehendes, sic animo comprehendes. Quo pacto quis, aut perennis exitij, in quæ incidere potest pericula, declinabit; aut gloriæ, quam sperat, & optat sempiternæ felicitatem seriò desiderabit, si quid illa sint nesciat? qualia sint non intelligat. Meditatio hæc omnia nobis detegit, & quæ nobis erant clausa aperit; quæ abdita, in conspectum producit; quæ obscura, illustrat; quæ arcana, reuelat: imò est quasi fenestra per quam alterius mundi, ac futuri sæculi diuersissimos status possumus inspicere. Si cui diceretur duas alicubi fenestras esse, per quarum alteram clarè, distinctéque videretur status, ac conditio beatorum in cœlis, maiestas & gloria Christi Domini nostri, Deique magnitudo, & amplitudo, totusque illius beatissimi Regni apparatus; per alteram verò, ea quæ aguntur apud inferos, flammæ, tenebræque horrendæ, ignis illius terribilis, rei illi miserabiles, qui à Dæmonibus illic cruciantur, & multiplices carceris æternùm infelicissimi miseriæ, si cui inquam hoc pro certo diceretur; an hominem toto orbe vllum futurum existimamus, qui per harum fenestrarum alteram, quid alterutro in loco geratur, contemplari omitteret? Certè si vel in extremo terræ angulo id genus fenestræ reperiretur, neminem vnum fore credo, qui non eódem, minimum curiositate impulsus, esset properaturus.

II. Atqui, meditatio ipsissima illa fenestra est, per quam cœlum inspicimus, & orcum despicimus; beatos, & damnatos, Angelos, & Dæmones, felicitatem, & miseriam sempiternam: illum locum vbi dies est sine nocte, & alterum vbi nox est sine die: illud regnum in quo est omne bo-

ne bonum sine vllo malo,& illud ergastulum,in quo est omne malum, sine vllo bono. Illa nobis fenestram aperit vnde vtrumque illum longè dissimillimum beatæ, ac calamitosæ æternitatis statum intelligamus. Quæ est igitur hæc incredibilis ignauia dicam,an vesavia? quis ille intolerabilis neglectus,imò veternus? quis ille hominum oscitantium sopor,imò insanientium stupor? res tantas tantique momenti nolle, cùm possumus, intelligere, imò cùm facilè possumus, velle negligere? præsertim cùm illa probè intelligere sæpè intelligentis sit salus, negligere negligentis sit exitium? Quid est aliud meditari quàm veritatem abditam scutari, quàm thesauros omnes sapientiæ,& scientiæ Dei,qui absconditi sunt in Filio Dei, sibi aperire, ut se pauperem illis locupletet? quàm vbique terrarum ut omnia lustret, & sic intellectum illustret, animo spatiari? nunc in Nazareth,ut Deum Incarnatum, nunc in Bethleem,ut nascentem; nunc in Ierusalem,ut docentem;nunc in monte Caluariæ,ut morientem contempletur? Novemb.

III. Si reo,qui arce quapiam captivus attineretur, vir magnæ auctoritatis narraret,duarum longè diuersissimarum conditionum, sortiumque alteram,aut felicitatem, aut infelicitatem summam illi euenturam,atque vtriusque apparatum, & quasi imaginem graphicè adumbraret per vnam aliquam arcis fenestellam, ipsummet,si modò caput paulisper erigere ne grauaretur,posse prospicere? an non quantocyus ad eum se locum reciperet, vnde hæc duo extrema, alterum vitaturus, alterum studio omni quæsiturus,queat intueri? quî fit igitur vsque adeò nos desides simus, tamque remisse contendamus ut duplicem, adeoque disparem fortunam, hoc est æternam,vel gloriam in cœlo, vel pœnam in orco, quæ nos certo certius expectat,liquidò cognoscamus;idque ideo, ut alteram sortem,eamque tristissimam fugiamus, alteram verò optatissimam consequamur? Has duas sortes tam dispares nobis,velut è latebris educit, & in lucem producit, accurata meditatio.dum cogitando cum mora, illarum adyta penetramus. Sicut ergo sol suo calore reuelat quidquid nix celat,sic & meditatio arcana omnia reuelat:sic enim de sole Poëta:

Quidquid nix celat,solis calor omne reuelat.

9. DIES NOVEMB.

Novemb. **Vis ut seruiat caro tua, animæ tuæ? Deo seruiat anima tua. Debes regi, ut possis regere. S. *Augustinus super Ioan.***

Sub Deo seruitus est super omnia dominatus.

I. DVm hic differo de seruitute, quâ te subiicias Deo, ago de libertate qua vt Dominus imperes mundo. Meditatio Deo, cui seruiunt etiam qui vbique dominantur, seruire te serio, & submissa animi reuerentia docebit. Seruire te dum iubeo, ingenuum esse volo, imò seruitutem humillimam quàm seruiebas, excutere. Seruitus illa est virtutis, non vilitatis, imò illa seruitus est verè dominatus. Seruies honori eius qui se honorantes honorat, præmittens omnibus actionibus tuis simplicissimum rectæ intentionis oculum, & sic te diliget Deus ut pupillam oculi. Seruies veritati eius præferesque omnibus actionibus tuis lucidissimam fidei facem; seruies fidelitati eius, offeresque omnibus actionibus tuis firmissimę spei illecebras. Seruies bonitati eius, admouebisque, omnibus actionibus tuis feruentissimi amoris flammas; seruies iustitiæ eius, & adhibebis omnibus actionibus tuis ingenui timoris frœnum. Qui pauet, cauet, nec facile Deum offendet, qui timet ne offendat. Seruies majestati eius, addesque omnibus actionibus tuis debitæ religionis obsequium. Nullum non obsequium illi est debitum, cui nihil non debes. Intentio finem & scopum monstret, inter tot illecebras, Fides viam ostendat, inter tot errores; Spes præmiis alliciat inter tot molestias, Amor flammis accendat, inter tot turbines; Timor frœno cohibeat, inter tot licentias; Religio cultum reddat, inter tot irreuerentias.

II. Caue fallat oculus, fax obscuretur, anchora soluatur, flamma extinguatur, frœnum laxetur, cultus peruertatur. At quomodo intẽdis finem tuum, qui toties aberras à scopo tuo? quomodo spectas summum bonum tuum, qui vltro accersis summum malum tuum? quomodo sectaris Dei honorem qui tuum in omnibus captas commodum? credisne odium tui, amorem esse? amorem tui, odium esse? carnem tuam hostem esse, mundum fucis plenum esse? diuitias spinas esse? voluptates, dolorum fontes esse? honores, vanitates esse? gloriam, ingloriam esse? aduersitatem, prosperitatem esse? crucem, salutis instrumentum esse? non credam hæc te credere, nisi videro

Digitized by Google

dero aliter viuere. Fidei tuæ probatio, non sit professio, sed actio. Oportet illum non tam protestari verbis, quàm testari actis. Faciamus modò, & anatomiam tuæ spei. Speras ne veniam, quàm offert misericordissimus? gratiam, quàm benignissimus? gloriam, quàm liberalissimus? auxilium, quod potentissimus? consilium, quod sapientissimus? solatium quod dulcissimus? perseuerantiam quàm fidelissimus? Spes omnia futura tibi sistit tanquam præsentia: illa quæcumque Deus promittit, tibi quasi in sinum mittit, ita ut iam propè possideas quæ te Deo sponsore, possessurum firmiter speras. Novemb.

III. Iam reliqua prosequamur, amasne eum, cuius natura bonitas est? cuius verbum veritas est? cuius opus, beneficium est? cuius forma pulchritudo est? cuius promissum fidelitas est? cuius conuictus iucunditas est? cuius aspectus, felicitas est? cuius possessio, salus est? illum inquam cui seruire est dignitas? subesse potestas? obsequi libertas? osculari castitas? copulari virginitas? timesne eum cuius oculus omnia videt, cuius manus omnia tenet? cuius aspectum nemo potest effugere? cuius iracundiæ nemo resistere, cuius sapientiæ nemo illudere? cuius scientiam nemo potest fallere? cuius sententia, est iustitia; cuius vindicta, est animi, corporisque ruina? colisne eum, quem vnum colere maiestas eius exigit, dignitas eius monet, beneficentia eius, officium tuum postulat? colisne eum obseruantiæ tuæ officiis? tolerantiæ tuæ hostiis, cordis tui suspiriis, oculorum tuorum lacrymis, laudum encomiis, voluntatis desideriis, intellectus cogitationibus, manuum operibus, mentis intentionibus? Ita quidem, si Deo seruieris, seruitute breui æternum regnum, obtinebis, fiesque ex seruo vnius, omniũ Dominus: sic Deo seruiendo in omnibus se submittere, est omni seruituti nuntium remittere. In omnes, & in omnia dominaberis, si vni huic subsis Domino: sub quo iacere est supra mundum stare. Glorioſius est esse Dei vltimum mancipium, quàm totius mundi primum Dominum. Alterutrum necesse est eligas dominum, vel qui supra omnes est, Deum, vel qui infra omnes, Diabolum. Vide quem eligas, quia nemo potest duobus Dominis seruire: adstipulatur huic veritati Poëta:

Vix placet ambobus qui vult seruire duobus.

Digitized by Google

10. DIES NOVEMB.

Novemb. **Non est timendum, quod liberat ab omni timendo.**
Tertullianus lib. de testam. Animæ.

Vsus rectus, omnium rerum.

I. DOcui primas Deo tribuendas, secundas tibi vendica. Post Deum nullus tibi te ipso propinquior; sic ergo viue, ut viuas primùm Deo, deinde tibi morere, quod quoad refugis, viuere desinis, & viuendo mortuus es. Est raræ artis & præclaræ virtutis, posse exequi hoc paradoxum, videlicet moriendo viuere, & viuendo mori. Hanc artem tibi suggerit qui illam terris tradidit, cœli Magister, mortis victor, auctor vitę, qui te vti viuere docet, ita malè viuere dedocet, & mori iubet, mandatque te ut cadauer, dum calcaris non eiulare: dum sperneris, non respondere; dum pateris, non indignari; dum offenderis, non stomachari; dum derideris, non obloqui; dum spoliaris, non queri; dum percuteris, non altercari; dum accipis iniuriam, non rependere vindictam, Cauet eadem ne viuat in te stimulus carnis, quo Deo displiceas; pruritus vanæ glorię, quo obscures Dei gloriam: cupiditas honoris, quâ tollis honorem illi, cui soli debetur omnis honor & gloria: amor opum quo redderis virtutum inops: appetitus laudum, sub quo latet congeries fraudum; desiderium voluptatis, quæ est fons omnis amaritudinis. Hęc si in te viuant, nihil in te minus est quàm vita, quia similis vita, simillima est morti. Ne timeas tibi mori, mors illa liberat te ab omni timendo; quid enim magis timendum, quàm peccatum? desines peccare, si incipias tibi mori.

II. Mori te, cùm iubeo, viuere non prohibeo, imò viuere te cupio, sed anima potiùs quàm corpore, spiritu magis quàm carne. Debes te vti ad Dei obsequium, non te frui ad tuum delicium. Si te bene vtaris, beatè frueris. Vsus tui officium tuum est: frui, vitium. Labore frui non datur nisi transacto: non sane, imò insane iudicas si hic viuere, aliud quàm laborare existimas. Utere corpore ut animæ iumento: ut sit illi adiumento, dum illius indiget obsequio: sit illi vsui, non oneri; ancilletur corpus, dominetur animus: præsit ille, hæc subsit: vtere cibo, ut pharmaco: quidquid excedit modum, nocebit supra modum. Ubi ciborum est ingluuies, illic vitiorum est congeries. Utere mero, merè ob debilitatem stomachi: quidquid hic est nimium, est venenum. Pinguedo corporis, est languedo spiritus: illius satietas,

tas, huius est esuries, primus cibi abusus, primum inflixit animo vulnus, Novemb.
noua ergo ingeminas vulnera, dum noua ingeris fercula, vtere vestimento, ut nuditatis tegumento, non ut vanitatis ornamento. Sæpe vestis concinnitas, est animæ nuditas. Sæpe ut latet sub sordido palliolo Pallas, ita & castitas. Vtere rebus creatis ut alienis, non tuis. Quantum requirit necessitas, non voluptas: vbi desinunt esse necessariæ, incipiunt esse perniciosæ; dumque vsum excedunt, luxui seruiunt. Eas sic cura, ut creatorem non negligas: sic acquire ut illum non amittas; sic auge, ut virtutem non minuas, sic dispensa ut charitatem vsurpes.

III. Vtere tempore, cum fœnore: vtere ut thesauro, quia est pretiosius omni auro: inutilis ille est dum otiosus; exigit vsuram, qui tribuit vsum; illo si abuteris, æternum perdis, quod aufert præteritum non reddet futurum. Vtere anima tua, ut vita tua, quàm ut sustentes, nutries meditando diuina, amando cælestia, desiderando æterna: ne mirare languorem, si parcum est nutrimentum: nec contagionem, si noxium est alimentum, meditando vana, amando vitiosa, desiderando illecebrosa, nutris animam non ad salutem, sed perniciem. Vtere animæ facultatibus, ut vitæ adiutricibus, deserunt officium dum subtrahunt auxilium. Vtere ratione, ut vitæ moderatrice, dictet agenda, monstret prætermittenda, dirigat actiones, cohibeat passiones. Præscribat finem, eligat media ex plurimis optima; modum agendi suggerat: locum, & tempus statuat; respiciat præterita, consideret præsentia, prospiciat futura. Stude non multas scire agendi industrias, sed paucas rectè vsurpare. Non est virtutis studium, sed curiositatis argumentum, nouas sectari rerum agendarum rationes, & quas noueris fastidire. Imò est amoris proprij artificium, qui ut laborem, & molestiam fugiat, noua identidem indaget ut faciliora inueniat. Præuide quo tendas, ne alio peruenias, quâ transeas, ne impingas: nec enim via quælibet ducit quo libet. His monitis, si sapis, & tibi consulis, parebis. Enimverò

Si non parebis, cælesti sede carebis.

11. DIES NOVEMB.

Doctrina in dictis, Scientia est, in factis virtus.
Chrysologus serm. 167.

I. MAgnum est intervallum inter hæc duo, dicere & facere, inter verba & facta, linguam, & vitam, sermones & actiones: parum proderit Opera requiruntur, non verba.

derit dicere Domine, Domine, nisi seruias Domino; nisi facias voluntatem Domini; fac, non dic. Quid iuuat dicere facienda, & non facere? Scientia sanctorum est virtus, non doctrina, progreditur ad manus, non hæret in intellectu, nec solo affectu; est scientia, manualis non intellectualis. Verus Dei cultor, & mundi osor, non tantum loquitur quæ sunt optima, sed etiam facit, quæ sunt honestissima, & quæ sunt aliis temporis feriæ; illi sunt temporis nundinæ, illius *oratio, est tonitruum, quia vita est fulgur* ut loquitur D. Hieronymus. Nam vitæ probæ splendor, verbis, adiicit pondus, ut emittere videatur tonitrua, dum verba: talis erat, qualem omnes esse optarem; D. Martinus: faciebat, multa dicebat pauca, pauperi eleemosynam flagitanti, non dedit verba, Deus te adiuuet, sed nihil dicens, manum admouit gladio, & illum induit pallij dimidio. Non tantum sciebat misero stipem dandam, sed dedit. Adhuc catechumenus tam erat munificus. Non alios dandi instruebat præcepto, præibat exemplo. In vltimis mundi consummati comitiis: in illo celebri cœli terræque consessu, totus mundus erit spectator illius pallij, dum Martinus vel ideo induetur stola gloriæ.

II. Est, teste Gregorio Nazianzeno, prouerbium ut verissimum, ita etiam breuissimum. *Tunc cantabunt cygni, cum graculi tacuerint*, tunc eruditi loquentur, dum ineruditi tacebunt. Multos reperire est garrulos, & obstreperos graculos, verbosos blateriones, quorum omnis scientia est in buccis: quibus accomodari potest alterum illud proverbium; *Clamat arundo plus quàm cygni decem*, sunt exterius garruli ut hirundines, intus inanes ut arundines: multis multa suadent, quorum ipsi nihil sibi persuadent. *Indutus purpurâ, frustra cum Ioanne pilos prædicat camelorum.* Verba sunt Petri Damiani. Ita qui modestus est, non tantum lingua, sed totius corporis moribus, & motibus, eloquentissime modestiam commendat: nam is, ut idem loquitur, *ad modestiæ præconium, de toto corpore linguam facit, & cum os taceat, muta membra melius, quia & simplicius clamant.* Oportet semper esse in actu, ut imitemur Deum qui est purus actus. Et sicut oportet Imperatorem stantem mori, sic Christianum Heroem decet mori operantem. Quod voluit exequi S. Dunstanus qui inuitatus, ad cœlum ut perfrueretur gloria cœlesti indicias à Deo petiit, & impetrauit, donec populum verbo Diuino refeciisset: quo in opere glorioſum esse putauit, vitam & spiritum effundere, ac concionantem mori. Validior oculorum est vox, quam linguæ, sic & vox operis efficacior, quam oris. Loquitur oculis peccator, dum pœnitenda se commisisse plorat, quot lachrymæ, tot linguæ, hinc illud *Auribus percipe lachrymas meas.* Cum vero auribus vox percipitur

Ep. ad cesum.

Opusc 15. c. 28.

Psal. 38. 13.

pitur, procul dubio lachrymæ, voces sunt.

III. Intueamur B. Martinum Turonensem, cuius est dies cœlo natalis, & audiamus clarissimi illius animi dignam cœlo vocem, qui cum esset velut in atrio felicissimæ gloriæ, & propè manu iam prehenderet coronam illam insignium meritorum bullis, gemmisque rutilantem, quàm illi Deus apparauerat: cum iam prope audiret ex ore sui Remuneratoris illa auspicatissima verba, *Euge, serue, bone, & fidelis* &c. *intra in gaudium Domini tui*: sui immemor, memor suorum, & intentus in diuinæ gloriæ amplificationem; Enimvero, inquit, magne mundi parens, cui hanc animam consecraui meam: si quis adhuc testat in venis cruor, si quis in corde calor, si vitales spiritus suppeditant, cupio ut omnia tibi, tuisque seruiant. Dulcis Iesu amator animarum, potens omnium Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem. O cygneum Diuini hominis cantum & melos Deo suauissimum, quod beatæ mentes symphoniâ prosecutæ cœlum, & terram incredibili suauitate compleuerunt. Quid desesis hic torpes? quid iners langues? à te vita fugit, ad te mors currit: æternitas sola consistit; traiicimus infidum mare, ob fulgorem vnius gemmæ, ob viles aliquas merces, & torpemus ad claritatem Dei. Quàm molestum ab ipsis Indiis confecit iter, Regina Saba, ut semel videret Salomonem, non ut cum eo maneret, sed statim rediret; ecce plus quàm Salomon, est hic, ad quem tendimus, omnis Salomonis gloria, ne quidem illius, quàm expectamus, est vmbra. Si enim Deus hunc mundum, ergastulum peccatorum, caueam belluarum, tuguriolum Adam, tam admirabilem fecit, ut ad eius contemplationem extra se aliqui Ethnici raperentur; vix sui præ stupore compotes: quid erit domus Dei, & aula cœli? Itaque ne coram Deo fias despicabilis, ut coram hominibus fias suspiciendus, despice quam calcas terram, suspice, quod speras cœlum. Est enim illud nimis quàm certum, quod velim tibi persuadeas esse certissimum:

Non cœlum quæret, qui terra totus adhæret.

Novemb.

Mat.25.

12. DIES NOVEMB.

Nummicula, non est Christicola. *Petrus Damianus opuscul.12.c.8.*

Vt Deum æstimes, alia nihil existimes.

I. HAusta est hæc Tessera ex Petro Damiano. *Sicut*, inquit, *qui Christum colit, iure Christicola dicitur, ita & qui nummis per custodiam seruit, non*

Novemb. *uit, non immerito nummicola perhibetur.* Ut intelligas, quonam animo, desiderio, & studio tendas, vide quid colas: dispice quid despicis, aut suspicis. Si tibi placet Deo displicere propter plebē, es plebicola, si colas Deū propter cœlum, es cœlicola, sicut qui colit agrum dicitur agricola. Fateor, plebem subinde vereri, sed & reuereri, est prudentiæ. Sic tamen uti Cæsarius, de quo scitè scribit eius frater Gregorius Nazianzenus. *Erat*, inquit, *intus Anachoreta, coram Aulicus.* Trade subinde faciem mundo, sed cor reserua Deo. Tales fateor plures desiderantur quàm reperiantur. Plerique homines æstimant extimâ, quæ patet latiùs, non intimâ, quæ latet virtute; cum tamen aurea frœna meliorem equum non reddiderint, nec tu hoc ipso eris melior, si ornatior; eris mollior, sed non melior. Si putes te posse pariter & colere Deum, & illa quæ non sunt Dei, idem hoc est, ac in furnum frigidum immittere panes. Perdis laborem, oleum, operam, quia nulla speranda est merces operis. Sicuti iuxta tritum adagium, *plenus venter, non studet libenter*: ita qui est plenus mundo cum sit vacuus Deo, non est mirum si non vacet ei vacare circa illa quæ sunt Dei. At vero alij, qui ad magna nati feruntur in sublimia, imis hisce contemptis, non aucupantur humiles terræ glebas; sed venantur cœli stellas. Quia ad egregiarum rerum spem erecti, & cœlo inuecti, non terræ regionibus spem definiunt, sed beatarum mentium domicilium, noctes diesque cogitant, atque in id omnes cogitationis impetus defigunt.

II. Nolo tamen consilia consultissimo dare, ne videar, ut dici solet, *cœlo sidera, & arboribus addere folia.* Tametsi quis audeat tantum præsidere, ac præsumere, ut non indigeat alieno consilio, inter tot laqueos, pedicas, pericula, errores, scelera? nónne ut olim ita & in præsentiarum, totus mundus in maligno est positus? nónne plurimi ut aquam, sic bibunt iniquitatem? an non reperiuntur ex hominum cœtu plurimi, de quibus dici posset quod de Iuliano dixit Gregorius Nazianzenus? *Post Herodem persecutor, & post Iudam proditor; post Pilatum Christicida, post Iudæos Dei hostis?* Quis non in suo gradu inflatur fastu? quoties dantur dignitates indignissimis, cum tamen, ut bene Pius II. summus Pontifex *dignitatibus homines dandi sint, non dignitates hominibus*: adeo ut dignitatum potiùs, habenda sit ratio quàm ambientium dignitates: ut videlicet dignitatum, ut ita dicam dignitati, honorumque honori consulatur. Quoties à mundo decepti, fidem tamen adhibemus decipienti, credunt se mundo qui cultores suos tam certo decipit, quàm blande excipit. Quid tamen ægrius ferunt homines, quàm decipi ab homi-

ne?

Digitized by Google

ne, præsertim si frequens sit illa deceptio ? nam iuxta Petrum Venerabilem, *Primo falli incommodum, secundo stultum, tertio turpe.* Quid mirum si mundus tam falsus fallat, si impostor imponat, si mendax decipiat mendaciis ? quot reperire est qui rebus suis parcunt, aliena audissimè vorant: de alieno sunt profusissimi, de suo maximè tenaces ? atque adeo in propria mensa sunt formicæ, in aliena vultures? Novemb.

III. Omnes homines ad brauium currunt, sed quid iuuat currere ad metam, si curras extra viam (nam) ut prudenter Augustinus: *melius it claudus in via, quàm cursor præter viam*: quo enim iste velocius fertur, eò erroris ambitus grandiores facit, ægrivsque redire in viam potest. Nihil refert nauem impellere, nisi ducatur ad portum quo tendit. Quàm fatui mortalium plerique, qui in recta via ad vitam, & in Dei obsequio, claudicant extra viam, & in mundi cultu velocissimè currunt, & celerrimè tendunt, & validissimè contendunt. Satius est in via Dei esse vel testudinem, quàm in via mundi leporem. Nam ut est proverbium; *testitudo dormientem leporem anteuertit.* Apologus sat notus est, testitudo, & lepus de celeritate certabant: constituto itaque die, locoque, discessere: lupus quidem propter naturalem velocitatem, in cursu negligentior factus, in via prostratus dormiit: testitudo vero suæ conscius tarditatis, continuo incessit, sicque leporem dormientem præcurrens, victoriæ præmium retulit. O quot sunt in via lata non dormientes, sed perniciissimè & ideo pernicioſissimè currentes lepores: in via vero arcta, dormientes testudines; in obsequio mundi toti calidi, in Dei verò, toti frigidi, illic oculati, hic excæcati. Multi sunt Cosmophili, pauci Theophili; quis non stupeat cum stupente, non tamen stupido Alberto. *Stupeo*, inquit, *nos posse credere Deum, esse Deum, & tam tepide nos ei seruire.* Sic rebus vilibus præ omnibus Deus vilescit. O, si sapis fac quod suadet Poëta:

Despice res viles, Christi fortissimè miles.

Digitized by Google

13. DIES NOVEMB.

Novemb. **Deo nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius inuenitur. S. *Augustinus serm.* 1. *de Trin.* c 3.**

Deus studiosè quærendus.

I. TOtum hominis viuere, nihil est, nisi aliquid quærere. Oculi dum vident, aures dum percipiunt, nares dum odorantur, manus dum palpant, lingua dum loquitur, pedes dum mouentur, mens dum cogitat, cor dum desiderat, denique homo quoties aliquid agit, aliquid quærit. Sed non omnis qui quærit, inuenit. Sæpè inuenit quod pœnitet inuenti. Illud inter omnia & præ omnibus, quære, quo nihil potes inuenire fructuosius. Noli illud quærere quod reperisse te conquereris. Si quæris gaudium, frustra illud quæris inter frusta mundi. Non vis frustrati spe rei quam quæris obtinendæ? audi Bernardum *Solus est Deus, qui*

l. 5. de consil. c. 11. *frustra nunquam quæri potest, nec cum inueniri non potest.* Facilè toleratur cuiusuis negotij molestia, vbi adest certitudo euentus. Quàm alacriter inirentur prælia, si certa militibus præliantibus esset victoria? Quo studio iret ad Garamantas, & Indos mercator, si certo sciret se rediturum salvis mercibus? quanta diligentia venator feras, piscator pisces, volucres insectaretur auceps, si de præda spes esset certa. At nunc hæc ipsa, nequaquam obstantibus periculis, dubia plerunque spe, ne dicam vana, irritoque conatu, vtpote casso successu, quotidie suscipi videmus. Deum vero quicunque quærit, vbique inuenit. Itaque Deum inuenisse, est omne bonum: sic enim

in Psal. 33. Cassiodorus. Cum diligimus Deum, omnia in ipso reperimus, *vnus est qui quæritur, sed in quo omnia continentur. O lucrum mirabile! ô compendium singulare! cur nos per diuersa fatigamus? ad ipsum festinemus, post quem cuncta bona vltra non quæramus, sed tenemus.*

II. Numquam Deum quæris ut illum accedas, quin te quærentem benignè admittat: ipse enim suscipit timidos ut protector, pusillanimes ut consolator, cæcos ut illuminator, egenos ut dives, imprudentes ut consiliarius, indoctos ut Magister, miseros ut misericordia, reos ut clemens, profugos ut refugium, ægros ut medicus, famelicos ut pater, seruos ut dominus, pias animas ut sponsor, omnes denique post hanc vitam, ut glorificator suscipit in vitam æternam. Nónne ergo merito quærit D. Bernar-

De mis. Human. dus? *Quid quæris extra illum: quid desideras præter illum?* Quid tibi placet *sine ipsoripse*

Digitized by Google

so? ipse fecit omnia, ipse habet omnia, ipse est omnia, quodcunque bonum cupis, quodcunque pulchrum quæris, quodcunque dulce, & delectabile requiris, totum in ipso inuenies, & in ipso perfrueris &c. quidquid boni quæras, summum bonum, & omne bonum, ipse est. Quid ergo non habebit, qui omnia habentem habet? His accedit, quod non diu sit quærendus. De iis qui alia extra Deum quærunt & colligunt, cautè monet D. Augustinus. *Vide ne fortè dum colligis, colligaris; dum vis esse prædo, fias præda.* Hic vero dum ut prædo diligenter quæris, ut præda feliciter inueniris. Itaque nunquam quæris cum damno, quia semper inuenis cum lucro. Divina vltro se ingerit præda, quæri volens, & inueniri quærens. Ipsa si quidem acquiritur, si diligitur; apparet, si appetatur; occurrit, si inquiratur. Non expectat, ut quæratur, sed ipsemet per præuenientem gratiam præoccupat, & qui inuenire potest, præueniri non potest. Quærit nos ut quæramus illum. Itaque semper dum inquiritur, acquiritur. Quid facilius inuenitur cum omnia à Deo condita sint vestigia Dei? omnia pulchra testantur ipsum esse pulcherrimum, dulcia dulcissimum, alta altissimum. Novemb. in Psal. 38.

III. O quàm suauiter hic D. Augustinus? *Aurum si volueris, fortè non habebis; Deum cum volueris, habebis, quia, & antequam velis, venit ad te, & cum auersa voluntate, vocauit te, & cum conuersus esses terruit te, & cum territus confitereris, consolatus est te, ita qui tibi præstitit omnia, iste qui fecit ut esses qui his qui tecum sunt etiam malis, præstat solem, præstat pluuiam, præstat fructus, fontes, vitam salutem, tantas consolationes, seruat aliquid quod non det nisi tibi. Quid est autem quod tibi seruat, nisi sepete aliud si melius inueneris: se tibi seruat Deus. Auare quid inhias cælo, & terræ? melior est qui fecit cælum, & terram: ipsum visurus, ipsum habiturus es. Quæris ut tua sit illa villa, & transiens per illam dicis, beatus cuius est possessio ista; hoc dicunt quàm multi, qui transeunt per illam possunt agitare caput, & suspirare nunquid & possidere? beata gens cuius est Dominus Deus eorum: hac ama, hoc posside, hoc cum vis, habebis, hoc gratis habebis.* O si illum serio aliis omnibus spretis quæras, si quærens invenias, si cum inuento familiariter sermocineris, quam te tædebit, vel de alio, vel cum alio loqui, quàm cum Deo. Tunc ex suauitate quàm hauries ex illo, sub cuius lingua lac, & mel, & in cuius labiis diffusa est gratia, dices quod ille totus Dei immersus contubernio, D. Robertus, *Postquam locutus sum Deo, & Deus mihi, tædet me loqui, & agere cum hominibus.* Similia erant de Dei commercio verba S. Scholasticæ cum diceret; *vel oportet loqui de Deo, vel oportet silere; quia quidquid est hic interris, non meretur ut de eo loquamur.* Itaque Deum quærere, & modum eundem reperiendi suggerere, omnis nostra posthac erit cura. Interim tu in Psal. 32.

Hoc vnum cura, vnum ut super omnia cures.

14. DIES

14. DIES NOVEMB.

Novemb.

Causa diligendi Deum, Deus est. *Bernardus tract. de dilig. Deo.*

Deus amandus quia Deus.

I. HÆc vltima est hominis perfectio tanti singula æstimare quanti sunt æstimanda: pluris vel minoris æstimare, est turpiter errare, quia est peccare. Ut porro cognoscat homo, ad quid amorem suum debeat conuertere, vel à quo auertere, necesse est fingere animum velut in quodam centro creaturarum, esse collatum, ut nec ad dextram per excessum, nec ad sinistram, per defectum, nec ad exteriora, sed ad interiora, id est Deum, amorem suum flectat. Habet homo alia supra se, alia iuxta se, alia infra se. Supra se habet Deum, iuxta se proximum, infra se mundum. Quod est supra hominem, est summum; quod est infra se, est imum; quod est medium est magis infimo, & minus summo; itaque homo qui est medius, inclinatione ad infimum, misere, conuersione ad summum, beatè viuit. Noli ergo te abiicere ad illa, quæ sunt inferiora te. Stomachum tibi mouet si quis conditione vel officio te inferior, vult te esse superior. Quantum excandesceres, si qui te debet subsequi famulus, ex contemptu tui, præcedat. Tibi ipsi irascere, qui te iis submittis, quæ sunt te & ordine & fortè longè inferiora, finasque illa in te dominari quæ deberent famulari, illaque efferas supra caput, quæ subiecta sunt tuis pedibus. Vis stare in ipso felicitatis apice? enitere ut tuo consistas in ordine, rectèque te habeas ad superiora, media, inferiora. Hanc te artem docebit quintus Carthusiæ prior Guigo.

In medit. 19.

II. *In medio constitutus homo, superioribus, id est Deo in dilectione nec præferre, nec æquare, nec comparare vlla ex parte debet: æqualia id est proximos, quoad animæ salutem, tanti facere oportet, quanti se ipsum. Inferiora, id est reliquas post spiritum rationalem creaturas, minoris facere debet, ita ut nihil tam parui, tam vile habeat. Habebit itaque talis superiora ad gaudium, æqualia ad consortium, inferiora ad seruitium. Deuotus erit ad Deum, benignus ad proximum, sobrius ad mundum. Dei seruus, hominis socius, mundi Dominus. Sub Deo constitutus, erga proximum non elatus, mundo non subditus. Redigens inferiora ad vtilitatem mediorum, media ad honorem superiorum &c. nihil ab inferioribus nihil ab æqualibus, sed totum à superioribus suscipiens à superioribus motus, inferiora mouens: superiora sequens inferiora*

Digitized by Google

riora mouens: superiora sequens inferiora trahens: ab illis possessu, ista possidens. Hic porro ne à sulco delires, illa obserues; licèt omnia quæ Deus creauit sint bona, & valdè bona, non tamen illorum adhærendum est bonitati, sed illius, à quo habent quod sint bona. Sunt Dei voces: cauendum ne soni suauitas, te magis oblectet, quam significatio, ne volupè magis sit audire illas, quam qui per ipsas loquitur Deus: Creaturæ, vestigia sunt Dei, sed illis diutius non inhærendum, verum vltra ad Deum ipsum per ista pergendum. Nimirum cum creaturis (ait Augustinus) *non habitandi electione, sed itinerandi necessitate versandum.* Itaque Deus amandus, quia amabilis, & solus amabilis, & infinities est amabilis, & amor ipse. Hoc est, Deus diligendus est non propter sua sed se, quia est Deus, ut monet tessera. Novemb. *l. de Musice c. 1.*

III. Sufficit mihi bonitas tua! ô summum bonum, ut te amarem quantum potes à me amari, quid vrges me tuis operibus? quid cogis tot tuis beneficiis? tu creasti me, quando non eram, tu quæsisti, quando perij, inuenisti cum perditus fui, saluasti cum damnatus fui, sustinuisti, cum obstinatus contra te fui, corripis cum delinquo, indulges cum reus sum, doces cum erro, pascis cum esurio, potas cum sitio, foves cum frigeo, refrigeras cum caleo: servas cum vigilo, invigilas cum dormio, levas cum surgo, reparas cum cado, sustines cum sedeo. Tenes cum sto, vehis cum ambulo, excipis cum ad te venio, reducis cum à te abeo, revocas cum deuio, vndique inundant in me & excundant extra me beneficia tua. Non possum mouere manum quin è tua manu accipiam donum; quælibet respiratio, est novi beneficij obligatio; id ipsum quod non habeo, meum beneficium puto, quia tu Domine donas provt cuilibet expedit, & negas non ut desit, sed ut prosit. At licèt beneficia Dei, sint stimuli ad amandum Deum, plus amandus est Deus, ob amorem quo beneficia confert quam quæ confert. Quia beneficia sunt scintillæ immensi illius incendij, sunt effectus Divini amoris. Quare quia bonus in se est Deus, plus debemus amare eum, quam quia est bonus in nos, & nos amat. Ama Deum ob beneficia, quia in eis vides, amplecteris, oscularis, amorem Dei. Ob amorem eius illum ama, quia in illo intueris, adoras, & diligis bonitatem Dei. Amor Dei, vna perfectio Dei est: restant aliæ infinitæ, ob quas infinities est amabilis. Nescio quomodo fieri possit, ut intermittatur, & desinat amor Dei in corde tuo, cum ipse infinitus ab æterno ita te incessanter amauerit, sola bonitate sua. Quis non amet eũ cuius bonitati, debetur non tantum vnus infinitus amor Dei, sed quasi infiniti amores infiniti Dei? hoc lector ut ames attende, & expẽde, si non ames pave, & cãve, quanta patieris si pateris alibi vergere amorẽ quam ad æternum amorem.

Digitized by Google

15. DIES NOVEMB.

Novemb. **Quidquid mihi vult dare Deus meus, auferat totum, & se mihi det. S. *Augustinus in Psal.*26.**

Deus est omne bonum.

I. NOn miror Augustinum optantem sibi auferri omnia, ut detur vnum, quia vnum illud cum sit totum quis illud non potius præeligat quàm partes, & cum illud vnum sit omne, in vno habet omnia. Iure igitur eum qui ex vniuersa creatura emendicat sibi obiectas delectationes, ad satiandas insatiabiles cupiditates, copiosæ inopiæ, & ignominiosæ gloriæ, Augustinus sic redarguit: *Quid amas, ut Deum non ames? dic mihi ama si potes aliquid quod ipse non fecit; circumspice vniversam creaturam: vide vtrum alicubi cupiditatis vitio tenearis, & à diligendo Creatore impediaris, nisi ea re, quàm creauit ipse, quem negligis. Quare autem amas ista, nisi quia pulchra sunt? possuntne esse tam pulchra, quàm ille à quo facta sunt? Miraris hæc, quia illum non vides sed per ea quæ miraris, ama quem non vides. Interroga creaturam, quia si à se ipsa est, remane in illa, si autem ab illo est, non ob aliud pernicioſa est amatori, nisi quia præponitur creatori.* Itaque non sunt amandæ creaturæ nisi eo modo, quem præscribit S. Augustinus. *Si autem ista diligis, ut subiecta dilige, ut famulantia dilige, ut Arrham sponsi, ut munera amici, ob beneficia Domini; sic tamen ut memineris semper quid illi debeas, nec ista propter se, sed ista propter illum, nec ista cum illo, sed ista propter illum, & per ista illum & super ista illum diligas.* Hæc norma est regendi, hæc forma dirigendi, hæc regula moderandi nostri amoris, ne à scopo aberret, à via deuiet, à fine deflectat.

in Psal. 79.

In *Medit.*

II. O Domine in singulis creaturis temet exhibes prospiciendum passim per naturæ transennam: in omni creatura occurris mihi, toties amorem tuum irrogans & amorem meum rogans. Quamcunque fenestram aperiam, ades amator, stans post parietem, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos, si videam, si audiam, si odorer, si lapiam, ecce adest facies tua decora, vox tua dulcis, & odor Dei mei, & fauus cum melle tuo: vbique conuenior de amore, omnia amorem tuum, & pulchritudinem mutuis clamoribus, & inaspectabilibus coloribus obiectant. Sed quæ vox, aut imago, cognitionem tui dabit? non possunt creaturæ te pingere ex omni earum perfectione lituram tantum cognosco. Quis ergo es aut vbi pulcher mi? qui cum vbique mihi adsis, nullibi te inuenio, & cum omnia sis, nihil omnium te puto? pro imagine tui, se obiectare mihi creaturæ; sed

ego

Digitized by Google

ego ænigma æstimo,non es Domine, & id quod designant te esse, quæ Novemb.
licet non mentiantur, taliter te indicant, ut non sis id quod prædicant verè. Ita quæsiui quem diligit anima mea,quæsiui illum & non inueni, surgam & circuibo vias naturarum,& plateas cœlorum. Interrogaui formas rerum, concentus melodiarum, odores aromatum, sapores mellitorum, amplexus charorum, & dixerunt:Non sumus dilectus tuus, ille fulget, ut non capiat locus,sonat,ut non ferat ventus,olet,ut non spargat flatus, sapit,ut non nocear fames,hæret,ut non separet fastidium. Interrogaui terram, & respondit:Non sum ego: si cæli cælorum non capiant illum, quid me rogas?Interrogaui mare,& contremuit,dicens non sum,maior abyssus est,& pertransiri nequit.Interrogaui cœlum,& dixit non sum Deus tuus, ascendit,vltra.

III. Si vos non estis creaturæ,dicite mihi aliquid de illo.Responderunt mihi vigiles mentes,& custodes spiritus mundi:Ipse fecit nos;quære illum super nos. Paululum cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea,non inueniens illum in creaturis. In hoc solo video, & inuenio te,ô, lumen in medio positum quod non possim te videre,nec innenire. Nam quomodo assequar quod incomprehensibile est?fuge, fuge dilecte mi, in hoc te consequar, quia fugis me, nec possim te assequi.Plus nosco de te, quantum noui te non posse cognosci à me, in nocte, & in quiete anguli mei per noctes quæsiui quem diligit anima mea, nox est respectu tui, splendor rerum venustarum:nox est,decor cœlorum: nox est, solis splendor,lunæ candor,stellarum nitor & totius mundi fulgor. O Deus abscondite! si ignoratus places mihi super omnia quæ scio, quid facies mihi cognitus,cum te coram & palam sciam?Eripe,euelle cor meum,accipe omne velle meum,nec mihi vnquam restituas.In te sit cor meum,quia in te est Thesaurus meus.O Deus cordis mei,quia iam es Dominus illius. Tu es Deus cor meum, Deus pars mea quæ defecit mihi:cor scilicet meum eris in æternum:officia cordis mei imple. Ipse poteris velle pro me, & solicitus esse,quæ mihi expediant. Ego tantum diligam te,Tu amabis me pro me,ut ego penitus amem te,ut nec amor mei impediat me.O felix iactura cordis,si Deus pro corde est!eris autẽ plus quam væcors,si Deo spreto consecres cor mundo. Habet enim mille quibus cor capiat dolos, quibus implicet laqueos. Ergo

Effuge iucundi laqueos,& retia mundi.

16. DIES NOVEMB.

Novemb. Quis sic delectat, quam ille qui fecit omnia, quæ delectant. S. *Augustinus in Psal* 32.

Deus fons omnis delectationis. *l.* 18. *Moral. c.* 8.

I. NOn plus potest esse anima sine delectatione, quam sine respiratione. Quamdiu spiras, semper in aliquo, quo quiescas, respiras. Itaque cum delectari necesse sit, debes delectari caducis, aut æternis, humanis, aut divinis. Illa est mens D. Gregorij. *Esse sine delectatione anima nunquam potest: Nam aut infimis delectatur aut summis.* Quid te abiicis ad infima, qui natus es ad summa? non modo quæris semper habere summa, sed ambis vbique esse summus: nusquam non primus. Cæsar tam erat intemperanter ambitiosus, ut maluerit in ignobili vico primus esse, quam in arce orbis, Romæ, secundus. Nónne hæc est stultitia summa, velle in omnibus esse summum, præterquam in delectatione? vnde expectandũ summum gaudium, nisi in summo bono? quidquid vsquam vlli sensui, vel rationi, vel voluntati occurrit delectabile, nũquid est ex eo, qui est ipsa delectatio, & qui fecit omnia delectabilia? quasi vero plus te delectabit aliquid delectabile, quam ipsa delectatio. Si nolis seruire, si timeas ne in te mundus dominetur, *delectare in Domino.* Ne timeas spernere quæ hactenus te oblectarunt; nullum delectationis patieris damnum accipies cum fœnore lucrum. Crede hic Augustino. *Omni homini conuerso ad Deum mutatur delectatio, mutantur delitiæ, non enim subtr ahuntur sed mutantur.* Mutantur in meliores in sanctiores, in puriores; pro illicitis, licitæ, pro turbidis, claræ; pro sordidis intaminatæ succedunt.

Psal. 35.

in Psal. 74.

II. Deinde magnus est error quod animus per varia palabundus vagatur, ut gaudium emendicet, cum gaudij patria non sit à nobis dissita, sed apud nos proxima, imò in nobis intima. Quàm demens esset, qui immensum emetiretur oceanum, transiliret regna, lustraret non vrbes, sed orbes, ut inuestigaret id quod domi habet. Procul quærimus, quod propè habemus; quæris extra te, quod est intra te, quæris per omnia loca orbis, quod est in medio cordis, licèt fingere gaudium pro libitu, quisque suæ lætitiæ, est faber, sui gaudij architectus. Præstaret hic seuera Sinarum lex, omnes peregrinos, & extraneos regni sui aditu interdicens, capitali interminatione; ita vastum imperium pax ferè æterna seruauit; At modo vbi extranei

nei aduenerunt Tartari, omnia ardent bellis, totum regnum in varios di- Novemb.
visum est Dominos. Talem debet voluntas sancire legem, si velit tutari pacem, nihil alienum, nihil peregrinum admittat, non intret Plutus, Bacchus, nō Venus, non Mercurius, illi sunt Tartari? quia emissi è Tartaro. Illi sunt alienigenæ, auferent pacem, inferent bellum. Vt semper gaudeas in Domino, vnus tantum admittatur Dominus. Si ille solus totum possideat, habet cor vnde secure gaudeat. Itaque mente caret, qui eo mentem coniicit, ut diues, potensque, ut late viuat, qui ut delectetur, aucupatur fortunæ infida dona, male fida munera. Qui inde delectatur, semper, ne quid gaudium illi tollat, periclitatur.

III. Habet enim contra se discrimina terræ, pericula maris, inuidentiam vicini, odium inimici, insidias grassantium, proditiones seruorum, incursiones latronum, inclementiam cœli, volubilitatem temporum, legem mortis, licentiam illegis fortunæ, & si nihil aliud, ipsam rerum infirmitatem, nullo impellente ruiturarum. Si hæc non satis, ipsam potentiam providentiamque numeres. Quis vnus audebit aduersus tot æmulos certare? quis resistet solus tot copiis calamitatis extrahentibus imò è pectore cum rebus gaudium reuulsum? O solicitum gaudium, cui semper subest, ne pereat, periculum. Vis semper gaudere in Domino? alloquere cum Augustino, his verbis Dominum. *Absit Domine, absit à corde serui tui qui confitetur tibi, absit, ut quocunque gaudio gaudeam, beatum me putem. Est enim gaudium, quod non datur impius sed eis, qui te gratis colunt, quorum gaudium tu ipse es. Et ipsa est beata vita; gaudere ad te, de te, propter te. Ipsa est enim, & non est altera.* Consonat Doctor mellifluus. *Reuera illud verum, & solidum est gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore percipitur, & quod cum conceperis, nemo tollet à te, cui comparata omnis aliunde iucunditas, maror est, omnis suauitas, dolor est, omne dulce amarum, omne decorum, fœdum, omne postremo quodcunq; delectare potest, molestum.* Horres tristitiam? imprimè menti illam D. Francisci sententiam, & proscribes animo omnem tristitiam, admittes lætitiam. Sic ergo ipse: *Nunquam eris tristis, si memineris Deum esse tuum patrem, Christum Fratrem, Spiritum Sanctum Gubernatorem, & B. Virginem tuam Aduocatam.* Denique.

l. 10. Confes. c. 22.

S. Bernard. ep. 114.

Iure tibi plaudes, solo si numine gaudes.

Digitized by Google

17. DIES NOVEMB.

Novemb. **In Deo est omnipotens misericordia, & misericors omnipotentia.** *S. Fulgentius ep.7.c.4.*

Dei benignitas. I. DEus non modo in se est bonus sed in alios, imò in omnes, & omnia, quia fecit omnia valdè bona. Exundat ergo eius benignitas plenis alueis, ita ut de eius plenitudine accipiant vniuersi, imò tota rerum vniuersitas. Hæc est indoles boni, se effundere. vult enim bonitas sua bona esse omnium. Sol lucis suæ radios quaquaversum latissimè emittit. Ignis per totam sphæram suæ ditionis calorem spargit. Fons scaturiens, continuo aquas ebullit, & effundit. Deus Sol iustitiæ illustrat omnia radiis suæ misericordiæ. Fons aquæ vitæ est, irrigans vniuersam faciem terræ, ex quo maxima profluunt beneficiorum flumina. O vtinam huius solis radios, huius ignis scintillas, huius fontis rivulos excipere, & aliquovsque exprimere possimus, ut bonorum omnium largitorem diligere satagamus. Expende hîc summum illud, & omne bonum suæ nobis bonitatis præbere affectum, & effectum; ut in altero se benevolum, in altero se exhibeat beneficum. Quo autem modo? non vi adactus, non necessitate cõpulsus, non sua vtilitate aut lucri spe adductus, multo minus ad actus, non muneribus devinctus, non officiis provocatus: sed gratis, merè liberè, sponte, pro bona sua voluntate, liberaliter, copiosè, & prorsus se communicat, idque semper, ut non sit momentum, quo non aliquod suæ benignitatis nobis relinquat monumentum.

Opusc.62.5. II. Asserit rotunde D. Thomas, *Deum creaturis communicare quidquid communicabile, & ab eis receptibile est, & iam singulis momentis communicat, cum habilitatem reperit.* Vis cognoscere incredibilem ardorem Dei effundendi in omnes sua beneficia, & fauores? hæc de illo Chrysostomus. *Deus ita cupit effundere misericordiam vti parturiens cupit eniti fœtum suum.* Hoc tecum quod sequitur, serio revolue sæpius animo. Spiritus sanctus dixit B. Angelæ de Fuligno. Tantus est amor meus erga animam quæ diligit me sine malitia, ut si quæ foret, quæ me perfectè diligeret, maiores gratias illi conferrem, quam olim contulerim sanctis, de quibus in tempore præterito multa referuntur, quæ Deus iis præstitit: nec est qui se possit excusare, cum cuilibet sit integrum Deum amare, nec aliud Deus exigat. Hoc penitus concordat

Orat. de B.

cum

Digitized by Google

cum iis quæ asserit Cæsarius. *Deus vbi viderit deuotionem animi, ardentiorem insinuabit affectum, & quantum nos addiderimus ad studium, tantum ille apponet ad adiutorium, & quantum nos apposuerimus ad diligentiam, tantum ille addet ad gloriam.* Ideo merito dicebat Philippus Nerius: *Si sineremus Deum, & gratiam eius operari in anima nostra, quid non faceret homo in hoc mundo?* Et illud propè convenit cum iis quæ dicit D. Albertus. *Non attendas quid facias, sed quid te facere oporteat, & quid posses facere, si te sineres duci à Deo.* Nec huic absimile quod asseuerat S. Odo. *Homo solus parum potest: sed Deus & homo concordantes omnia possunt.* O si tecum non discors, & cum Deo concors, cum eo, eiusque gratia omnem adhiberes operam, incomparabile esset tuæ & præmium & pretium operæ. Nouemb. Hom. 3. ad Monac.

III. Magna est, & ea Diuinæ benignitatis commendatio, quod non tantum sit erga miseros misericors, sed erga miserrimos, hoc est peccatores *patiens, & multum misericors.* Hanc erga impios, & sacrilegos Dei longanimitatem, & patientiam, ita mirabatur quædam illustris matrona Hispana, ut solita fuerit dicere: Si Diuinis attributis aliquod templum à se erigendum esset, se velle illud erigere, & consecrare Diuinæ patientiæ. Nec mirum. Deum ita esse patientem, cum tam multa ipse pro illis sit passus. Est ergo & misericorditer potẽs, & potenter misericors. Hanc Dei & benignitatem & patientiam in se exprimere satagebat D. Odilo, qui cum accusaretur quod esset nimis benignus erga subditos; reposuit, malle se reddere Deo rationem de misericordia, & benignitate, quam de seueritate. Cum sit igitur Deo proprium, misereri, & tibi propriissimum esse miserum, caue vnquam diffidas de eius misericordia, in tuis miseriis; quia verissimum est illud S. Augustini, *Qui de venia peccatorum desperat, negat Deum esse misericordem.* Nec ideo abiicias animum quia descendit vsque ad portas inferni anima tua, plus infinities potest is tibi remittere, quam tu mali committere, imò nihil est facilius quam pro commissis ei satisfacere. Audi quam facilè potes illi benefacere, & sic satisfacere. Deus Pater hoc modo olim allocutus est D. Brigittam. *Quicunque Christum colligere voluerit hilari mente, satiare eum potest etiam mica panis si voluntas fuerit bona vestire eum sufficit filo, si charitas fuerit ardens: potare eum potest stilla, si affectus fuerit rectus.* Quid minus micâ, filo, stillâ? Da Christo minima, ut accipias maxima, da cito, ne accipias sero, *Psal. 144.* *Man. c. 23.*

Dandi tolle moras, cito dando, munus honoras.

18. DIES NOVEMB.

Novemb. **Ipse erit bonum tuum, aquo tu in tuo genere factus es bonus, & Omnia in suo genere facta sunt bona.** *S. Augustinus in Psalm.* 102.

Dei bonitas.

I. QVid hic volo agere de Dei bonitate, quæ nec potest scribi, nec dici, nec concipi? si omnes spiritus qui sunt vel sursum in Cœlo, vel deorsum in orco, omnesque in terris animæ creatæ, creandæ, & quæ possunt creari, de ea scribere vellent, si singulis atramentum esset oceanus, ac membrana cœlum, priusquam minimam eius partem describerent, oceanus totus exsiccaretur, & cœli nec vnum apicem, aut jota amplius capere possent. Si cunctæ stellæ, & imbrium guttæ, totidem forent linguæ, antequam aliquid de ea pro dignitate possent eloqui, destituerentur spiritu & obmutescerent: si omnes arenulæ maris, in mentes mutarentur, non possent particulam eius dignè concipere, nam ut docte S. Gregorius Nazianzenus. *Orat. 49. de Fide.* *Certè hoc est Deus, quod cum dicitur, non potest dici, cum æstimatur, non potest æstimari, cum definitur, ipsa definitione crescit, quem omnia nescunt, & metuendo faciunt.* Non dissimiliter Arnobius *l. 1. adu. Gent.* *Deus, ut intelligatur tacendum est, atque ut per vmbram possit illum errans inuestigare suspicio, nihil omnino est mutiendum. Non est mirum, si ignoratur, maioris admirationis est, si sciatur. Eloquar sicut sentio, magnitudinem Dei qui se putat nosse, minuit: qui non vult minuere, non nouit.*

II. Quid volo igitur comparare eum qui in omnibus est incomparabilis? nónne qui vellet exaggerare hyperbolicè Sapientiam Salomonis nugiuendulus haberetur, si hæc, aut his similia diceret? Tanta est Sapientia Salomonis, ut nec eam mancus possit scribere, nec mutus dicere, nec stultus concipere? Si hæc commendatio esset potius irrisio, aut vilipensio: minus sunt ad rem illæ comparationes, respectu Divinæ bonitatis, ad quam describendam, enarrandam, concipiendam, omnis in cœlo & in terris, creatura, est muta, amens. Illa est Divinæ bonitatis maxima laus, à nemine posse ut par est, laudari, nec amari. Licèt omnia folia arborum, & herbarum, stellæ Cœli, & arenæ maris, & atomi solis, essent corda, imò essent arden-

ardentissimorum Seraphinorum voluntates, imò etsi omnes illæ, & cunctæ reliquæ creaturæ, quæ condi à Deo possent, essent singulæ Seraphinorum Hierarchia, cuius amor in singulis instantibus duplicando semper multiplicaretur, per totam æternitatem, nihil esset cunctorum amor, ut vel in minimo satisfaceret Bonitati Divinæ, imò esset potius tantus amor frigus, quam calor. Nec dico quod tantus amor, qui propè videtur immensus, ad Dei Bonitatem congrue amandam sufficeret, verum nec ob solam patientiam, qua te Deus suffert, non modo peccantem grauiter, sed remisse, & cum defectibus amantem tantum bonum. Nónne igitur posses Deum iisdem verbis alloqui, quibus olim Philippus Nerius: *Deus, cùm sis tam amabilis, & ita præceperis nos amare te, cur dedisti nobis tantum vnicum cor, & adhuc tam paruum?* Novemb.

III. Sed tamen hoc mihi saltem est solatium, quòd licèt non satis ameris, non etiam satis, nisi à te amari possis. Accipe Domine pro parte mea, vilem stipem amoris saltem in votis. Amorem omnium creaturarum, etiam possibilium collectum, tibi offero. Ego ipse solus vniuersorum amorem, quem omnes per totam æternitatem habituri sunt, vellem habere singulis momentis. Parce Domine, nec iniuriæ vertas hæc mea pusilla vota, & desideria, sed ea excuset coram te infimitas mea, & magnitudo tua. Accipe hoc gaudium meum, quod dignè nequit dari, amor te dignus: accipe & cruciatum meum, quo doleo non omnia te amare. Doleo tot animas sponsas tuas, per fidei arrhas, tot alia hominum corda idonea ad diligendum te ardentissimè, qui Reges mundi, cœlóque sublimiores esse possent, oblitos tui, imò immemores sui, iacere in fimo suo, & cum iumentis computrescere in stercoribus, & perire diligendo se, & hæc caduca, ac horribilia bona terræ, & non te, ô pulchritudo rerum, & amor vniuersi! Percipiebat Dei bonitatem B Catharina Genuensis, cùm hæc diceret: Cognitissimum mihi est, quod quando amor purus vel minimam Dei cognitionem videret, si Deus non auerteret cogitationem, in puluerem redigeretur, non corpus modò, sed anima, nisi esset immortalis. At quis ita perspectam habet Dei Bonitatem? sed qu em potest illa summa Bo nitas fugere, cùm in eius semper incurrat vestigia? quia cùm omnia quæ condidit, sint bona, ab eius id hauserant bonitate. Sit pro clausula, illa divina D. Augustini sententia, *Pudeat cùm alia non amentur, nisi quia bona sunt, eis inhærendo non amare bonum ipsum vnde bona sunt.* *l. 8. de Trin. c. 3.*

Digitized by Google

19. DIES NOVEMB.

Væ tali amori tuo, si vel suspicaris aliquid pulchrius, quàm est ille, à quo omne pulchrum.
S. Augustin. in Psal. 43.

Pulchritudo Dei.

I. MAgna ad amorem est illecebra, formosi vultus elegantia: trahit ad se oculos, rapit animos, totum occupat in sui contemplatione hominem. Hinc quidam adducti sunt, non modò ad amorem cordis, sed furorem mentis. Sed quid est omnis pulchritudo creata, ad increatam, nisi quod est nihil ad omnia? Finge pulchritudinem vnius Angeli toties maiorem quot sunt atomi in aëre, & singulos Angelos eadem pulchritudine præditos: & cùm sint millia millium, seu penè non sit numerus eorum, totam hanc pulchritudinem congloba in vnam solam: turpis, & deformis esset præ pulchritudine Dei. O cor meum quo modo non te euellis post tantum decorem, & ardes ad immensam illam lucem? Verè dixit Nazianzenus: *Deus & pulchritudo omnis est, & super omnem pulchritudinem.* Hanc incomparabilem pulchritudinem, ut saltem quasi per vmbram intelligatis, conducet acerrimâ mentis acie contemplari pulchritudinem, quam animæ confert gratia Dei. De ea sic D. Augustinus: *Naturam humanam in rebus creatis excellentissimam, cum à suo creatore, ab impietate sanctificatur, à deformi forma, formosam, ait, in formam transferri.* Qualis verò, ac quanta ea sit, non est mortalis oris exponere. Nam si natiua animæ pulchritudo, etiam sine gratiæ venustate, formositatem ingenitam omnium corporum, ac pretium transcendat, quid eius ductus à gratia decor, cui absque vlla comparatione venustas animæ natiua longius concedit, quam huic natiuæ venustati, elegantiæ naturæ cuiusvis corporeæ.

Orat. 1

l. 15. de Trin. c. 8.

II. Eam quidem affirmat Blosius, esse animæ speciem nullo peccati nævo maculatæ, ut si posset oculis videre, tanta ea videretur, ut esset admiratione, & gaudio alienatura mentes intuentium. B. verò Senensi Catharinæ, cùm eandem patefecisset Deus, lambebat oculis eorum vestigia, qui conciliandis cum Deo hominibus, suam operam navarent, & extra se posita, imposque alterius cogitationis: Ah vidisses pater, (aiebat suo confessario) quæ sit animæ pulchritudo, gratiâ ornatæ, profectò vel vnius causa, mille mortes oppeteres. Ipse Christus hac tanta sanctarum mentium specie,

cie,in terras pellectus B.Brigittam edocuit,fore,ut si eam cerneret,præ animi gaudio, qua si vas putre, solueretur, concideretque exanimis. Et quid hæc vnius animæ de gratiâ nata venustas, cum Dei immensa pulchritudine collata? Sed quid nos vespertiliones, de hac pulchritudine caligantibus, & tantum non cæcis oculis videre poterimus? Profectò Dei pulchritudo, Deus ipse est. O quanta debet est illa pulchritudo,pulchrorum omnium origo,cuius solus aspectus, salus est omnium aspicientium, cuius vnus intuitus,tollit omnem miseriam, confert immensam lætitiam, adfert omnem felicitatem, & supremam beatitudinem. Illa pulchritudo omnium oculis obiecta, est tota pro quâ laboramus, merces, pro qua pugnamus,corona:pro quo currimus, brauium; ad quem tendimus, portus: quod expectamus, præmium, quam speramus felicitas; quam optamus, salus,ad quem denique conditi sumus,finis. Novemb.

III. Quapropter non ita mirandum, si in hoc tanti decoris aspectu, perpetuo summa hominum,& Angelorum consistat beatitudo,cùm nihil excellentius oculis obiici possit,nihil est quod eorum affectum potentiùs rapere posset,& inflammare;nihil desiderium eorum adimplere; nihil animæ capacitatem potens explere. Nulla est in rebus creatis pulchritudo, quæ,si assiduè inspiciatur, non sensim nobis vilescat:sed Dei pulchritudo per omnem æternitatem,semper noua, semper admirabilis, semper amabilis iudicabitur.O quale spectaculum,quod Angeli innumeri,iam per tot annorum myriades viderunt & nondum potuerunt saturari, itemque visuri sunt in perpetuum sine vllo fastidio.Semper in eo erit noua æternitas, & æterna nouitas.O quale spectaculum, cuius visione priuari, æterna est damnatio. Inter damnatorum tam Dæmonum, quam hominum pœnas, hæc censetur maxima:bono enim spoliat infinito.Quid si sanctis dum aspiciunt cœlum, sordeat terra,qualis erit vtriusque contemptus,dum videbunt illum,qui creauit cœlum,& terram?Experta,loquatur dilecta Deo S.Teresia,cui cum sui aspectum Dominus sæpè indulserit,quid inde retulerit vtilitatis,ita enarrat: *Postquam inexplicabilem Domini pulchritudinem aspexi,neminem omnino vidi,qui cum illo collatus, pulcher videretur, vel memoriam meam occupatam teneret; ita enim quoad hoc iam reddita sum libera, vt cùm vel solum mentis,& considerationis oculos in imaginem,quam animo insculptam gero, coniicio,ex eo tempore,cuncta quæ video,mihi abominabilia,& fastidio esse videntur.* Et alibi:*Omnium rerum inferiorum contemptus,ac fastidium,quod in me permansit, permagnum erat,adeò vt illæ non nisi sordes, & peripsema esse viderentur,& ad oculum videam,quam abiectè,& viliter nos occupemus,cùm illis inhæreamus*,verè:

Hic quidquid pulchrum,non est nisi putre sepulchrum.

vit.c.37. c.38.

20. DIES NOVEMB.

Novemb. **Væ animæ audaci, quæ sperauit, si à te recessisset, se aliquid melius habituram. S. *Augustinus* Tract. in Ioan.**

Deus amandus solus.

I. QVasi verò, detur aliquid melius optimo? detur aliquid maius maximo? detur aliquid altius altissimo? detur aliquid plùs quam omnia? detur aliquid amplius quam totum? Id opinari, meliùs aliquid dari summo Bono, nnn tantum est summa audacia, sed extrema malitia. Quapropter, tibi ipse es plùs quàm iniquus, si ames bona, quæ te non possunt amare, aut homines, qui possunt te non amare; & licet ament, tu potes dubitare, an te ament & possent illi desinere te amare. An non tibi melius, quia vtilius, & delectabilius amare illum, qui solus est amabilis? vel si sint amabilia, ab illo habent quod sint digna amari? Deum inquam qui quantum potuit amat, & infinitè amat, & qui nequit non te amare si ames, & qui te amando reddit cœlo, & terræ, hominibus, & Angelis amabilem, quia amãdo te, reddit te bonum, hoc est filium sibi adoptiuum, dilectum amicum, gloriæ suæ hęredem, regni sui iure participem. Amasti aliquos qui te non amarunt? Iam saltem, licet sero, tandem seriò ama illum, qui antequam eum nouisses, te amauit, qui amatus nunquam non amauit, & amando cogit se amari, quem amare, summa est virtus, à quo amari, est salus: quem amare maxima est dignitas, à quo amari, vltima est felicitas: quem amare, suprema est potentia, à quo amari prima est excellentia. Ama eum, quem non amare, summa est infelicitas, à quo non amari par est calamitas: quem non amare, certa est perditio, à quo non amari, non incerta damnatio: quem non amare execrabilis est malitia, à quo non amari omnis est miseria. Ama fortiter, constanter, ardenter, nihil sit in cœlo vel in terra quod illum nexum charitatis inter te, & Deum, qui est charitas, soluat ut audeas masculâ voce petere quod Paulus: *Quis nos separabit à charitate Christi? an angustia? an fames? &c.*

Rom. 8.

lib. de moriб. Eccles. c. 11.

II. Quæ hunc in modum explicat Augustinus: *Nemo nos inde separat minando mortem: id ipsum enim quod diligimus Deum, mori non potest, nisi dum non diligit Deum; cùm mors ipsa sit non diligere Deum: nemo inde separat, pollicendo vi-*

Digitized by Google

do vitam: nemo enim ab ipſo fonte ſeparat, pollicendo aquam; non ſeparat angelus: Novemb.
non enim eſt angelus, cùm inhæremus Deo, noſtra mente potentior. Non ſeparat virtus: nam ſi virtus hic illa nominata eſt, quæ aliquam poteſtatem in hoc mundo habet, toto mundo eſt omnino ſublimior, mens Deo inhærens: ſin virtus illa dicta eſt, quæ ipſius animi noſtri rectiſſima affectio eſt: ſi in alio eſt, fauet ut coniungamur Deo: ſi in nobis eſt, ipſa coniungit: non ſeparant inſtantes moleſtiæ: hoc enim leuiores eas ſentimus, quo et vnde nos ſeparare moliuntur, arctius inhæremus. Non ſeparat promiſſio futurorum: nam & quidquid boni futurum eſt, certius promittit Deus, & nihil eſt ipſo Deo melius, qui iam profectò bene ſibi inhærentibus præſens eſt. Non ſeparat altitudo, neque profundum: etenim ſi hæc verba ſcientia fortè altitudinem vel profunditatem ſignificant, non ero curioſus, ne ſeiungar à Deo, nec cuiuſquam doctrina me ab eo ſeparat, ut quaſi depellat errorem, à quo nemo prorſus niſi ſeparatus erraret. Si verò altitudine, & profundo ſuperna, & inferna huius mundi ſignificantur, quis mihi cœlum pollicetur, ut à cœli fabricatore ſeiungar? aut quis terreat infernus, ut Deum deſeram, quem ſi nunquam deſeruiſſem, inferna neſcirem? poſtremò, quis me locus, ab eius charitate diuelleret? qui non vbique totus eſſet, ſi vllo contineretur loco.
Hactenus Diuinè diuinus Auguſtinus.

III. Toties porrò ſeparatis à charitate, quoties ſeparas tuum in alios quam in Deum amorem. Vagetur quocumque tuus extra Deum amor, nihil tibi occurret, niſi amaror. Et quod eſt amariſſimum, poſtquam tuũ in varios, & varia amorem ſeparaueris, tandem vbi corpus ab anima ſeparabitur, hæc erunt vltima, quæ tibi palabũdus ille tuus amor ſuggeret verba: *Scito, & vide quia malum, & amarum eſt, reliquiſſe te Dominum Deum* Ier. 2. 19.
tuum. Ne igitur ames ea quæ aliquando pereunt, quia quotidie millies peribis; ama bonum æternum, ut in æternum beatè viuas. Aufer amorem rerum corruptibilium, & non corrumperis: contemptibilium, & non contemneris: miſerabilium, & auferes tibi omnem miſeriam. Cur amas, & quid amando intendis? nunquid ut tibi bene ſit? Qui igitur amando quæris bene eſſe, cur amas ea quæ hoc ipſo quod amas, miſer eris? Ama illum, qui etiam inter has miſerias vitæ in qua repleris multis miſeriis, tollat miſerias, & reddat te felicem. Quid amas bona, quæ, ſi frueris, te faciunt malum; ſi optas, miſerum; ſi amittas mœſtum? ut quid amas homines, qui ſi te ament, faciant mollem, & eneruem; ſi non amant, iracundum? Ama Deũ, quem ſi optas, te faciet bonum: quo ſi fruaris, beatũ. Ne ames formas, quæ te deforment: ſed ama eum, quẽ amando te faciet formoſum. Quàm violentum eſt amanti, ſeparari rebus amatis! ut merito ab illis ſeparandus, & illis à te iam ſeparatis, poſſis cum ſingultu vocis, & planctu cordis, clamãti Poëtæ acclamare: *Heu dolor eſt gratis abſcedere rebus amatis.*

Digitized by Google

21. DIES NOVEMB.

Maria quidquid egit, disciplina est. *S. Ambrosius serm. 2. de virg.*

Mariæ præsentatio.

I. QVantum quis est auidus ut sciat, tantum sit cupidus ut discat: non enim acquiritur doctrina sine disciplina. Magistra nobis est vna, sed communis omnium, sub cuius disciplina, hauries præcepta omnia virtutum omnium. Adhuc vernabit in flore infantiæ, flos virginum, in qua tamen, præter ætatem nihil erat puerile: necdum enim nata, iã erat cœlo adulta, quia cœlestibus virtutibus matura. Itaque iam tum in viridi ætate, cana meditabatur consilia. Quæ ut exequeretur, à Ioachimo, & Anna (prô quale par hominum!) deducitur ad templum, ipsa animatum Spiritus sancti templum: conscendit trimula annis, grauida meritis, quindecim gradus, quæ jam virtutum omnium gradus prætergressa, stabat in summo gradu consummatæ perfectionis. Ingressa augustum delubrum, à Salomone tot gregum, & armentorum cruore lustratum, sui sacrificio illud, plus quàm Salomon illustrauit. Ubi cùm se voto virginitatis Deo obtulit, signum eiusdem virginitatis futuris extulit, & contra virginitatis hostes bellicum cecinit. Si, teste hodiernæ diei tesserâ, quidquid illa egit, agendi est disciplina, omnis eius actio, nostra est instructio. Vt te totum amore tuo toto te Deo consecres, non docuit præcepto, sed exemplo; sis tu ipse in cordis tui sacrario sacerdos tui, cadat victima amori Divino, amor humanus: nihil Deo offers, licet omnia tua, nisi in te.

II. Anime mi, satis aliquando per creatas bonitates es vagatus; satis iisdem es oblectatus; plus quàm satis es contaminatus. Satis amasti eam pulchritudinem, quæ in te deleuit omnia lineamenta pulchritudinis; satis amasti opes, quæ nullam tibi vnquam nec contulerunt, nec conferent opem; satis aucupatus es honoris, vnde inhonorus effectus es: satis anime mi amasti, quæ Deus odit; satis desiderasti, quod sancti fugerunt: satis adhæsisti illis, quæ te aliquando nolentem deserent: sape tandem meliora, ama cautiùs, desidera prudentiùs, ambula rectiùs, viue puriùs. Et si extra creatorem vis aliquid amare, è creatis illud ama, cuius amore ita captus est creator, ut è creatore factus sit creatura, illudque elegerit assumptæ humanitatis sacrarium. Vis dicam quid ames? ama cum Deo, & iuxta Deum Ma-

Digitized by Google

Mariam, & ut amandi non desint, quibus mouearis, argumenta, ecce, ipse Deus amandi scientissimus, amat illam, & infra se solum, super cætera omnia amat eam. Non potest errare amor, quem præit Sapientia, & ducit Veritas. Amant illam nobilissimi illi, & primi in cœlis amoris discipuli, imò filij, & hæredes, Angeli, ut Reginam suam: amant illam omnes in cœlo sancti, omnes in terra iusti, tanto amandi peritiores, quanto amori increato viciniores, & cariores; & ut matrem Saluatoris sui amant. Amant illam omnes in piacularibus flammis purgantes animæ, & tanto amant feruentiùs, quanto eius solatium desiderant cupidiùs, consortiumque expectant diutiùs. Omnes supra terram, in terra, infra terram, vires amoris omnes conuertunt in Mariam. Novemb.

III. Mariam inter omnes, & tu vnus mi anime ama, amore vtique dignissimam, & quamcunque in partem flexeris animum, amabilem. Amas familiæ splendorem, maiorem sanctitudinem, muneris dignitatem? quid illustrius? quid sanctius? quid dignius Mariâ, in quam vnum tot Regum inclytus sanguis influxit? Amas corporis dignitatem, morum suauitatem, vultus Maiestatem, sermonis delitias? Eâ elegantior, suauior, augustior est Maria. *Nil toruum in oculis, nil in verbis procax, nil in actu inuerecundum.* Amas animæ sinceritatem, cordis innocentiam, vitæ candorem? præstat iis omnibus, omnes Adæ filios Maria: utpotè quæ quoties *vestigium pedis tollebat*, toties *gradum virtutis attollebat*. Amas Diuinæ gratiæ charismata, virtutes gratiæ comites, dona istis superaddita? At nemo illis locupletior Mariâ. *Quanta* enim *in vna Virgine species virtutum emicant, secretum verecundiæ, vexillum fidei, Deuotionis obsequium.* Ama Mariam mi anime, ita de te meritam, ut vni illi post Deum debeas, quidquid boni es meritus; atque adeò nisi amorem repẽdas, nihil tuâ dignum obligatione rependas. Quod si enim amas & iure amas illos, qui te in vitam hanc mortalem, morti priùs, quam vitæ genuerunt; dic age, Maria tibi amorem, & te amori, ac vitæ generauit. Quòd si amas, & merito suo amas qui sibi amorem tuum beneficiis suis obligarunt; dic age, maioribus, ac præstantioribus te, totumque sibi mundum obligauit Maria. Quòd si amas qui te honoris, fortunarum, vitæ periculis, qui te hostium insidiis, obtrectatorum iniuriis vendicarunt; dic age, diaboli insidiis, mundi illecebris, carnis stimulis te liberauit Maria. Ita ama mi anime, nec errabis, amando, nec peribis errando, & ut amare possis, dic. ô Mater amabilis, patere te amari. O Mater amoris, genera in me amorem. *Ambrosius supra.* *Idem.* *Idem.*

Vis mentem esse pia? cole tota mente Mariam.

22. DIES

22. DIES NOVEMB.

Novemb. Quid prodest, quia hymnum cantat tua lingua, si sacrilegium exhalat tua vita? *S. Augustinus in Psal.* 102.

Musica non tantum est vocum sed morum.

I. SVbsequitur licet non passibus æquis, Dominam ancilla, heram pedissequa, Reginam virginum, cultrix virginitatis, Mariam, Cæcilia, quâ tantum gloriatur Italia, quantum Agathâ Sicilia. Hæc quia gnara musicæ, præses est musicorum. Sed nullus est peritus amandi, qui est imperitus cantandi. Amare enim, est cantare; quid enim est amor, nisi harmonicus quidam concentus siue consensus inter hominem superiorem, & inferiorem, dum corpus subest animę, & illa præest? Canat ergo Ratio superiorē, pars illa ignobilior, siue sensualis, bassum. Deinde ipsa ratio debet sustinere partē superioris, magnâ in Deum fiducia, & simul bassi sui diffidentiâ. Iam mitte te deorsum & dic cum Abrahamo: *Loquar Domino cùm sim puluis, & cinis?* Ecce bassum. Iam ascende superiùs, & dic cum Paulo: *Nostra conuersatio in cælis est.* Ecce superiorem. Iterum crede illud ut veritatis effatum, quia est Christi pronuntiatum, *Sine me nihil potestis facere*; sed iterum attolle animos, & dic cùm Paulo: *omnia possum per eum, qui me confortat.* Hic habes duo extrema, Nihil & Omnia; nihil est bassus, omnia superior: quid minùs quam nihil, quid plùs quàm omnia? itaque ex discordantibus hominis superioris, & inferioris motibus, quasi fidibus, concordia, est iucundissima cælitibus Musica; sic cantare, est piè amare.

Gen. 18.27. Phil. 3.20. 9.a.15. Phil. 4.13. Ioa. 15. Phil. 4.13.

II. Cauendum est in hoc concentu, ne discordet lingua à vita, ut concordent dicta, & acta; ne dum spiritus Deo modulatur, caro sibi blandiatur; ne illo canente hymnum, hæc exhalet sacrilegium. Musica nos monet, ut sicuti è varietate vocum ac fidium grata, & consentiens oritur symphonia, ita omnes animi motus, & actiones in dulcem harmoniam Diuinæ legis, eo conueniant. Est enim illa vis cantus religiosi, ut per aures sese placidè in animum insinuans, turbulentos, si qui sint, motus, summâ æquabilitate componat, & instar Poetici Neptuni, tumida æquora placet. Cum ventus ambitionis, ac furentis iracundiæ, sæuos attollit fluctus; cùm mœror subsidit, & furit æstus arenis; cùm libido inquietat, cùm aliæ perturbationes violentiùs incitantur, ad dulcem chori sonitum venti ponunt, neque

23. DIES NOVEMB.

Novemb. **Deus est omnia quæ sunt, & nihil eorum quæ sunt.**
S. Dionysius de Div. Nom c. 1.

Deus est omnia. I. QVis hominis non stupeat cæcitatem, vel potiùs non horreat iniquitatem, qui cùm in vno habeat omnia, quia Deus est omnia, quærat varia, inter quæ nihil reperit, quo fessus quiescat, & satiatus acquiescat. Stultum est, amare bona, quibus hoc ipso quod amas, dignus es carere, imò cares, & non amare bonum, quo, hoc ipso quod amas, frueris. Bona à te amata extra summum bonum, non sunt tua, sed tu illorum; quapropter cares illis; te illa possident, non tu illa Deus à te, toto corde amatus, est totus tuus, & tu vicissim totus illius; vnde amando eum non potes illo carere, & solùm cares, cùm non amas: cætera cùm non amas, in Deo habes. Cur amas bonum, quod ipsum indiget bono, & non quod affluit bonis? Quando amatur aliquod bonum, quod indiget bono aliquo, augetur miseria, non minuitur inopia, omnia bona mundi egena sunt: nullum per se sufficit, sed requirit aliud. Ama bonum quod alio bono non indiget. Omnia sunt bonitate bona, quare omnia bonitate indigent, ut sint bona. Bonitas per se sufficit, & nullius eget. Hanc si ames, bonus, & beatus eris. Solum ama eum, qui solus est omnia. Ipse enim est esse omnium, sine quo omnia nihil: & tamen nihil est eo præsentius, & nihilominus nihil incomprehensibilius. Quid namque cuique rei præsentius, quàm esse suum? quid cuique tamen incomprehensibilius, quàm esse omnium? Esse omnium meritò dixeris Deum, non quia illa sunt, quod ille est, sed quia ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.

l. 5 de consid. c. 5. II. Suaviter, qui omnia suauissimè D. Bernardus de Deo vno in se, & diuerso in creaturis: *Hi qui soli Deo vacant, considerantes quid sit Deus in mundo, quid in hominibus, quid in Angelis quid in se ipso, quid in reprobis contemplantur, quia Deus est mundi rector, & gubernator, hominum liberator, & adiutor. Angelorum sapor, & decor in se ipso, iustitiæ, & finis, reproborum terror, & horror; in creaturis mirabilis, in hominibus amabilis, in angelis desiderabilis, in se ipso incomprehensibilis, in reprobis intolerabilis.* Pergit fluere melle & lacte mellifluus, & lacteus Antistes. *Deus amat ut charitas, nouit ut veritas, sedet ut æquitas, dominatur ut Maiestas, regit ut principium, tuetur ut solus, operatur ut virtus, reuelat ut lux, assistit vt pietas.* Nóune in vno hic habes multa, imo plurima, denique omnia?

Page 1 of 1

Novemb.

24. DIES NOVEMB.

Quid erit hominis optimum, nisi cui inhærere est beatissimum? id autem est solus Deus.

S. Augustinus de morib. Eccles. lib. 1. cap. 14.

Deo inhærendum.

I. NE æternum pereas, vide cui adhæreas. Adhærere alicui non est libertas, est necessitas. Nullus enim quamdiu spirat, non aliquid amat. Aliquid amare est alicui adhærere. Cui potiùs adhærebis, quàm quod adhærenti est optimum, eumque reddit beatissimum? Quis ille, nisi de quo Propheta Regius: *Mihi adhærere Deo bonum est?* Scis quam bonum? respondeat D. Augustinus: *Cùm inhæsero tibi ex omni me, omnino nusquam erit mihi dolor & labor, & viua erit vita mea, tota plena te.* Qui habet Deum & illi adhæret, quid amplius opus habet? aut quomodo non pudebit habere, aut cupere alia? In sumptuoso apparatu, & aurea supellectili, & abaco vas luteum, immundum, & informe nemo non potiùs frangeret in mille frusta quàm illud habere, ne offendat videntes illud inter res tanti pretij. O infinita Maiestas, & pulchritudo pretiosissima! tu es in medio cordis mei, quomodo ad latus meum audeo terrenum aliquid congregare, & tecum vnà possidere? Omnia corda hominum, qui sunt, fuerunt, erunt, & omnes voluntates Seraphinorum, & reliquorum spirituum, non sufficiunt ut occupentur in Deo; cur ego pusillus homuncio, vnicum cor meum occupabo in aliis rebus & non expediam, ut tradatur Deo meo? si habeam aliud præter Deum, nec aliud planè possideo, nec Deum, si nihil habeam nisi Deũ, non tantum possideo Deum, sed fruor Deo, & omnibus.

Ps. 2. 72. 28. l. 10. conf. c. 28.

II. Si adhæreas mundo, eris immundus: si gloriæ, euades inglorius; si famæ, redderis infamis? si honori, eris sine honore; si diuitiis, scatebis vitiis; si homini, niteris arundini. Sequere consilium D. Augustini. *Vt sit homo aliquid, conuertat se ad illum à quo creatus est: recedendo enim frigescit; accedendo feruescit; recedendo tenebrescit; accedendo clarescit: à quo enim habet ut sit, apud illum habet vt bene sit.* Itaque adhære bono, ut tibi bene; optimo, ut sit optimè. Ama illum, quem ut amare non obliuiscaris, toto orbe sunt posita amoris monumenta: quoquò intendis oculos, amare Deum tuum moneris: quo-

in Psal. 70.

quo

part of the Oration of Tullie. Of the which, there is no doubt, but Tullie Roscius. himself, and Roscius, and many other, had many times spoken before. But Tullie, as he was a young man, and desirous of glory, he thought it good to speak it openly, and in the presence of the Iudges, and of the people of Rome. Wherefore he began his Oration in this manner. Although (my Lords) I am a young man, and have not yet attained to the age of a perfect man, yet I am not ignorant, that the cause which I have undertaken to defend, is not only of great importance, but also of great difficulty. Wherefore I am not ignorant, that I have not only to fear the danger of the cause, but also the judgement of the people of Rome, and of you my Lords the Iudges

25. DIES NOVEMB.

Noyemb. **Sicut voluntas propria Dei, fons est totius boni, sic propria voluntas hominis, totius exordium est mali. S. *Anselmus libr. de simil. cap.* 8.**

Voluntas Dei, fons boni; hominis, omnis mali.

I. EN hîc gemina geminarum rerum quas inter immensum quoddam interiacet interuallum, exordia; alterum totius boni, voluntas propria Dei, alterum, totius mali, voluntas propria hominis. Quantum est discrimen inter bonum, & malum, tantum est inter has binas voluntates. Vt Dei nos voluntati mancipemus, ac nostræ renuntiemus, causa est quia omni iure sumus Dei, nullo nostri. Ipse nos emit, Ergo & nostram voluntatem: hæc igitur non est amplius nostra. Emit nos pretio infinito; igitur ius in nos sibi vendicat infinitum, eaque propter infinitè nos illi subesse necessum est, hoc tanto iure sublata est omnis potestas voluntati quid ex se faciendi; hinc nullo iure, vel minima interioris hominis initio nostræ permissa est voluntati. Quapropter, non potes vel semel, momento vel vnico, mouere vel linguam ut loquaris, vel articulos ut scribas, vel oculos ut videas, vel pedes ut incedas, vel manus ut labores, ad normam voluntatis tuæ, quin sis insignitè in Deum iniurius: quia contra omne fas, quod est omnium maximum nefas, violas ius, quod, Deus infinitum habet in tuam voluntatē.

II. Deinde, grauissima, quæ nos vrget ratio, & iustissima quæ nos deuincit obligatio, ut Dei obsequamur voluntati, hæc est, quia ipse est, qui est vnicum isthoc, Deum esse, qui est, non solum nos excitat, sed obligat; quid dico? imò infert necessitatem, quidquid illi placet faciendi; quia hæc nostra est indoles voluntatis, in eoque est à Deo condita, ut naturæ impetu feratur in bonum, & illud amet: Iam verò, ex eo consequitur, vbicunque bonum summum, & bona omnia coniuncta reperiantur, si qualia in se sunt, talia cognoscantur, necessariò amari debent. Quid deinde? cùm amare nil sit aliud, quàm bene velle, bonumque aliquod desiderare ei quē amamus: bonum autem alteri seriò velle, dici non potest, nisi qui (cum potest) re ipsa illud præstat: alioquin neque veram, neque seriam esse suam beneuolentiam prodit, atque vti melius nihil amico aut velle potes, aut facere, quàm quod illi placeo: ita, si Deum, ut par est, prosequaris amore,

necesse

necesse est in omnibus sequaris eius voluntatem. Quidquid enim Deus iuris habet, ut ametur, illud idem habet, ut eius voluntati obtemperetur. Quæ cùm ita sint: ecquâ tandem fronte ei obluctari, qua mente ei refragari audemus? vbi ratio nostra sepulta iacet? vbi lex? vbi fas? vbi pudor? si tot obligationibus repugnare, tot titulos despicere, tot argumenta aspernari, tot iura violare non vereamur? perque vltimam impudentiam, & impudentissimam (quod non licet) licentiam, contra leges, & fas omne, vel ob famam, inanis gloriolæ, vel ob vmbram spurcæ voluptatulæ, malimus intolerabili nostro malo, obsecundare, voluntati nostræ, quam incomparabili nostro bono, obtemperare Diuinæ. Novemb.

III. His accedit, qui diuinæ voluntatis implendæ est studiosè cupidus, ab omni miseria est prorsus eximius. Quid quæso turbat nos, aut cruciat, quàm quòd aut aliter eueniat, quàm euenisse vellemus, aut quòd error aliquis committatur, quem nollemus commissse. Qui suam voluntatem exuit, ab hoc malo est penitus immunis, atque adeò inter omnia dãna indemnis, & cùm nihil agat, quod actum, sit puniendum semper est impunis: nihil enim vel facit, vel capit quàm quod fieri vult Deus: & cùm nihil illi minus sit proprium quàm voluntas propria, nihil magis quàm Diuina, quidquid agit aut cupit, est diuinum; at quam longè dispar, est ratio illius, qui propriæ voluntati pertinaciter conniuet, eique in omnibus contumaciter arridet? Nam cùm desideria, conatusque suos, vndique videat, vel impeti vel euerti, vel impediri, multis illum necesse est doloribus impediri. Tum præterea, cùm obseruet noxios quos errauit errores, insana, quæ excogitauit consilia, pernicioſam, cui obsecundauit imprudentiam, iam eum hinc confundit pudor, inde inuadit dolor & futuri mali inuoluit timor. Simus vtinam Diuinæ voluntatis implendæ tam studiosi, quàm B. Magdalena de Pazzis, quæ, cùm de ea loquebatur, à sensibus abducebatur, fuitque cum cœli delitiis ebria, in quadam ecstati sic loqueretur: *Probè noſti mi sponse, à primis annis desideraſſe me placere tibi. Quòd si nunc intelligerem velle te ut aternum apud inferos affligerer, hoc ipso momento, in istas me flammas conicerem*: Tunc ad sorores conuersa; *non percipitis quantam suauitatem habeat sola hæc vocula, voluntas Diuina?* Denique.

Deus, quærit adorari, non sibi dona dari.

Digitized by Google

26. DIES NOVEMB.

Voluntas est, quæ aut remuneratur pro bono, aut condemnatur, pro malo. *D. Chrysostomus sup. Matth.*

Felicitas hominis, Deo se conformantis.

I. FOns ex quo manat omne in hominem bonum, vel malum, est voluntas. Hæc si conuertat se semper, ut ad solem heliotropium, ad Dei voluntatem, cùm Deus sit omne bonum, in eam confluet cornucopia omnium bonorum. Quid magis posset esse è re nostra, quàm artem reperisse semper faciendi, quod vtilissimum est facienti? hanc artem reperit eamque callet, qui semper Dei voluntati obtemperat. Quid enim potest quis velle vtilius sibi, quàm quod vult Deus? nam quod boni quid alteri velimus, id nascitur ex illius amore: estque hoc desiderium tanto intensius, quanto amor vehementior. Sicut igitur Deus sine vlla comparatione sincerius nos amat, quàm amemus nos ipsi: ita planè, boni plus nobis vult & desiderat, quàm ipsimet velimus, aut desideremus. Inde verò errare non potest Deus in cognitione eius, quod nobis conducit: quia Sapientia est, infinita: neque prouidentia ipsius, vti nostra fallaciis, ac lapsionibus multis est obnoxia, præterquam quod, quid nobis expediat, ipsimet ignoremus. Quare, si falli nolumus, illius necesse est sequamur voluntatem, commodorum nostrorum sine vllo errandi periculo studiosissimam: idque infinitè magis quàm optare possemus: in tantum ut nihil nobis sit vtilius, quàm id quod vult Deus: ideoque nisi nos ipsi oderimus, aliud quoque nihil velle debeamus. Ah! quot Christianos confundit Epictetus, cuius nos castigantis ista est ratio. *Mancipium nunquid aliud maius quàm id quod magis conducit? quid autem conducit magis quàm quod Deo visum est?*

l. 2. dissert. c. 7.

II. Quia verò duas Voluntas Diuina partes complectitur; alteram, qua iubet nos aliquid facere, alteram, qua iubet nos pati, ut dum nos æruminis affligit, molestaque perpessu infligit, ideò considerare nos decet, Deum non infinitè modò bonum, ideoque bona nobis velle omnia, non infinitè modò sapientem, ideoque nec in cognoscendo falli posse; verùm & infinitè potentem esse, ita ut non sit adscribendum eius imbecillitati, cùm eiusmodi nos miseriis non eximit: quia vtrumque illi æquè est promptum, & expeditum; verùm quia probè norit, nobis conducere, eaque nos ad cœlum,

ũ, quod optamus, manuducere pro eo ac vtilitatem nostram amat, singu- Novemb.
lari dispositione omnipotentiæ suæ, in iis nos attinere, easdemque nobis immittere, ut quæstum inde vberrimum colligamus. Quid, quòd talis qui Diuinæ voluntati est deuotus, fruatur quasi cœlo extra cœlum? quid est enim beatitudo, nisi bonum quoddam indefectibile, & gaudium æternum? An non tali fruitur gaudio, qui Dei se conformat voluntati? cum gaudium & bonum quod possidet, nunquam possit deficere; quandoquidem causa illius boni non deficiat. Sicut igitur Christus D. N. beatitudinem animæ inter acerbissimos etiam cruciatus nunquam amisit, sic qui cum Diuina voluntate consentit, quantiscumque molestiis, doloribusque inuoluatur, pace illâ læti animi nunquam excidit, quia magis desiderat, amatque Dei voluntatem, quàm propriam.

III. Hinc Sancto Abbati Dioclæ, cælestium deliciarum, quibus eius animus redundabat, vis ingens risum ferè perpetuum commouebat. Rogatus igitur cur frons illi semper esset ad hilaritatem exporrecta, ac perpetuò rideret, respondit: *Quia Christum à me nemo potest tollere.* Ita cui vna est Dei, & propria voluntas, perpetuis incedat lætitiis, necesse est, vereque dicat: *Deum à me nemo tollere potest.* Lętitia ista tam est constans, & continua, ut hic cæpta in omnem æternitatem sit duratura: nec enim morte terminatur, aut interrumpitur, sed progreditur ex hac vita in alteram, ut ibi perennet æternum. Denique si beatitudo est complementum omnium desideriorum, quãta est felicitas illius, qui nihil vult aliud, quàm quod Deus. Videt hîc talis expletam omnium desideriorum suorum expectationem: quidquid deinde desiderat, quidquid desiderare potest, illud vniuersum pro voto ipsius, modò quodam admirabili semper impletur, quoniam suam voluntatem penitus abnegando, vnamque & eandem voluntatem cum Deo habendo, hac ratione tantum proficit, ut semper faciat voluntatem suam, quæ sine dubio causa est lætitiæ prorsus singularis: quod enim posset esse maius gaudium, quàm impleri semper suum desiderium: præsertim cùm sciat suum desiderium, summè placere illi, qui est totus desiderabilis? O quàm dispar est hoc gaudium, cum illo altero gaudio, quod est plenum soliciti timoris, trepidæ anxietatis? quia sequitur desideria cordis sui. Tale gaudium est æternæ tristitię præludium. Ad hoc alludit Poëta dicens:

Hoc est consuetum, comitantur tristia lætum.

27. DIES NOVEMB.

Novemb. **Frustrà extra Deum quæritur, quod in illo Solo inuenitur. *S. Augustinus libr. Confession. capit.* 12.**

Deus est admirabilis.

I. VT vnum quæramus bonum, in quo sunt omnia bona, deberet esse tota nostra occupatio, hoc officium, hoc gaudium, hic labor noster, ad hoc inuigilare decet intellectum nostrum, hoc nostræ pabulum sit voluntatis, in hoc exultet cor, & caro nostra; huc aduocemus vires animę nostræ; in hoc impendatur, & superimpendatur, quidquid sumus, & possumus; desideria nostra, affectus nostri, robur nostrum, omnisque substantia & vita nostra. Ecquâ enim in re vtilius collocemus ætatem, & consumamus omne esse nostrum, quàm ibi, vbi totum, & omne esse reperitur? O quantæ, quamque eximiæ felicitatis est, tam sublimem Essentiam posse admirari? cor nostrum meritò puritissima semper voluptate deberet diffluere, vel solâ recordatione huius vnius felicitatis, quod nobis sit liberum Deo, dum lubet, placere: hæc deberet esse nostra non modò summa, sed sola gloria, quòd Dei simus, & cur non perpetuò attoniti ambulemus, & quasi impotes nostri præ exuberantis gaudij copia, toti lætitiis incedamus, ipsius magnitudinem, & bonitatem considerantes atque excellentissimum illud esse, quod nullam habuit originem, amantes?

II. Esse illud infinities admirabile, quod cùm vnum sit, est trinum, & in summa sua vnitate complectitur trinitatem, miraculum miraculorum, quod per omnem æternitatem perpetuam, maximamque mouebit admirationem. Esse tam infinitè bonum, ut totum id quod est, Pater communicarit Filio, & Filius eiusdem cum Patre bonitatis, dederit peccatoribus. Esse tam bonum, ut nec punctum vllum temporis cessare potuerit à communicatione sui ipsius, aliter admirabili bonitati suæ neutiquam facturum satis. Esse omnipotens, quod res omnes ex amore, & ex nihilo condidit. Esse tam Sapiens, ut in bene nobis faciendo errare non possit. Esse tam immensum, ut abesse à nobis nequeat, quodque nos, quoquò eamus videt, quæque petimus, exaudit. Esse tam immutabile, cuius

cuius pulchritudo non potest exolescere, neque beneuolentia deficere. Esse simplicissimum, in quo sine inquietudine vlla, & impedimento, bonum omne possidemus. Esse tam iustum, & misericors, quod ut misericordiam exhiberet, pepercit hominibus, *& tamen proprio Filio suo non pepercit.* Esse æternum, quod nobis intermori non potest. Esse fidelissimum, cui etsi nos fidem datam fregerimus, promissiones tamen nobis factas accuratè præstat. Esse tam amans nostri, ut miserias, infirmitatesque nostras tolerare sustinuerit. Esse quod omni ei quod est, dat suum esse, quod cœlos sustentat, per quod elementa permanent, plantæ viuunt, animalia sentiunt, homines ratione vtuntur, Angeli intelligunt. Novemb. Rom. 8. 32.

III. Quid pluribus? Esse tam bonum ut non obstante illius magnitudine immenta, auctoritate infinita, Majestate suprema, tanta tamen ipsius benignitas sit, ut hominis causâ, per se ipsam fructus maturet in arboribus, panem præparet in spicis, potum moliatur in fontibus, vinum coquat in vitibus, vestem componat in agris, byssum suppeditet in bombycibus, ceram fingat in apibus, sapori ancilletur in auibus, piscibus, quadrupedibus; seque ob creaturas tam humiles, submittat ad officia humillima. Esse tam bonum, quod includit in se omne bonum, à qua oritur, omne bonum, vnde nata est, omnis pulchritudo, vnde promanauit omnis iustitia, vnde pendet omnis potentia, vnde originem ducit omnis Sapientia, vnde principium capit omnis suauitas: & quod est bonum super omne bonum pulchrum super omnia pulchra, iustum super omnia iusta, potens super omnem potentiam, sapiens super omnem veritatem, dulce super omnem saporem. Esse tam bonum, ut mori elegerit, quo viueret vilissima creatura: humiliari, ne vermiculus aliquis se extolleret; homo fieri, propter inimicum sibi & Diuinitati suæ insidiantem hominem, ut se denique dederit in cibum & sustentationem vitæ illius, qui mille mortes merebatur. Hi tot & tanti tituli, me ad amorem tanti boni, non suauiter inducunt, sed fortiter impellunt. Dic ergo cum Poëta

Est super omne Deus, Rex, Dominusq; meus.

28. DIES NOVEMB.

Novemb. Modò tu Deus meus in Cœlo, licet in æternum ego in inferno. *Gerardus inter eius dicta.*

Dei Maiestas, peccati enormitas.

I. PErgamus velificari affectibus erga auctorem omnium effectorum. Gratulor quantum possum rebus omnibus conditis, quòd tam admirandum habeant, à quo processerunt, conditorem. Plaudant Cœli, quia suum comprehendere nequeunt creatorem: ferueat planetæ cursum suum, stellæ maiora accendant luminaria, ut luceant huic luci inaccessibili, quæ formauit eas: exultent elementa, quia qui creauit illa, centrum est, & perfectio vniuersi: mixta omnia, plantæ, animalia, homines, angeli, diem festum agant, quia tam magnum consecuti sunt Regem, tam potentem Principem, tam bonum patrem? lætentur cœli, & terræ de gloria talis Domini, & de magnificentia tanti Monarchæ. O igitur inter miseros miserrimum, qui tanto Domino se submittere refragatur, & in inquisitione commodorum, in distractione negotiorum, in diuersitate rumorum, in inquietudine bellorum voluitur, & reuoluitur perpetuò illius oblitus, qui charitate perpetua eum dilexit: cui nulla est satietas in omni voluptate, voluptas nulla in vlla stabilitate, quies nulla in perpetua ambitione, pax nulla in assidua æmulatione, morsus perpetuus in conscientiæ inquietudine.

II. Vnde deberent homines omnes percelli timore ingenti, contremiscere omnibus membris, trepidare omnibus artubus, expallescere toto vultu, exhorrescere toto animo, si audirent vnum vnicum ex toto humano genere reperiri, vel olim fuisse repertum, qui vel semel letali noxa Deum offendisset. Hæc certè euenirent si homines immensam Dei perciperent Bonitatem, intelligerent Maiestatem. Iam verò cùm peccatum sit malum, malorum omnium maximum, summa miseria, extrema infelicitas, dedecus turpissimum, tamen eodem die, & hora quâ in tantam inciderunt calamitatem, plaudunt manibus, saltant pedibus, modulantur vocibus, & fruuntur cunctis voluptatibus. Itanè verò, tam es cæcus, ut non videas; tam demens, ut non capias tantum malum, quod nocere tibi amplius, quàm aut affligendo Diabolus, aut puniendo Deus possit? Quod, dum pœnis vindicatur æternis, nondum

dum dignis vindicatur? Quod punctulo delectatur vnico, pœnas luit nunquam finiendas. Quæso te, quisquis peccator es, & fidelis; credisnè hoc, & audes? & non times? non doles? non tremis? non sapis? Audi tandem monentem fidem, spem animantem, timorem minitantem, pudorem increpantem, amorem allicientem. Tantinè tibi est tantilla rei pessimæ voluptas, ut eam pœnis compares æternis? tantilli tibi est Dei inimicum esse? cuius inimicitia, est felicitatis iactura, damnationis sententia? quem nec fallere potes quia Sapientia est, nec euadere, quia, immensitas est, nec vincere, quia omnipotentia est. Novemb.

III. Hoc iam tanto malo, ut libereris, nullo opus labore, nulla molestia, sumptu nullo: non est necesse itinera suscipere, maria traiicere, alpes conscendere: excusare ista posses omnia. Agnosce tantummodò, quod nosti verissimum: detestare, quod scis pessimum: prode, quod credis fore secretissimum, vel vni soli, qui antè vitam fundat, quàm illud vel signo vulget; & ecce tantum malum euasisti. Quòd si difficile tibi accidit, pessimè de infelicitate tua statuis: iniquissimè de summo discrimine iudicas. Quousque tandem differre statuis, qui nec de puncto ad pœnitentiam tibi indulgendo certus es? dum hominem inuenias? cuius auribus fidas, cuius censuram non metuas, à qua redargui non horreas? dum non libuerit amplius, toramque peccandi libidinem expleueris? dum peccare amplius mortis vetet necessitas? ah te! periculosa nimis mora est, dubia nimis hora est? ah! malum tempore fit maius, morâ periculosius, curatu difficilius: & aperire medico renuis? vulnus est, & letale quidem, & differs medicinam? pondus est in abyssum vsque deprimens, nec vis deponere? Si peccati enormitatem sic animo comprehenderes, & Dei Majestatem: vti Gerardus ille, cum eo & tu diceres: *Verè grauiora quàm infernus habet tormenta, qui tot considerans in bonum, & infinitum, peccata & scelera, Zelo pro Domino comeditur.* Ac deinde magno erga Dei felicitatem affectu exclamabat: *Modò tu Deus meus in cœlo, licet ego in æternum in inferno.*

Digitized by Google

29. DIES NOVEMB.

Novemb. **Diligenti Deum sufficit illi placere quem diligit.**
S. Leo serm. 7. ae Ieiun. sex mens.

Placere Deo, debet esse omnis noster labor.

I. NOn tibi displiceat hodie expendere quomodò Deo placeas, ut placendo, illum olim possideas. Primum Deo placet, qui fugit quæ ei displicent, & facit quæ ei placent. Hinc fugit talis omnia mala, & satagit facere omnia bona. Vnde Augustinus: *Quod ei placet, dabit nobis: si quod ei displicet in nobis, displiceat & nobis.* Ita ardebat S. Theresia placere Deo, vt rarum illud, & inauditum ab hominum memoria ediderit votum faciendi semper illud, quod nosset magis placere Deo. Ut porrò cognoscas quæ sint quæ Deo magis placeant, accipe huius rei methodum à S. Thoma Aquinate. Hic magis studiosus Theologiæ Mysticæ, quam Scholasticæ, flexis humi poplitibus, hanc orationem, quam & ipse concinnauit, recitabat, videlicet: *Concede omnipotens Deus, quæ tibi placita sunt. Primò, ardenter concupiscere. Secundò, prudenter inuestigare. Tertiò, veraciter agnoscere. Quartò, perfectè adimplere. Primò, nulli placere appetam, vel displicere timeam nisi Tibi. Secundò, vilescant mihi omnia transitoria propter Te, & cara sint mihi omnia tua, & Tu Deus meus plusquam anima. Tertiò, Tædeat me gaudij quod est sine Te, ne cupiam aliquid quod est extra Te. Quartò, delectet me omnis labor, qui est pro Te, & tædiosa sit mihi omnis quies, quæ non est in Te.* Cui familiaris est hæc oratio, omni Tullio erit disertior orator.

De nat. & grat. c. 53.

in Psal. 12.

II. Secundò, Deo placet cui Deus placet. Eadem est mens Augustini dicentis: *Quis est qui placet Deo? cui placuerit Deus. Displicere sibi Deus non potest. Placeat & tibi, ut placeas illi.* Quidquid placet, cùm propter bonitatem placeat, Deus displicere non potest, quia est summum bonum. Sed heu! nimis quàm multis Deus displicet, & ideò nimis quàm pauci Deo placent. Illud modò verum esse conuincamus, quando aliquid nobis placet, statim desideramus illud, & cupimus illud habere, vel intra nos, vel iuxta nos. Placet esca? volumus sumere intra nos: placet pulchrum? optamus ut oculi videant; placet harmonia? volumus in auribus resonet: Placet homo? volumus ut crebrò nobis adsit, & si non possit adesse, sistimus illum nobis præsentem cogitatione. Ita si nobis vnus placeat Deus, optabimus eum intra nos, optabimus eum semper videre, audire, gustare, illi semper adesse, & quantum

Digitized by Google

30. DIES NOVEMB.

Novemb.

Æternitas nec tempus, nec temporis vlla pars est: neque enim in mensuram cadit.
Sanctus Gregorius Nazianzen. Orat. 38.

Temporis pretium ex æternitate cognoscitur.

I. IMmensum est æstimandum, quod non cadit in mensuram. Hinc necesse est nos æternitatis candidatos immensum, & timere, ne infelix, & gaudere, quia speramus fore, ut felix nobis obtingat per Christi merita, æternitas. Ut tempus bene impendas, infelicem æternitatem rectè expendas. Iussit Ezechielem Deus 390. dies in idem latus decumbere. Quid, in carbones igni ardentes inexhausto, excoctorum more & liquentium metallorum immotos decumbere, ac pertinaci caligine, cruciatuque alligatos, ne punctum quidem breuissimi temporis, ex omni æternitate respirare, dictu horrendum, sed magis cogitatu! febrienti nox annus est, quamuis molli, lætoque in lecto, in spe solis, ac medici, non longa in valetudinis expectatione. Quid si lucem, medicum, sanitatem, leuamen desperaret, & in ardores sempiternos, ignemque perpetuò deuorantem muterur igniculus corporis; in crates ignitas, culcitra; in æternitatem crudelissimam nox? ah! si hæc in animum descendant, sæpe, si penitus, si particulatim! quantum illi robur contra insultus vitiorum, quàm nouos quotidie ad virtutē spiritus suggerant! non ut alit præmansus ritè cibus, præcipitatus grauat, & inquinat: sic ista cursim, & obiter, inspecta, vim suam exerere, in obfirmata vitia, & segnem ignauiam non possunt; sed auget potius eorum culpam, quos hæc qualiscunque cognitio, non absterruit à peccando.

II. Imperia, ruinæ, calamitates publicæ, ac priuatæ, martyria, ærumnæ, seu spontaneæ, seu coactæ, & quidquid hic tempus peperit, idem hic secum iugi vertigine abstulit, vel mutauit, fecitque laborem quemlibet, ipsa varietas mitiorem: vnum hoc gratum, ingratum sit, fixum semper, & immobile stat, quod æternitatis in iura transiit, spe videlicet omni destitutum, quæ vna dolores mortalium aut mul-

mulcet, aut eludit. Illa Babylonis fornax in cubito hæret quadragesimo nono ad quinquagesimum expiationis, & veniæ flammas non exerit: aquæ stillam auarus epulo post tot fercula, recèns petit, & accumulet qui volet quantumvis peritus numerandi, annos, dum multitudine millenariorum, ars, ingeniumque obruatur; post tantum temporum tam ineffabile, auarus epulo, æquè ut hactenus, guttâ illâ egebit eiulans, & continuato æternum rugitu frustra illum rogabit. Nunc, nunc, opportuni sunt eiulatus, labor, molestia, pretiosæ nunc horæ, ac momenta, quæ malè perdimus, & eorum vel vnum, damnatus quilibet mille annorum cruciatibus emptum velit. His accedit quòd æternitas nullam admittat comparationem, cùm infinita sit, nec vllis possit temporibus æquari. Tantum enim ab ea mille anni distant, quantum oculi nictus, & horæ atomus, ad decies centena millia sæculorum, accedat propiùs, quam tot sæcula ad æternitatem, ad cuius conspectum omnis annorum longinquitas euanescit, nedum ut possit cum ea conferri. Novemb.

III. Si momentum vnum, quo corpus interit, oblectamentis omnibus hominem spoliat, quid perpetuitas animæ morientis? Æquat mors, lætum aut triste sit, quicquid est in viuis inæquale: nec magnus ille Stylites Simeon de 80. neque Romualdus de annorum 100. asperitate durissima, plùs aliquid sensere morientes, quàm si Sardanapali semper aut Heliogabali vixissent, verum illius tantum æternos fructus, glorioso[que] collegerunt. Opta sis Christiane vtrum mavis, fugit æquè peccantium voluptas, ut pœnitentiam obeuntium labor: manent æquè tormenta nullo fine, quæ illi, peccando, vti & præmia quæ isti, dolendo parauerunt. Age nunc statue, num præstet pœnitentiæ momento leuissimo, æternum gloriæ pondus occupare, an puncto honoris aut delectationis fugientis, æternis incendiis auctorari? Nec te vitæ huius prolixitas terreat: centum tibi ut annos solidos, vel faustos illius arbiter spondeat, vel morbis, & ærumnis exercendos imponat: *Omnis res quæ finem habet, breuis est*, licet in myriades temporum protendatur, quæ sanè à nobis æterna spectantibus, debent non dissimili oculo, ut apex indiuiduus temporis æstimari. Fingamus modò oppignoratum tibi cœlesti promisso annum centesimum, sed hac lege, ut in eius æui sustentationem, nihil sis habiturus, nisi quod horæ vnius spatio ex apertis potentissimi Principis expromptum thesauris, repositurus sis. Fingamus si mauis, vnam diui- *Augustin. in Psal. 45.*

Novemb. nitus tibi horam concedi, postquam, item diuinitus noueris, mundum, & te cum illo periturum: horam illam te quæso quàm, auare, ardenter, quâ rapiditate insumpseris: & torpemus cæci, & inertes, in nostra meliori causa, nihil in tota messum æternitate, nisi cuius breui nunc vitæ hora sementem fecerimus. Euigilemus tandem, & aliquid sobrij consilij ineamus? seriùs, ocyùs, vbi præcessit culpa, sequetur Pœna.

Digitized by Google

1. DIES DECEMB.

Omnes nobis causamur deesse Gratiam : sed iustiùs forsan ipsa sibi queratur Gratiæ deesse nonnullos. *S. Bernard. sermon. de trip. custod.* Decemb.

I. TAcitis paulatim mensibus, annus præcipitat ad occasum; & vita nostra cum illis ad sepulchrum. Tempus adhuc nobis est acceptabile; quia possunt opera nostra esse Deo accepta. Non erunt porrò accepta, nisi fuerint cum Gratiâ eius incepta, & cum eâdem absoluta. Ut sint talia, non nobis deest Gratia; laborandum nobis est, ne nos desimus Gratiæ. Ne illi nos desimus, in nostrâ est potestate, quia fruimur arbitrij nostri plenâ libertate. Itaque liberi arbitrij, & voluntatis tuæ Dominus es, etiam ad malum Animæ; non eo fine vt malum sequaris, sed eo potiùs, ut malum fugias. Voluit Deus, te peccare posse; ut tibi meritum sit, non peccasse. Non culpaberis, quia potes: coronaberis, quia potuisti, & non es transgressus. Velles fortasse naturâ impeccabilis esse? velles igitur Deus esse, vel nullum esse, posse peccatum? si nulla posset esse miseria; nec Deus, cui proprium est misereri, posset esse misericors. Displicetnè tibi, quòd Deus gratiam præstare valeat, & velit? si Gratiam malles esse debitum, ingratus es, gratiam non agnoscis. At nequeunt peccare bruta; scio: sed nec honestè agere; ideò bruta sunt. An malè te habet, quod possis malum à bono discernere? Hoc Deus potest, quid inde mali? Libertas hominis.

II. Quòd ad malum te sentis pronum, pœna peccati est: habes gratiam, quâ pronitati resistas. Si necessitate ad malum rapereris, esset vel querelæ, vel excusationi locus. Nunc per gratiam in potestate tua est, malum fugere; quid quereris? Malles imponi tibi à Deo non peccandi necessitatem? Intelligo; putas Deum aut sapientem non fuisse, aut aliter sapere debuisse. Sapientia Dei hoc statuit. Sed nisi rectè vtaris libertate, iam grauissimæ subiectus es seruituti. Sic libertas libertate perit. Est hæc mens Publij: *Beneficium accipere, est libertatem vendere.* Inter homines, id est solenne. Contrà: à Deo beneficium accipere, est libertatem emere. Tollitur hæc libertas abusu arbitrij liberi. Est adagium: *Pugnantibus molitoribus va farina.*

Decemb. Væ naui,in quâ nautæ,vectoresque rixantur,aut quæ in partes, ac tabulas dissoluitur. Væ currui,cuius aurigam equi non ferunt! Væ corpori,in quo morbi,in quo quatuor qualitatum discordia, in quo membra in ventrem, velut pigrum,& voracem insurgunt! Ira væ Gratiæ,& libertati,vbi homo superior,& inferior digladiantur,& affectus inter se diuisi altercantur;vel tolletur, vel minuetur:sed illius iactura tam pensi habetur; ut parùm curent passim homines,si Anima sordeat,modò corpus fulgeat. Deplorabat olim D.Bernardus,suæ ætatis corruptelam;ac præsertim res sacras,profanis probrosissimè postponi;& tandem addit:*Plus calcaria,quàm Altaria fulgent*. Nónne ad illius dicti similitudinem quis verè asserat : Plus cænum, quàm cælum;plus haræ, quàm Aræ;plus vitiorum propudia, quàm virtutum decora æstimantur?

C *Maiores* 16.*quæst.* 7. III. Est iuris Pontificij effatum: *Hoc capit fiscus ; quod non capit Christus.* Sic peribis;nisi dederis Christo,quod debetur Christo: quia hoc capit Auernus,quod non capit Olympus.Necesse est,pereas,nisi Deo pareas.Cõstabit tibi nimis carò,si nimis tibi chara sit caro.Mater, quæ nimis est benigna,est nouerca.Sic nimia incarnem indulgentia, non est amor matris, sed odium nouercæ. Ut porrò Anima & nouercæ,& matris exerceat munus,egregiè explicat S.Zeno serm.4.ad Neophytos:O *bonæ matris charitas diuersos genere,ætate,conditione,suscipiens!necat odio criminum,ut nouerca;pia seruat,ut mater;necatosq; non antea viuificat,quàm omne virus vetustatis extinguat.* Hîc priùs doleas,ut posteà gaudeas; in terris spinæ, in cælis rosæ:adhuc es in area ; oportet ergò flendo mittere semina , ut posteà cum exultatione portes manipulos:esto solicitus, & tristis,dum venerit tempus messis.Suadet hocipsum paucis D. Augustinus:*Geme in area,ut gaudeas in horreo.* Talia sequentur in cælis præmia, qualia præcesserunt in terris opera. Quilibet suorum operum est filius;quia,nimirum,illorum hæres est legitimus. Si sis ambitiosus honoris,eris inhonorus;quia opera,quibus aspiras ad honorẽ, sunt sine honore. Ideò honore non est dignus, qui honorem quærit; sed quem honor quærit.Vertissimè igitur Augustinus:*Honor te quærere debet,non ipsum tu.* Manes semper homo, hoc est, æquè vilis, etiam honore excelsior aliis hominibus:*Simia collo aurum gestans,adhuc est simia; & asinus talenta gestans,adhuc more suo rudit*;vt Gregorius Nazianzenus in carmine ad Nicobulum:

Serm. 4.

Serm. 254. *de temp.*

Hom. 13. & 50.

Aurum asinus gestans,plus non est corpore præstans.

Digitized by Google

2. DIES DECEMB.

Satis est Domine, satis est. *Xaverius.*

Decemb.

I. SAtis est, vox est non aduenæ in terris, sed incolæ in cælis. A quo vnquam Monarchâ, audita est hæc vox Xaveriana? Quis vnquam par Cræso, inter diuitias; Alexandro, inter victorias; Augusto, inter honores; Pompeio, inter triumphos; Cæsari, inter dignitates; Hannibali, inter trophæa? quis denique fuit tam fortunatus pullus fortunæ, ut pronuntiauerit illas binas voculas, Satis est? Sed licet Xaverio satis fuerit gaudiorum; nunquam tamen satis laborum Quis vnquam aut obeundi negotij, aut consequendi quæstus, aut comparandæ gloriæ cupiditate, tam breui tot loca adire potuit, quàm celeriter Xaverius, alienæ salutis ardore enauigauit? In primis lustrauit Europam; & in eâ Galliam, Italiam, Germaniam, Hispaniam, Lusitaniam, Prouincias (ciuitates enim percurrere, immensum foret) peragrauit. Inde se contulit fulminis more in Africam; ex eâ in Indias, ac tandem infinitatem Asiæ, ad Sinas profectus, passibus suis fuit emensus; vlteriùs progressurus, nisi aut ipsum, vita, aut orbis defecisset. Certè illius beneficentiæ, (ut S. Hieronymi verbis vtar) totus erat angustus orbis. Vnde tanta fuit Barbaris de Xaverij virtutibus æstimatio; ut quia eius vita erat irreprehensibilis, tota vna, tota sui, tota omnium, cum iniuria Diuinitatis fuerit habita Diuina. Imò Iaponij Boncij coëgerant comitia, ut Xaverium consecrarent Deum, Arâ, sacrificiisque colendum; miseruntque ad illum nuntios, per quos Diuinos illi deferrent honores. Respondit ipse: Indignũ, qui sim creatura, & vultis Creatorem esse? Non potuit tamen obstare: quin procumbentes in genua, pedes eius adorarent osculis.

S. Xaverij laus.

Niremberg. de arte vol. l. 5. c. 15.

II. Gloria est Christianæ Religionis, tales educasse viros, per quos ipsa religio posset ita periclitari. Sic quosdam consecrat Virtus, vsque ad simulationem sinceram Deitatis. Vigor animi, majestas vultus, suada sermonis, beneficentia manus, quasi Diuinitatem aliquam obiecit Barbaris Xaverium. Quæres nunc, ex quo fonte scaturiit illa tanta Xaverij, quantam nemo satis potest admirari, virtus; & quæ illius comes, gloria? singula cum otio percurrenti, non occurret aliud quàm, cùm iam Parisiis incumberet studiis, ac in biuio quasi viæ, deliberaret de ineundo cursu vitæ, magnâ animi excelsitate, totum se Deo quocunque demum vocaret, promptum se eidem offerret. Quasi illud Isaiæ, Deo reponeret: *Ecce ego, mitte me.* ac si diceret:

c. 6. 3.

Decemb. *Ioan. 5.*

ceret:fortaſsè ſolicitus quæris,quem ad vltima terrarum mittas,qui tuum nomen longè,lateque propaget,& dices:*Hominem non habeo. Ecce ego*:homo promptus,pro te nihil metuere;propter te,nihil non audere. Nullus eſt ſeruus,ſeruiat licet duriſſimam ſeruitutem,qui tam impensè deſiderat è ſeruitute manumitti,ad libertatem manuduci; quàm ego à te, vbi, vbi denique mitti. Non ego is ſum, qui quaſi vni mihi natus, velim illum è cœlo hauſtum ſpiritum circumſcribi anguſtis vnius domicilij parietibus,aut vrbis mœnibus,aut Prouinciæ finibus,aut Regionis limitibus. Totus mundus,erit meæ pro te induſtriæ campus: Te amanti Patria eſt, non modò omne ſolum,ſed omne ſalum. Quin etiam quò ero remotior ab illâ, quæ in terris eſt Patria;eo ero vicinior illi,qui in cælis eſt Patri.

III. Quid dubitas?*Ecce ego* futurus te auſpice tui,& propagator nominis,& propugnator Numinis.Si occurrant montes, conſcendam; ſi alpes, tranſcendam;ſi Maria,illa velis,remiſque non fugiam, ſed traiiciam. Etiã in barbaro Oceani elemento, vbique reperiam portum, quia vbique circumfero Deum.Sim licet tranſmarinus,ſim tranſalpinus,Tibi vbique ſum proximus,& tu mihi intimus. Si obiiciant ſe acerui niuium, illos calcabo. Ardeo pro te algere. Tam me tui amore accendunt conculcatæ pedibus niues,quàm admotæ pectori faces.Fortaſſe dices,me terrendum ſolitudine?Nunquid & ibi eſt Ieſus?Ergò,& ſalus. Tametſi,duo ſufficimus.Si delectent turbæ,nos duo turba ſumus,ſed ſine turbine. Iterum ergo:*Ecce ego*. Habes,qui te ſequatur;habes, & qui in omnibus obſequatur. *Ecce ego*; cui pati pro te mala omnia,non tantùm eſt votum,ſed ſumma votorum.*Mitte me* vel ad mundi extremum;etiam illic libenter emittam extremum ſpiritum?*Mitte me*,& è veſtigio,cuicunque rei me in curriculo meo retardanti, nuntium remittam.*Mitte me*,vbi ſol torret;frigus vrit,Aquilo ſæuit. Quid timeam,vbi meo non tantùm ades lateri,ſed ines pectori?*Mitte me*, ut intelligat poſteritas,quid Deus potuerit Xaverio milite:quid Xaverius Deo Duce. Exauditus fuit Xaverius pro ſuâ in Deum fiducia, & paucis annis Regna ſexaginta ſex per ſolam Iaponiam explicata,fuerunt Xaverianæ virtutis palæſtra,certaminis arena. Cæſaris auſpiciis vndecies centena millia militum cæſa dicuntur:Xaverij vnius manu ſuprà duodecies centena millia,à primordialis criminis morte ad vitam ſunt reuocati. Ut videas quãto maior Cæſare Xaverius;qui pluribus,ut viuerent,conceſſit, quàm Cæſar, ut morerentur,coëgit.Sed ſatis eſt de Heroë,de quo nunquam ſatis.

Xaveriana ſatis vox,ſolùm eſt nota beatis.

Digitized by Google

3. DIES DECEMB.

Decemb.

Vix germinat granum Virtutis, sine palea vanitatis. *Gerson. collat. pro licent.*

Gloria Dei in omnibus quærenda.

I. IN hoc mundo, velut in inculto agro parum est tritici, multùm zizanij. Si crescat granum Virtutis; miscetur & palea vanitatis. Denique in hoc sæculo, omnia vitiorum sunt plena, virtutum inania. Nullus est vultus, in quo non sit næuus; nulla frons, in quâ non sit ruga; nulla chlamys, in quâ non sit plica; nulla purpura, in qua non sit tinea. Denique cùm Virtutibus vitia sint affinia; nisi illa perimantur, perimunt nos. Nullus igitur, hîc perfectus; nisi ille, de quo Christus: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cæleſtis perfectus est.* Vnde benè D. Hieronymus: *Cunctorum in carne iustorum imperfecta perfectio est.* Assentitur D. Augustinus: *Illa perfectio est, inuenisse se non esse perfectum.* Ut igitur sis, quantum vales in hâc vitâ mortali inter mortales perfectus; sit tibi omnium omittendorum causa, & agendorum regula; sola solius Dei, maior gloria. Hanc quantò studiosiùs experis; tantò te magis perficis. Bonum omne, quod habuimus quondam; quòd habemus modò; & habituri sumus olim, soli debemus Dei Gloriæ: videlicet, quòd simus, quòd homines simus; quòd redempti; quòd beatitudinis capaces. Quia omnia operatus est Deus propter gloriam suam. Deus in omnibus semper impensissimè studuit honori hominis. *Mat. 5.* *Serm. 5.*

II. Primò, honorauit eum suâ Potentiâ, creando suis manibus; ubi reliqua creauit solo vocis imperio officiosus in hominem, antequam adhuc esset. Honorauit eum suâ Prouidentiâ, prospiciendo ei de magnifico hîc in terris hospitio; postea excellentissimo in cœlis domicilio. Deindè copiosè ei prouidit de escâ, dum illi in alimentum tribuerit quidquid animalium vel natat in æquore; vel volat in aëre, vel repit per terram. Honorauit eum suâ Munificentiâ, mittendo è suo Regno, qui illi administraret, tutelarem genium; qui, ut vnus ex honoratis Dei in eius aulâ Palatinis, semper videt faciem eius. Hunc voluit illi semper esse à latere, ut ab omni conseruaret discrimine. Honorauit illum suâ Misericordiâ, perditum reuinendo; eumque

Decemb. que extollendo super id omne, quod humanum est, videlicet ad naturæ suæ consortium; ac deindè ad gloriæ suæ solium. Honorauit illum Liberalitate suâ, promittendo pro quolibet etiam leuissimo opere, totum suum Regnum totâ æternitate possidendum. Honorauit illum suâ Bonitate, ante omne tempus, hoc est, quamdiu ipse fuit Deus, diligendo. Cùm sic Deus hominem honorauerit, nónne meritò hîc dixeris cum Pro-

Ps. 138. 7. phetâ Regio? *Nimis honorificati sunt amici tui Deus?*

III. Augebis gloriam Dei, contemptu tui: quantùm te humiliaueris, tantùm eum exaltabis. Quo clariùs Deum cognoueris, eò te profundiùs illi submittes, & ardentiùs eius præcepta admittes. Potest Dei cognitio augeri in infinitum: sic & tui aspernatio; quia in infinitum es despicabilis. Cognoscendo tuam ignominiam, vestigabis Dei gloriam; propter quam vnam creatus es. Arbor simul mittit deorsum radices, & sursum ramos; quo per terram serpit profundiùs, eò se supra terram erigit excelsiùs: ita mens tua erigitur super id omne, quod est mortale, si te depresseris infra omnes mortales. Omnis gloria tuorum operum ad illum referatur, à quo accepisti potestatem operandi. Ille superfluit, & otiosus est in mundo, qui honorem Dei non quærit. Omnia vtilitatem sumunt ex fine; si à fine declinant, sunt prorsus inutilia. Si vt te calefacias, malleum accipias; non solùm ad hoc erit inutilis, sed & tu ridiculus. Si sumas ignem ad læuigandam tabulam, res præ omnibus vtilissima, iam non erit vtilis; imò, non tantùm inde nullum referes fructum, sed damnum: comburet, & destruet, quod volebas perficere. Omnia artium instrumenta, præter suum finem, ad quem sunt facta; sunt vana, & superuacanea: sic homo; qui non refert sua omnia ad gloriam debitam soli Deo, est superuacaneus in mundo. A granis, quæ seminasti, expectas copiosam messem: à vite, quam plantasti, expectas uvas; ab arbore, quam stercorasti, expectas fructus; cur inter tua, vis solus non esse vtilis tibi? Qui spretâ Dei gloriâ, se, & sua iactat, veneno se lactat.

Digitized by Google

4. DIES DECEMB.

In his, quæ de Deo dicuntur; hæc maxima est scientia, ignorantiam fateri. *S. Cyrillus Hierosolym. catech.* 6.

Decemb.

I. SI nostra de Deo ignorantia, dum illam fatemur, sit maxima de Deo scientia; quid nos cæcutientes super terram noctuæ, sub terrâ talpæ, volumus hebetem ingenioli nostri aciem conuertere ad fulgorem æternæ Majestatis; cuius intuitu perspicacissimæ illæ in cælis aquilæ perstringuntur, ut clausis oculis obnubere vultum compellantur? Sed inaccessam Dei amplitudinem nemo aptiùs exponet, quàm Auctor hodiernæ tesseræ: *Magnus erat Abraham, sed magnus respectu hominum*; cùm autem ad Deum respexit, tunc ait: *Ego sum terra, & cinis; estnè quidquam cinere leuius, aut exilius? Accipe*, ait, *cineris comparationem ad domum; & domus, ad ciuitatem; & ciuitatis, ad Prouinciam; & Prouincia, ad Imperium Romanorum; & Imperij Romanorum, ad vniuersam terram; & omnes terminos rursus totius terræ, ad circumdans illam, cælum: Cuius tanta est comparatio ad cælum, quantùm est punctum circuli ad totam conferentiam; tanta est cæli, ad terram comparatio. Et primum cælum hoc, quod apparet, minus esse intelligas, quàm secundum; & secundum, quàm tertium: & cùm animo cælos omnes perspicis, neque tamen cæli celebrare Deum, ut est, poterunt, etsi tonitrua habeant sonantissima. Si ergò, tanta cælorum magnitudo, Deum prò dignitate laudare non potest; quomodo tandem cinis vilissimus, & minimus, dignas Deo laudes retribuere poterit?*

Deus incomprehensibilis, & ideò amabilis.

S. Cyrillus supra.

II. Vult Deus, ut in eo requiescas, non ut eum comprehendas. Benè illis est, qui requiescunt in Deo salutari suo, & optimè se habent cum Optimo; & qui identidem clamant cum Dauide: *Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ; & volabo, & requiescam?* Non enim pedum motibus, sed cordis affectibus; non rotis, sed votis; non scalis, sed alis tenditur in illam requiem. Columba emissa ex Arcâ Noë, cùm non inuenisset, vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad eum in Arcam. Anima nostra, quæ per Creationem egressa est à Deo, nullam in diluuio aquarum multarum, quibus inundatur hic mundus; inueniens requiem, reuertatur ad Deum suum, vnde exiuit. Ad hanc Augustinus suspirabat, cùm hæc diceret: *Quiescat in te, Deus meus, cor meum; cor enim meum, est mare magnum, tumens fluctibus. Tu, qui imperasti*

Psal. 54.

Medit. c. 37.

Decemb.

ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna: veni, & ingredere super fluctus cordis mei; ut tranquilla, & serena fiant omnia mea; quatenus te vnicum bonum meum amplectar sine tumultuantium cogitationum cæcâ caligine. Et idem alibi: *Inhærete illi, qui fecit vos; state cum eo, & stabitis; Requiescite in eo, & quieti eritis. Quo itis in aspera? quò itis? Quò vobis adhuc, & adhuc ambulare vias difficiles, & laboriosas? Non est requies, vbi quæritis eam: quærite, quod quæritis? sed ibi non est, vbi quæritis; frustrà enim extra Deum quæritur, quod in illo solo invenitur.*

III. Vbinam suauiùs quiescès, quàm in eo, qui est amabilium omnium amabilissimum? Quidquid enim, extra eum amabile est; ab eo habet, quod sit amabile, & propter ipsum dignum est amari? hinc, sicuti est Centrum omnis Amoris: sic debet esse & omnium amantium. Amor, illius est indolis, ut toto impetu in id feratur, quo expleatur: tale autem nihil est, nisi solùm id, cui nihil deest, quod extra Deum nusquam est. Amans vinum, non satiaberis, quia multa ei desunt; quia non pascit esurientem; non locupletat pauperem; non sanat infirmum; non operit nudum. Idem in aliis quibuscunque extra Deum repeties: singula multis scatent defectibus, ut indigna sint hominum affectibus. In Deo cùm nihil deest; sufficit omnibus, & singulis, ut satientur: quia summè perfectum esse, est sibi, & omnibus summè bonum esse; quale quod est, summè amabile est: quod, solus Deus est; qui quidem adeò bonus est, ut solus esse non possit sine personarum consortio, nec solus esse velit sine societate creaturarum. Cùm igitur Deus tecum esse velit, quia amat te: debes, ut eius respondeas amori; malle potiùs totâ æternitate carere omnibus bonis extra Deum; quàm vel vno momento carere amore eius, siue ad punctum temporis non amare eum: Quia omne tuum bonum est amare eum, & amari ab eo. Modus porrò amandi eum, sit sine modo. Parùm proderit amasse, nisi pergas amare vsque ad finem. Respondeat principio finis: ama semper, quem cæpisti amare à principio; quia, ut monet Poëta:

Principium lauda, quod consequitur bona cauda.

5. DIES

Digitized by Google

5. DIES DECEMB.

Cui esse, est semper, Deus est. *Ambrosius libr. 3. de fid. capit. 7.* Decemb.

I. QVisquis timet semper esse miser, & ambit semper esse felix; illum, dum viuit, semper amet cui esse, est semper. De cuius continuo esse, eruditè D. Hilarius: *Pater infinitus est; quia non ipse in aliquo, sed intra eum omnia; semper extra locum, quia non continetur in loco; semper ante euum, quia tempus ab eo est. Curre sensu, si quid ei putas vltimum esse, quia cum semper intendas, semper est quò intendas. Iterùm reuolue tempora, esse semper inuenies; vt cùm calculi numerus in sermone defecerit, Deo tamen semper esse non deficiet.* Quis non amet eum; quem vbique, quia est in omni loco; & semper, quia est omni tempore, inuenies amatum; imò & amantem, ne dicam infinities amabilem. Si stimulus est ad amandum Bonitas, tam bonus est non modò intra se, in se, sed extra se; in te, vt solus tuus, qualis æternùm fuit, esse noluerit; sed & tuus esse voluerit. O quanta dignitas! sed & quanta in dignitate felicitas; posse verè, sine fuco; sincerè, sine hyperbole, dicere Deus meus: posse vno memento duntaxat dicere, Deus, est Deus meus; digniùs est, quàm si omnia honestissima nomina, & epitheta, & tituli, & dignitates, & honores, & omnia honorum insignia in vnum conglobata; quibus omnes omnium sæculorum Reges, & Cæsares gloriati sunt, in te vnum congerentur. Deus amandus, quia est noster Deus. *l. 2. de Trinit.*

II. Fuit homo quidam insignitè reprobus; qui, vt vno die posset frui & nomine & fortunâ Imperatoris, paratum se dixit subire totâ æternitate, tartari supplicia omnia: dignissimus, ob tam indigna verba, tartari pœnâ. Pluris tibi debet esse ad punctum temporis, posse dicere, Deus meus; quam totâ æternitate non modò dici, sed esse; non modò terræ, sed & cæli totius, Monarcham. Sed Deus infinitis titulis est tuus: est tuus, & voluit esse tuus; quia creauit: ideò enim te creauit; vt esset Deus tuus, & tu illius: itaque, cum te suum fecit, & se tuum effecit: tam igitur tuus est Pater, quam tu illius filius. Nónne hîc reperisti locupletem venam auri; quâ euadas non modò dives, sed diuitum primus? Quam enim dives est amor, cuius proprius Deus est. Non suffecit Deo, ratio illa infinitæ erga ipsum obligationis, quod tuus esse voluerit creando; voluit accedere & aliam paris obligationis, dum te redemit. *Binet in flor. psalm.*

Decemb. demit. Non tantùm dedit esse, ut Creator: sed benè; imò si velis, æternum beatè esse, ut Redemptor. Dedit se, ut reciperet te. Imò, se in cibum obtulit, ut te in se transferret: ut non tantùm esset tuus simpliciter, sed totus tuus, & tu totus ipsius. Possesnè aliquid vel animo fingere, quod vlteriùs; non dico quod sperare, sed quod vel optare auderes? Voluit Deus, suis in te congestis beneficiis ostendere, plus se posse in bonum tuum facere, quàm tu etiam fingere. Deus, & Deus tuus; qui iam dum viuis, est tuus, in tempore per gratiam; vult tuus semper esse per gloriam: vult tuus esse semper; cui esse, est semper. Quid hîc aliud eructet cor tuum, quàm illud illius viri, qui fuit secundùm Cor Dei: *Semper laus eius in ore meo*? Si non possit semper eius amor esse in corde; sit saltem laus in ore.

III. An non dignus est, quem ames ex toto corde; cùm sit Deus tuus, & totus tuus? Imò, tot titulis est tuus, quot titulis tu es ipsius: nec enim potest esse tuus, nisi tu sis ipsius. Tuus est, quia ex nihilo te creauit; sic enim est Pater. Tuus est; quia iam tuo crimine perditum, vtpotè perditissimæ vitæ, imò & indignitate peccati redactum ad nihilum, redemit te; Saluator enim est. Tuus est, & tu ipsius; quia è statu vltimæ calamitatis, hoc est peccati, te asseruit in statum gratiæ: ex reo gehennæ, fecit te hæredem gloriæ, sic Iustificator est, quod est præstabilius opus; quàm illud, quod videtur operum maximum, creasse cælum, & terram. Deindè veterius, tuus est; quia Corpore, & Sanguine suo pascit te; sic est cibus tuus. Tu, ut prodigus ille in lutulenta hora pascebaris siliquis porcorum: voluit te in sua mensa manducare panem Angelorum. Tuus est, quia in hæredem sui descripsit te; est enim Remunerator. Plus quàm satis fuisset, etiam pro æternitate, ut sic loquar, laborum, permittere, ut per transennam videres faciem eius; quam videre, salus est videntis. Voluit pro momento laboris; is, cui esse est semper, & te quoque semper videre faciem Patris eius. Quid iam supereſt, quàm ut ames eum; ut Patrem, Filius; ut Saluatorem, redemptus; ut sanctificatorem, iustus; ut Conuiuatorem, conuiua; ut Hæres, hæreditatem: ut, qui tuus est hîc in medio Babylonis; sit semper tuus, in illâ, quæ sursum est Ierusalem. Quocirca:

Vt tibi perpetuum sit lumen; dilige Numen.

6. DIES

6. DIES DECEM3.

Deum videbis non alio bono bonum; sed bonum omnis boni. S. *August l.8.de Trin.c.3.* Decemb.

I. DIuus Augustinus diuinè de Diuinâ Bonitate, disserit, dum ab eâ remouet omne creatum bonum; sic ipse: *Non amas, nisi bonum; quia bona est terra altitudine montium, & temperamento collium, & planicie camporum, & bonum prædium, amabile, ac fertile. Et bona domus, paribus membris disposita, & ampla, & lucida: & bona animalia, animata corpora: & bonus aër, modestus, & salubris: & bonus cibus, suauis, & aptus valetudini; & bona valetudo, sine doloribus, & lassitudine, & c. Quid plura, & plura? bonum hoc, & bonum illud. Tolle hoc, & illud; & vide ipsum bonum, si potes: ita Deum videbis, non alio bono bonum; sed bonum omnis boni.* Quæris ô anima obiectum aliud, quo se referat; & quo se occupat vagabundus tuus amor? si amor feratur in Bonum; Ecce bonum omnis boni! si amas bona, quæ sunt facta; cur non amas Deum, per quem sunt facta? Non tantùm est Deus bonus, & solus bonus: non tantùm est bonum, & omne bonum; sed in te est bonus, & tuum bonum; quia est Deus cordis tui. Amorem, alia simulant, cor probat: alia adumbrant, cor exprimit. Nisi amor sit inquilinus cordis, non est amor: Cor, amoris est lac, illic est domesticus; Amoris est ciuitas, illic est ciuis; Amoris est patria, illic est popularis; Amoris est Basilica, illic est Rex; Amoris est sacrarium, illic est Sacerdos; Amoris est schola, illic est Magister: Amoris est cælum, illic est Deus. Cor igitur Deum ostendit; imò conuincit esse amabilem, quia solus explet magnum illud cauum cordis. Circumfert cor per omnia amabilia; vagabitur, non satiabitur; ambulabit, non quiescet. Deus solus bonus, & summum Bonum.

II. Amor cordis, Deum facit sui possessorem: quod tu si cum altero diuidas, atque adeò dimidium tantùm tribuas; de possessione Deum deturbas: ille, quam amat integrum, tam non amat diuisum. Sicut Regnum diuisum: sic & cor diuisum desolabitur. An non satis magnus est Deus, ut impleat sinum cordis, cuius magnitudinis non est finis? Implet cælum, & terram; & non poterit implere pugillum terræ? Planè deficis, si præter Deum aliquid tibi sufficit. Itaque erit Deus, & Deus cordis tui; si solus sit totius. Amor partus est amoris; ut redameris, ama. An non extor-

Decemb. quebit à te, amor eius æternus in te, amorem angustissimi, quo viuis, temporis? Non meretur amoris æternitas, amoris momentum? Tam est antiquus eius in te amor; quàm est ille, ipse, qui est antiquus dierum. Iacobo Patriarchæ, ut potiretur amatâ Rachaele; septem anni videbantur dies pauci, præ amoris magnitudine. Amauit te Deus cæli, & terræ iam indè à principio, quando creauit cælum, & terram: hoc est plus, quàm à quinquaginta sæculis; & quia tot sæcula videbantur illi minus, quàm dies pauci; charitate perpetuâ dilexit te. Quanta est ista amoris intensio; tanta est tua redamandi obligatio. Amari ab amatore infinito, licet tantùm vel ad momentum, est immensi res momenti; quia eius amor vel tantillus est, supra omne pretium, inæstimabilis. Quid erit ab amatore infinito, amatum fuisse à tempore infinito; imò ante omne tempus ab æterno? sed quid in te amauit Deus ab æterno? Non te, sed se; non tuam speciem, sed suam imaginem; non tuum amorem, sed suum: quem, si tu non amas in tempore, si non desideras amare æternum; odio eius æterno ob indignitatem es dignus.

III. Inter omnia dona, palmare donum, est ipse Amor: ideò enim, quis donat, quia amat. Sic & inter omnia beneficia occupat primas, Amor; cui proprium est primùm benè velle, deindè benefacere: itaque, quò antiquior est amor; tantò debet tibi antiquius esse beneficium: igitur, charitas, qua te dilexit is, qui est charitas, cùm fuerit perpetua; beneficium quoque fuit perpetuum: & amor igitur, æternus; beneficium est æternum. Et si nihil aliud contulisset, nisi hoc vnicum beneficium; omnia illi deberes, & tua, & totum te. Noluit, qui infinitus est, circumscribi finibus Beneuolentiæ; explicauit se ad immensa spatia Beneficentiæ: idcircò idem Amor, qui fuit in æternitate beneuolus; fuit in tempore beneficus, eritque deinceps, modò velis, per interminatam æternitatem. Si sis Arithmeticus, reuoca, si potes ad calculum, omnia, quæ vixisti, temporis puncta, Angelorum obsequia, naturæ totius in te congesta commoda; omnia ista, sunt amoris beneficia; Beneuolentiæ monumenta; Beneficentiæ insignia. Non sunt in aëre tot atomi; quot sunt in te ad amandum Deum stimuli: & amor tam fertilis, erit in pariendo amore in te sterilis? Da, vel parùm illi, qui dedit tibi multum: da modicum illi, qui tibi promittit centuplum: da, vel aliquid illi, qui tibi dedit omnia. Si quidem:

Dat pyra, dat poma; is, qui non habet aurea dona.

7. DIES DECEMB.

Summum bonum, hoc est tuum bonum: Quid ergò deest, cui summum bonum, bonum est? Decemb.

S. August. in Psalm. 102.

I. ECce supremus supremæ felicitatis hic est apex, Beatitudinis vertex, esse in illo gradu, ut nihil desit. Repugnant hæc duo; beatum esse, & aliquid sibi deesse. Si inter omnia, & post omnia, quæ vagè amando, prosequeris bona, vnum tibi sit bonum, quod est summum Bonum: cùm in vno habeas omnia; iam necesse est, te beatum esse, cùm nihil tibi possit deesse. Quid ergò te fatigas, ô Anima, ambulando vias difficiles, cùm habeas te; imò in te Deum, amari, & amare tam facilem? Quæris amandi invitamenta; numera, si potes æternitatis momenta. Tot sunt in te Dei amandi tituli; quot sunt in infinito numeri. Et sicut illorum numerorum nullus est numerus: sic nec in te titulorum, quibus obligaris amare Deum. Quosdam exposuimus; expende, quę sequuntur exponenda Non tantùm te ingratum gratis, amore indignissimum, infinitus Deus ab infinito tempore amare est dignatus; sed amorem tuum, quem non potest impetrare, ut extorqueat, ad redamandum inuitat; & tantùm non compellit præmiis, quorum nullus est numerus, infinitis; quorum nullus est terminus, sempiternis. Tot scilicet, ac tantis opus est machinis, ut amorem hominis, quo non indiget, impetret. Hîc iam si potes, æstima; quàm dignum sit, istum amari: Non tam, quia præmia amori summa promittit; quàm quia adeò bonus est, ut ne gratis quidem amari, se abs te cupiat. Contra quam insanum, imò & pernicioſum, præ Deo amare illa; quæ non modò nullam pro tuo amore promittunt mercedem, sed omnem in te immittunt calamitatem. Amandi Deum, infinitæ sunt obligationes,

II. Quid, quòd Deus sibi sufficientissimus; nullius extra se alterius ad felicitatem suam indigens, desideret à te amari; & quasi ingens consecutus bonum, is, qui est omne bonum, dum id nactus fuerit, quasi de opimo spolio triumphet gaudio? cùm tamen eum amari à te, nullum sit illi bonũ, sed totum tuum. O quàm pretiosus est noster amor! quem Deus ipse, & ardenter desiderat, & studiosè solicitat! Hic verò, quid magis repugnat Æquitati, fraudare tantam Majestatem, tanto suo desiderio, priuare tanto gaudio: idque, ut vitiosis indulgeat desideriis, & perituris fruatur gaudiis; quorum

Decemb. quorum finis, est calamitas, cuius nullus est finis : & dolor cuius perpetuum, vbi semel cæperit, est principium. Et quâ tu mente potes, vel quâ fronte audes Deum rogare, ut tuas audiat preces; & exaudiat desideria precantis, qui posthabitis, quæ deberes omnibus præhabere, eius iustissimis, iuxta ac sanctissimis desideriis, totum te consecras desideriis vecordis tui cordis? Ut Deum ames, non tantùm est ipsius desiderium, sed imperium: vult, quod non potest impetrare, imperare: itaque amorem sui, non tantùm ut amicus suadet; sed ut Dominus iubet. Certè tantùm est nobis bonum amare summum Bonum: ut si imperasset, ne amaremus: fuisset imperium obseruatu non tantùm difficile, sed intolerabile. Quàm durum fuisset, non licere eum amare: ad quem amandum tot sunt illecebræ, quot vbique creaturæ: non posse eum amare: quem amare, est prima felicitas: non amare, vltima calamitas? Quantum sit bonum, amare Deum: non concipit, qui eum non amat, dum amare sic præcipit.

III. Non hîc sistit amor Dei, ut eliciat amorem tui. Non tantùm, si ames, pollicetur præmia: sed nisi ames, minatur supplicia: & quidem vtraque in suo gradu summa, quia æterna. Tanti est ergò amor tuus Deo: ut nisi tu ames; ille oderit: Tanti & tibi, sit Diuinum odium, ut saltem amore id redimas: quâ re potiùs facilius? ama: & qui eras odio, factus es amabilis. Feliciter amas; qui amando, totam exples legem, & omnes euadis pœnas; amoremque erga te diuinum, quo nihil optabilius, mereris: illius, inquam, cuius odium, damnatio est; cuius amor, salus est. Ad hæc, diuina Bonitas: ut nulla vlli esset in amando difficultas, summa facilitas, omnibus se creaturis immiscuit: quæ ideò sunt bonæ, quod à Deo sint bono. His tu, vtere hoc modo: ut in creatis, ames Creatorem; in pulchris, pulchritudinem; in suauibus, suauitatem; in doctis, doctrinam: in sapientibus, sapientiam, hoc est, in omnibus, qui est omnia, Deum. Amant beati in cælis: & amando, beati sunt: & quidem tanto beatiores, quantùm in amando feruentiores. O qualis vita, quæ solo constat amore, & boni summi! Amant non tantùm beati in cælis, sed & iusti in terris: & illi tantò sunt iustiores, quantò in amore perfectiores. Tot, tantisque amandi exemplis, si non moueris: nec iustus es modò, nec beatus eris olim: quod verè times, si solicitè caues: & qui amantium speras præmium, amantium quære consortium. Amare Deum, videtur arduum: omnium enim constat obseruatione mandatorum: nullum enim negligit, qui eorum Auctorem diligit. Facilè tamen est illi, qui Gratiâ est præditus: quâ te præditum, tam es certus, quàm Deum, gratiæ Auctorem amare te experiris. Quid ergo promptius: quàm amare illum, cuius per gratiam es Filius: & cuius eris aliquando per gloriam hæres. *Dilige, quidnam hæres: cæli, si diligis, hæres?* 8. DIES

8. DIES DECEMB.

Maria est vnitarum inter se naturarum Officina; Salutaris reconciliationis panegyris. *S. Proclus Hom. de Natiuit. Dom.*

Decemb.

I. QVis hodie non sit pro Virgine Panegyricus; dum illa concipitur, (quod à nullo percipitur) quæ est *Salutaris Reconciliationis Panegyris*? Quàm locuples nobis hodie aperitur officina; in quâ duæ naturæ, diuina, & humana sacro-sancto vinculo, sic uniuntur; ut in duabus naturis, eâdem subsistentiâ nixis, vna tantùm sit persona. Quantam nos omnes par est lætitiam concipere: dum illa, quæ est causa nostræ lætitiæ, concipitur? Quanto, & amoris impetu in eam ferri: quæ est Mater ipsius Amoris, & quo post Deum, nihil est amabilius. Nihil sic indiget magisterio, quàm Amor: nec enim turpiùs erratur: quàm dum quod dignum est odio, amatur. Amare verò, is docet optimè, qui est optimus, qui & ipse totus Amor est: & cuius tota vita, amor est & qui quidlibet amando, facit amore dignum, quod amat: Deus, inquam; cuius exemplo quidquid amatur, securissimè amatur. Is verò post seipsum, nihil amauit supra Mariam vehementiùs: nihil condidit amabiliùs. In tota rerum natura nihil est animâ humanâ post Angelos, & dignitate suâ, & pulchritudine amabilius: sic vt visâ illâ pulchritudine homo mallet subire omnia omnium Martyrum tormenta: mallet, licet foret alter diuitiis Cræsus, facere bonorum omnium iacturam: mallet, licet venustate formæ esset alter Absolon, amissâ omni pulchritudine, Thersite esse deformior: quàm illam minimo minimi peccati nævo contaminare.

Mariæ Conceptio.

II. "Si quæuis anima sit tantæ pulchritudinis: quantæ debuit fuisse Anima Mariæ, quæ velut animarum Regina, elegantissimam retulit Deitatis imaginem: sic ut nulla fuerit, aut futura sit elegantior: cuius aspectu, velut lucidissimi in creatis, speculi sui, seipse Creator oblectârit: præsertim cùm eadem Anima, beneficio illi vni singulari, ab omni fuit peccati labe (quæ vnica tollit, minuit animæ amabilitatem) tam originali, quàm actuali eximia, adeoque puritate suâ, amabilissima. Quid, quòd Gratiarum in ea plenitudo: & virtutum omnium in ea occurrentium perfectio, ac bonorum omnium naturalium, ac supernaturalium copia, sit maxima illam amandi

Decemb. illecebra. Fuit enim, vt naturæ prodigium: sic & Gratiæ miraculum. Angelus pleno ore eam extulit, dum gratiâ plenam protulit. Quid porrò pulchriùs Gratiâ: quæ omnis cum Deo, qui est pulcherrimus pulchritudinis Auctor, amicitiæ origo est? Si quævis etiam minimæ gratiæ tanta est pulchritudo: quanta erit, vbi est Gratiæ plenitudo: & quidem tanta, ipso primo, quo concepta est momento, vt nullus eam adæquarit, vt omnibus nobis abundet. Huic plenitudini Gratiarum accedat plenitudo Virtutum, & quidem singularum in summo gradu eminentium: hæ singulæ adeò fuerunt in eâ absolutæ, ut meritò Regina Virtutum indigitetur: virtute autem nihil amabilius. Merita verò eius tanta fuerunt: quanta illius gratia nunquam vacua, aut feriando otiosa: quantæ virtutes semper intensæ: quãta Gloria, inter Beatos omnes summa. Et Virgo tanta tam amabilis, quàm ipsa amabilitas, tuum non mereatur amorem? ô mi Amor! quò vagaris? hîc fige sedem, vbi nullam reperies ab origine, originis labem? vnde Filius Dei suam desumpsit carnem: non errabis amando, nec peribis errando.

III. Agnosco te Matrem meam, ô Mater Dei, & Mater Gratiæ, & Misericordiæ! obsecro, ne obliuiscaris nominis tui: de quo tu ipsa gloriaris. Mater Gratiæ diceris & Misericordiæ: sed hunc titulum quid tibi dedit, nisi nostra miseria: quia tam sumus miseri, ut egeamus omnes tuâ gratiâ, & miseratione. Quare, quia ego sum omnium miserrimus, maius & ius præsumo me habere in viscera tuæ Misericordiæ. Dignitas magna tua, accidit ex mea maxima indignitate: sanctitas tua ex meis peccatis: ideò præsumo me habere primum locum in tua misericordia; quia primus, & maximus omnium peccator sum, & plus cæteris miser. Non tantâ pernicitate fertur in cadauer aquila, quàm in miserum tua misericordia; quæ tunc demùm desinet misereri, dum deerit, cui misereatur. Matrem Dei, te fecerunt peccata hominum: at peccata mea sola sunt tot, ac talia: ut vel illa solùm sufficerent, ut te facerent Matrem Misericordiæ. Recordare, quod hunc honorificum titulum: de quo post titulum Matris Dei, & Virginis, supra cæteros gloriaris, ego solus possim sustentare, ob innumera mea peccata spero in misericordia tua: Ego miserrimus, & credo verissimè dictum à tuo famulo Blosio: *Citiùs cælum & terra perierit: quàm tu aliquem seriò te implorantem, tuâ ope destituas.* Quantò certiùs credes illam fuisse conceptam sine labe: tantò citiùs expiaberis ab Animi clade.

Specul. Spiritis. c. 12.

Nulla fuit labes in mente, aut corpore tabes.

9. DIES DECEMB.

Christi velle, feciſſe eſt. D. *Ambroſius de bono Amb. cap.* 12.

Decemb.

I. HActenus de Deo, modò dilabimur ad Deum-Hominem: ut cum eo brevi naſcituro, moriamur mundo, renaſcamur cælo. Quid non ſperandum ab illo boni? cùm iuxta teſſeram, *illius velle, ſit feciſſe.* O velit tantùm, (& quid non volet nobis boni, ipſa Bonitas) & fiet! proferat ſemel illud leproſo dictum: *Volo, mundare:* & illicò mundus erit totus mundus. Chriſto enim voluiſſe mundare, eſt mundaſſe. Ut igitur extorqueamus illud *volo*, ab eo: cuius velle, eſt feciſſe, ad Chriſtum, ut ad omnis amoris centrum, & Intellectus neruos omnes induſtriæ, & voluntas omnes vires amoris conuertar. In primis, ſi amorem è corde euocet ſpecies pulchritudinis, eſt ipſe ſpecioſus formâ præ filiis hominum. Quia quam pulchritudinem habuit Verbum, quod erat in principio apud Deum: eandem habet & Verbum Caro factum. Eius diuinitatem copulatam cum eiuſdē Humanitate, ſcitè deſcribit Iſidorus; *Mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus: etſi aliud, ex Patre: aliud ex Virgine: non tamen alius ex Patre: alius ex Virgine: ſed ipſe æternus, ex Patre: ipſe temporalis, ex Matre: ipſe qui fecit: ipſe qui factus eſt: ipſe de Patre, ſine Matre: ipſe de Matre, ſine Patre: ipſe Conditoris templum: ipſe Conditor templi: ipſe Auctor operis, ipſe opus Auctoris: manens vnus de vtroque, & in vtraque natura: nec naturæ copulatione confuſus, nec naturæ diſtinctione geminatus.* Chriſtus, homo & Deus. *Sent. l. 1. c. 16.*

II. Eſt ergò pulchritudo increata, ut Deus: & creata, vt Homo. Quis igitur non amet illam pulchritudinem: ſine qua nihil eſt pulchrum, ex qua omne eſt pulchrum? Ipſe homo factus, comparauit ſibi regnum cordium, non ferro, ſed ligno: non faciendo multa, ſed patiendo non pauca. Eſt idcircò ſupra omnia execranda execrabilis, qui illi non pendit vectigal amoris. Sed quid mirùm, ſi tu non pulcher, non ames pulchritudinem? Eſto priùs ipſe pulcher, vt ames eum, qui eſt ipſa pulchritudo. Inſtruet te, vt eam acquiras, D. Auguſtinus: *Quæres pulchritudinem ô Anima! ut amet te ſponſus tuus: etenim diſplices ei fœda. Ille autem, qualis eſt? ſpecioſus forma præ filiis hominum. Oſculari vis fœda pulchrum? ſed non attendis, quia tu iniquitatibus plena es? De illo dictum eſt: ſpecioſus formâ præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis:* *In Pſ 104. Pſal. 44.*

Decemb. *tuis: propterea adolescentula dilexerunt te. Huic tu placere vis ô anima humana! ô vna in multis! vis ei placere, non potes, quàm diu deformis es? quid facies, ut pulchra sis? prius tibi displiceat deformitas tua: & tunc ab illo ipso, cui vis placere, pulchra mereberis pulchritudinem. Ipse enim, erit Reformator tuus, qui fuit formator tuus. Ergò prius attende, quæ sis: ne audeas ire fœda in pulchri oscula.* Quid expeditiùs, ut acquiras pulchritudinem animæ tuæ? Respice in faciem Christi tui? vix respicis illius faciem: & mox despicis omnem pulchritudinem, quæ est super faciem terræ. Ille, cùm esset in formâ Dei, dilexit te deformem.

III. Rectè dixit Gregorius Nyssenus: *Anima est instar speculi: quod suscipit simulacra eorum, quæ illi obiiciuntur.* Quod si pulchra speculo obiicias: pulchram in se speciem, formamque suscipit: si verò deformia, deformem. Si igitur, animæ tuæ, quæ est instar speculi, obiiciatur Christus, hoc est, Pulchritudo: & ipsa reddetur pulchra, quia suscipiet in se illius simulacrum, qui est speciosus præ filiis hominum. Ecce methodum acquirendæ pulchritudinis? Nullus quâcunque industriâ, licet longissimo tempore in pulcherrimas intendat formas, imò ipsum lucidissimum intueatur Solem: efficiet ut inde pulchrior, & clarior, vel Soli similior? Id soli reseruatum Soli Iustitiæ: qui se intuentes reddit virtutum radiis conspicuos, Gratiæ pulchritudine conspiciendos. Ad illum igitur, hoc sacro-sancto tempore, quo illum expectamus, qui est omnium expectatio, conuertamus nostros oculos: vt ab illo, qui est lux mundi, recipiamus, quo luceamus, radios. Aspiciamus illam faciem: quam aspexisse, pulchritudo est aspicientis. Intendamus illi Imagini, quæ fecit nos ad Imaginem suam. O pulcherrime, & speciosissime Iesu! quis non amet? quis non quærat? quis non adhæreat intimè tibi? cuius corona, æternitas: cuius amictus, felicitas: cuius intuitus, benignitas: cuius sermo, veritas: cuius conuersatio, suavitas: cuius cogitatio, pietas: cuius denique complexus est, omnis boni satietas: vt mea pulchritudo non sit formæ venustas, sed vitæ probitas. Quia

Dat probitas speciem: sed non species probitatem:
Qui probitate caret: nil sua forma valet.

10. DIES DECEMB.

Chriſti eſt; de viâ iniquitatis ad viam veritatis reducere, & deducere per eam. *S. Bernard. in ſermon. de expoſ.* Decemb.

I. PRius neceſſe eſt, Chriſtum ſequi, quàm poſſimus aſſequi. Nec eſt, quod nos terreat viæ, quâ illum ſequeris difficultas: quia teſte Sapiente: *Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas.* De quibus ita Mellifluus Doctor: *Via Dommi, via recta, via pulchra, via plena, via plana. Recta, ſine errore, quia ducunt ad vitam: Pulchra, ſine ſorde, quia docent munditiam: Plena multitudine, quia totus mundus eſt intra Chriſti ſagenam: Plana, ſine difficultate, quia donant ſuauitatem: Iugum enim eius ſuaue eſt.* Ambulans igitur per has vias, peruenies ad Chriſti cunas. Sequere Chriſtum per ſemitas, per quas graditur: ut attingas ad præſepe, in quo natcitur. Sed priùs quis, & quantus ſit, quem ſequeris: vt mente aſſequaris, eius intima penetremus adita. Non eſt homo in mundo, cui cor non finderetur præ gaudio ſi perciperet immenſos theſauros qui abſconditi ſunt in Chriſto, & quos conſequi poſſet per Chriſtum. Fratres Ioſephi peribant ferè inediâ, & fame: quia neſciebant fratrem ſuum regnare in Ægypto. Quid hîc mortales affligimur in mundo: frater noſter regnat ſuper mundum in cælo. Chriſtus, eſt frater noſter. *Sap. 10.* *Suprà.*

II. Gaudete mœſti: exultate miſeri; erigimini afflicti: ſperate improbi: frater veſter Ieſus, aſcendit ſuper omnes cælos, ſedet ad dexteram Patris, eſt Rex cælorum immortalis: ſi mihi non creditis, credite ipſi ſic loquenti: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.* Quid ille vobis non poteſt dare, cui data eſt omnis poteſtas? An aliud ad fidem faciendam requiris teſtimonium? ipſe qui teſtatur, ſit Dei oraculum. Chriſtum eſſe Dei filium, eſt conſpirans vox omnium. Audi Hilarium: *Filium Dei, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, docentes, dum de eo teſtatur Pater: dum de ſeipſo profitetur: dum Apoſtoli prædicant: dum Religioſi credunt: dum dæmones clamant: dum Iudæi negantes, fatentur: dum ignorantes, intelligunt gentes: ne iam ambigendum permitteretur, quod ignorandum non relinquebatur.* Itaque, quare triſtis es anima mea? potiùs gaude gaudio magno: quia Frater tuus, tam certò eſt Deus, quàm non incertum eſt, aliquem eſſe Deum: ipſe diſpenſat divitias divinas pro ſuo arbitrio: largitur cæleſtem gloriam pro ſuo imperio: gloriâ, & ho- *Mat. 28.* *l. 1. de Trin.*

Decemb. nore coronat quemlibet pro suo merito: non Angelum, non extraneum: sed fratrem tuum constituit Dominum domus suæ. Ad cælum admittet te, qui ad terram submisit se. Per suam sanctissimam Humanitatem via est, & ostium, per quæ sanctissima Trinitas ad nos venit: per quæ etiam ad eam transire, & in æternum mansionem apud eum facere debemus. Per eam portam ingredietur, & egredietur anima mea, & pascua inueniet amoris: ô ingredi animæ meæ! ô egredi! ô ire! ô sibi perire! ô per Christum transire, & ad Deum peruenire! hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam.

III. Non hîc se stitit amor fratris nostri: ut esset via, & ostium ad Patris Regnum: quia iam eramus in paradiso exuti veste nuptiali, atque adeò nudi gratiâ: ideoque indigni gloriâ, prospexit nobis de regia purpura: quam ex omnibus venis, effuso sanguine tinxit, atque ita nuditatem nostram texit: hoc est, in se suscepit nostra scelera, & nobis dedit suâ merita. Ut iam nacti fuerimus per ea strictum ius in hac vita ad Gratiam: post hanc, ad gloriam. Et quidem illa merita sic nobis à Christo data, pluris sunt ad quid impetrandum à Patre; quàm si nos ea ipsa opera, quæ Christus, & nos fecissemus: ut si nos fuissemus, sicut Christus, illusi, flagellati, spinis coronati, cruci affixi pro Dei gloria: infinities minoris fuissent meriti illa opera, quàm Christi: quia fuissent hominis peccatoris: Christi autem, sunt opera Dei. Vide igitur, quantùm debes Christo: qui in se tua, vt satisfaceret pro eis, suscepit crimina: & ne pro iis patereris, sua tibi largitus est merita: qui tanta mala tibi abstulit, & tot bona contulit. Propter tot, quibus te liberauit, mala: & tot, quibus te cumulauit, bona, duæ in te exurgunt obligationes infinitæ: quibus, vt facias satis: vnum hoc, qui innumera potuisset, à te poscit: vt sicut ipse satisfecit pro peccatis tuis perinde ac si non tu, sed ipse peccata tua patrasset: sic tu non aliter offeras Patri merita eius Filij, quàm si tua illa forent: ac per illa tibi augeas tua merita, adeoque cumulum Gratiæ, ac Gloriæ. Tu tantum quæ hîc pateris, coniunge cum iis, quæ passus est Christus: & sine Deum hîc te ferire, & in te sæuire: hoc enim est, per Christum ad Deum ire. Quia

Cùm furit, atque ferit Deus: olim parcere querit.

11. DIES DECEMB.

Decemb.

Descendit huc ipsa vita nostra, & tulit mortem nostram. *Augustinus l.4.confess.c.12.*

I. QVomodò peruenies ad eum, qui est Vita: nisi per eum, qui est via? Per fidem Christi, imitando Christum, venimus ad Regnum Christi. Bellè Hilarius: *Non nos in erratica, atque in inuia deducit ille, qui via est: neque illudit per falsa, qui Veritas est: neque in mortis relinquit errore, qui vita est.* Ecce hîc quomodò per Christi misericordiam peruenimus ad eius gloriam? Eramus ob nostra scelera execrabilia monstra, & spectra: per Christũ facti sumus gratissimum cælo, & Deo spectaculum: Eramus in limine Auerni: iam sumus in vertice Olympi: Eramus in faucibus tartarei draconis: iam sumus in Corde æterni Patris: indigni eramus divinis oculis, iam digni sumus divinis amplexibus: eramus serui peccati, damnandi in ergastulo orci: iam sumus filij Dei, coronandi in Regno cæli. Altiùs nos exaltauit Christi coniuncta cum Divinitate Humanitas, quàm nos humiliauerat peccati nostri iniquitas. Acquieuisset nostra miseria, si extraxisset nos à tartaro, & reliquisset nos miseros in hoc exilio: sed non quieuit misericordia Christi, nisi nos extulisset super cælos, & in cælis super Angelos. Nimiùm feciſſet, si nos filios iræ, exemisset à pænâ iræ, si nos reos gehennæ, reliquisset in miseriis huius vitæ: sed impetrauit veniam culpæ, & vendicauit à reatu pœnæ. Plus quàm satis fuisset, si impetrasset delicti veniam: sed insuper conciliauit nobis, quasi innocentibus Patris gratiam, & amicitiam. Stupendum fuisset, si impetrasset solam Patris benevolentiam, impetravit & eius beneficentiam.

Christi in nos beneficia. *l.1.de Trin.*

II. Quid potuit vltrà facere? quæ difficile est vel credere. Fuisset supra omnem fidem, si post tantum flagitiorum cumulum, obtinuisset minimum, quod fingi potest, beneficium: obtinuit, vt ipsum Patris Regnum, esset nostrum domicilium: vt eius gloria, esset nostra hæreditas, vt eius vita, esset nostra immortalitas, vt eius visio, esset nostra beatitudo. Nimium feciſſet, si impetrasset hoc semel: sed impetrauit, vt nobis daretur infinities, si toties perdidissemus, dum postea pœnitentes ad eum confugeremus. Denique, quidquid est Dei, impetravit pro nobis Homo-Deus. Vide igitur, vnde te eripuit, & quò extulit? & vide, an non sic certauerit eius Misericordia cum tua miseria? vt illa tantùm hanc antecedat, quantum punctum temporis

Decemb. temporis Æternitas, punctum loci Immensitas. Gratus est canis homini ob aliquot, quæ ei proiicit ossa: & homo ingratus est Deo, post innumera, quæ illi contulit dona. Esset nè aliquis tam projectæ audaciæ, qui in vinculis captiuus auderet vel optare, nedùm orare, ut Rex suus, pro eo liberando, è suo solio descenderet in carcerem, eum liberaturus. Quod nemo auderet optare, aut petere; hoc Rex gloriæ voluit pro te facere, dum pro nobis, quasi nocens est captus, vt fur, est vinctus, vt malefactor, percussus, vt reus, damnatus, vt latro occisus. Quis non deficeret præ stupore, si mundi totius Monarcha, vile mendicabulum, bubulcum, aut porcarium, reum mortis vel semel inuiseret? Quid si proditorem suum? quid si pro illo relinqueret thronum, descereret Regnum, assumeret illius malefactoris statum, & abiecto diademate, vt alterum demitteret, maneret in carcere?

III. Quod credimus vix posse fieri, fide nouimus esse factum. Satis fuisset mihi remisisse culpam, voluit pro me & amittere vitam: poterat ignoscere sedens ad dexteram Patris, voluit, vt ignosceret, descendere ad vterum Matris: vel hoc saltem fuisset plus quàm satis, voluit indè ascendere ad patibulum Crucis. Hæccinè vana, an vera? hæccinè fabula, an fides? si veritas, vbi nostra charitas? si supra nostra merita, tanta voluit pro immeritis facere, cur non conamur, pro merito satisfacere? ô quàm deberet nobis gratus esse Iesus, per quem grati sumus Deo! quàm nobis amatus, per quẽ facti sumus Deo tam amabiles? ô quàm piè hîc Augustinus! *Descendit hùc ipsa vita nostra, & tulit mortem nostram, & occidit eam de abundantia vitæ suæ, & tonuit clamans, vt redeamus hinc ad eum, in illud secretum, vndè processit ad nos, veniens in ipsum primùm virginalem vterum, vbi se nupsit humana Creatura, clamans dictis, factis, vitâ, morte, descensu, ascensu: clamans, vt redeamus ad eum.* Est quidem proverbium: *Sola miseria caret inuidiâ*; at nostra miseria, etiam Angelorum digna est inuidiâ, vt dici possit verè cum Ecclesia: felix culpa, quæ talem meruit Redemptorem. Ita enim reparata est nostra miseria, tantaque coronata est gloriâ, vt pars magna sit nostræ felicitatis, fuisse infelices. Per Christum enim successit nostræ miseriæ summa felicitas: ignominiæ gloria, paupertati opulentia, calamitati beatitudo, exitio salus. Nec fortassis vnquam tam altè fuissemus erecti, nisi priùs tam miserè fuissemus prostrati. O felix casus, quem talis sequitur status! vt eum nanciscaris, ne doleas hîc te dolenda pati, cui aliquando dabitur Deo frui? Hoc non tam dicit, quàm prædicit Vates:

Hîc homo torquetur, ne perpetuò crucietur.

12. DIES DECEMB.

Filius Dei non se exinaniuit, amittens, quod erat; sed accipiens, quod non erat. *S. Augustinus tractat. 17. in Ioan.*

Decemb.

I. FIlius Dei, cùm, quod erat, non amiserit, hoc est, naturam Dei; sed quod non erat, acceperit, hoc est, naturam hominis: liquet Christum simul fuisse filium & Dei ante tempora, & hominis in tempore. Huius rei veritatem probabunt SS. Patres, quorum testimonia, veritatis sunt oracula. Primus sit, cui debemus primum Ecclesiæ Doctorem, Augustinum, inquam, D. Ambr. *Legimus Primogenitũ Filium; legimus Vnigenitum, Primogenitũ quia nemo ante ipsum: Vnigenitũ, quia nemo post ipsũ.* Et alibi. *In ipsa natura humana affectione Majestatem licet spectare Divinam: fatigatur ex itinere Iesus, ut fatigatos reficiat: Petit bibere, sitientibus potum spiritalem daturus: Esurit, cibum salutis esurientibus traditurus: Moritur, viuificaturus: sepelitur, resurrecturus: tremendo pendet in ligno, confirmaturus trementes: calum caligine obducit, ut illuminet: terras tremefacit, ut solidet: maria conturbat, ut mitiget: reserat tumulos mortuorum, ut ostendat domicilia esse viuorum. Creatur ex Virgine, ut ex Deo natus esse credatur: nescire se simulat, ut scire faciat nescientes.* Item Eusebius Gallicanus: *Similis mihi aqualitate substantiæ, vel naturæ, sed Innocentiæ, ac Iustitiæ paritate dissimilis: ut de meo haberet, vnde pro me solueret, & de suo, vnde penitus in nullo debitor appareret. De meo ergò habuit, vnde crucifigeretur: & de suo, vnde conglorificaretur: de meo, vnde caderet, de suo, vnde resurgeret: de nostro itaque dedit peccati hostiam, de suo, indulgentiæ tribuit gratiam.*

Christus, Deus & homo.

l. 1. de fide c. 6.

Ibid. l. 5. c. 1.

Hom. 6. de Pascha.

II. Sed ut fusiùs: ita & elegantiùs idem Auctor alio loco: *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis. Hoc loco Propheticus sermo, Dei, & Hominis inuenitur expressisse naturam. Vtramque enim fides Catholica prædicat, & credit: Nam si hominem tantùm dixeris Christum, negas potentiam, quâ creatus es: si Deum tantùm dixeris Christum: negas Misericordiam, quâ sanatus es. Quid ergò? Paruulus natus est nobis, & Filius datus est nobis. Natus est nobis, qui sibi erat: datus est ergò ex Diuinitate, natus ex Virgine. Natus, qui sentiret occasum: datus, qui nesciret exordium. Natus, qui & Matre esset iunior: datus, quo nec Pater esset antiquior. Natus, qui moreretur: datus, ex quo vita nasceretur. Ac sic, qui erat, datus est, qui non erat, natus est. Illic dominatur, hîc humiliatur: sibi regnat, & mihi militat.*

Hom. 6. de Natiuit. Isa. 9. 6.

Digitized by Google

Decemb. Et paulò post: *Christus inseparabilis cum Patre substantia, & ad terrena descendit, & cælestia non reliquit, & hic adfuit, & illic non defuit. Nam sicut dicit*
Psal 18.6. *Propheta: A summo cælo egressio eius, describitur quidem eundi, & redeundi velocitas, sed discursum nescit Immensitas, quia Deus vbique totus est. Accedere ad nos Misericordia potuit: recedere à se plenitudo non potuit. Qui enim excedit omnia, quò recedit? Ac sic Vnigenitus à Patre missus, non amissus est. Et ideò dixit Pro-*
Psal. 44.1. *pheta: Eructauit cor meum, verbum bonum. Sicut enim ex vsu prolatum hominis verbum: ita ad audientem à loquente transfertur, ut tamen in eo, de quo proceditur, corde teneatur: sicut sermo, quem loqueris, & à te exiit, & tecum est, nouo, & stupendo genere & transit, & remanet, transfunditur, nec elabitur, & quò dirigitur, peruenit, & vndè emittitur, non recedit. Ita & Dominus Noster Iesus Christus, qui in principio erat Verbum: Deus apud Deum, ad nos prodiit, à Patre non exiit: illic adstitit, huc processit: ad nostra descendens, in suo remansit: sicut ad sua regrediens, nobiscum remansit. Et ad nos igitur Verbum incomprehensibile percurrit, & à Patris pectore non recessit.*

Hom. de Nat. Dom. III. Eadem est mens, licet alia verba S. Procli: *Venit ad saluandum, sed & pati illum oportuit. At quomodò vtraque hæc fieri potuerunt? Homo purus saluare non poterat: Deus solus pati nequibat. Quid igitur? iste Emanuel Deus, factus est homo; & id quidem quod erat, saluauit: quod verò factum est, subiit passiones. Idem erat in sinu Patris, & in vtero Virginis. Idem detinebatur inter Matris brachia, & ferebatur super pennas ventorum. Idem ab Angelis adorabatur, & cum Publicanis mensa accumbebat. Vix Cherubim aspicere audebant, & Pilatus interrogabat. Seruus colaphis cædebatur, & ipsa creatura horrebat. Crucifigebatur, & thronus gloriæ non deserebatur. In sepulchro claudebatur, & cælum, vti pellem extendebat. Inter mortuos reputabatur, & Infernum despoliabat. Hîc, ut deceptor calumnijs afficiebatur, ibi, ut sanctus glorificabatur.* Obsigno hæc omnia
Tract. 23. in Ioan. effato S. Augustini. *Christus factus est homo, qui erat Deus: accipiendo, quod non erat, non amittendo, quod erat. Ita factus est Homo-Deus. Erigat te Christus per id, quod homo est: ducat te per id, quod Deus, & homo est, perducat te ad id, quod Deus est.* Tu esto humanus erga Hominem, Divinus erga Deum, & eris acceptus Homini Deo. Nimis quàm luculentè, tùm suâ Humanitate, tùm Divinitate (ut claudam vsitato penso.)

Christus monstrauit, quantùm te semper amauit.

13. DIES DECEMB.

Puderet te fortassè imitari humilem hominem; saltem imitare humilem Deum. *S. Augustin. tractat. 25. in Ioan.* Decemb.

I. TOtis, velut in circo, viribus inter se certarunt, hinc hominis superbi miseria: indè humilis Dei Misericordia. Sed non æquo Marte: nam dum humilis Deus depressit hominis superbiam, sustulit & miseriam: ut iam miserum esse, non sit Dei cogentis, sed hominis volentis: Enimverò, *Quæ superbia sanari potest, si humilitate Filij Dei non sanatur?* Ait Augustinus: *Puderet fortassè imitari humilem hominem, saltem imitare humilem Deum.* Quid non impetrabit à Deo Patre, humilis Dei Filius? quàm debet is esse apud Patrem gratiosus, cùm eius gratiâ tot sint Deo grati? vbi Christi vel nomen tantùm personat, illic Misericordia mox aduolat. O vox miræ virtutis, per Christum, quâ auditâ commouentur omnia viscera Misericordiæ? Inter homines omnes solus est Christus, qui Patrem pro dignitate divina amat: quomodò Filius, qui sic amat, si aliquid rogat, non obtinebit rogata? Nomen Filij, sine vllo obsequio gratum est etiam scelestissimis hominibus: quid non faciet Filij titulus, apud Patrem, tot titulis, quot obsequiis Patri præstitis (ut sic loquar) obstrictum? qui pensiculatiùs secum expenderit Christi erga Patrem obsequia, censebit præmia omnia ei debita. Perierat Patri totus, quem creauerat, mundus: sed Filius eius, ingressus mundum, suo sanguine expiauit, & perditum Patri restituit. Annè hoc parui momenti est obsequium? Christi merita infinita.

II. Plurimi in cælo Angeli, & omnes in terris homines, Patri iam perduelles, monebant illi suâ superbiâ bellum: ipse Filius voluit tantum damnum resarcire: humiliauit ergo se vsque ad mortem, mortem autem Crucis: & sic reparauit gloriam Patris. Voluit homines peruicaces dedocere contumaciam, & docere obtemperantiam. Omnes homines Patrem contemptibiliter despiciebant, & illius violabant honorem, cui soli debetur omnis honor: Filius voluit eum pro omnibus, & præ omnibus honorare. In Patrem, omnes sacrilego ore blasphemabant: Filius, pro omnibus blasphemantibus Patrem adorabat. Denique, vbi mundus scatebat Dei inimicis, tot ei restituit officiosissimos famulos, fidelissimos amicos, amantissimos filios. Imò cælum incolis vacuum repleuit Dei cultoribus, & amatoribus. *De Agon. Christi c. 11.*

Decemb. **Sed qualihæc omnia præstitit dignitate, quanto amore? Cùm fuerit omnî** ex parte infinitus; talis, tantusque fuit, ut non suppetat Patri, nec quâ intelligat scientiâ, nec quâ valeat potentiâ, quâ possit præmiis sat dignis remunerari Filij obsequia longè dignissima. Illa si sint vera: imò, cùm sint vero veriora: hæc pauca nunc tecum expende. Si Deus tam sit beneficus, ut impiis benefaciat: si tam iustus, ut iustis vltra merita satisfaciat: si in omnes sit tam effusè munificus, ut nullo etiam benefaciendi expectato titulo, dona sua in omnes cumulatissimè profundat: an in Filium erit iniquus, qui in hostes tam est benignus? Age, quid aget Pater? vbi viderit se non posse superare Filij sui merita: sed minora esse omnia præmia, quæ Filio dedit, & in gratiam Filij, aliis quibuscunque hominibus, & quidem infinitè minora quàm sint ipsius Filij officia.

III. Sufficit vel vnicum eius suspirium, ut omnes homines euadant æternum exitium. Propter pedis, aut manus vel minimum motum, deberet Pater eius, conferre cuilibet homini quascunque virtutes, & quidem in excelsissimo gradu, quibus vlli vnquam homines præcelluerunt: videlicet, fidem Abrahæ, Obedientiam Isaac, Tolerantiam Iacob, Mansuetudinem Moysis, Patientiam Iob, Pietatem Davidis, Castitatem Iosephi. Meretur vel vna eius Oris vocula, ut omnes homines, tam ardenter Deum amarent, quàm omnes simul in cælo Seraphini. Imò ut concipias spem immensam, per immensa Christi merita, quiduis à Patre impetrandi: vel vnica, quæ ex Divinis eius oculis stillat lachrymula, tanti est apud Patrem meriti, pro nobis pretij: ut tametsi Pater propter illam vnam largiretur omnes fauores, gratias, dona, beneficia, virtutes, ac sanctitatem, quæ largitus est Matri sui Filij; necdum feciſſet Filio suo satis, plura mereretur illa lachrymula, maiora posset exigere Filius præmia: plura & homo posset petere munera. Quid ergò, negabit Pater, si nos quidpiam vel petamus per illum, vel ille pro nobis? si Deus supra expectationem, contra opinionem, citra merita, supra modum, ad vsque excessum est munificus: etiam cùm homines iudicant non debere conferri gratiam, & beneficium: sed potius inferri pœnam, & supplicium: annè parcus, & auarus erit, cùm homines iudicabũt debere, non tantùm gratiam dari, sed velut debitum reddi? Si igitur, habeas amicum tibi Filium: experieris tibi amicissimum & Patrem. Ad tuas preces accurret Filius, succurret Pater: vterque tibi erit amicus: non tantùm ut donet liberalis, sed ut iuuet fidelis: quod est argumentum sinceri amici, ut benè Poëta:

Hunc fidum dico, benè qui succurrit amico.

14. DIES

Digitized by Google

14. DIES DECEMB.

Omnia bona terrena contempsit Christus; homo factus, ut contemnenda monstraret. *S. Augusti. de catech. rud. capit. 22.*

Decemb.

I. NOn est scientia contemnenda, scire, quæ sint contemptibilia: sicuti & virtus est maximi æstimanda, æstimare æstimabilia. Ideò Pater æternus nobis contulit beneficium inæstimabile, dum ad nos misit suum Filium, ut esset vnus nobis Magister; qui nos doceret non modò præceptis, sed exemplis, quæ sint contemnenda, quæ æstimanda. In primis, nihil in terra æstimauit, quod est terrenum: spreuit in corpore, quidquid est corporis; vilipendit in tempore, quidquid est temporis, nihili duxit inter mortales, quidquid est mortale: omnia bona terrena despexit, ut suaderet esse despicienda, & omnia mala terrena sustinuit, quæ præcipiebat sustinenda: ut neque in illis bonis quæreretur felicitas, neque in hisce malis infelicitas timeretur. Illa igitur fecit, quibus, ad sequendum Deum, inuitaremur: illa pertulit, quibus, à sequendo Deo, deterrebamur. Imò passus est Christus, antequam ut pati posset, viueret. Sic enim D. Paulinus: *Ab initio sæculorum Christus in omnibus suis patitur: Ipse est enim initium, & finis, qui in lege velatur, in Euangelio reuelatur: mirabilis semper, & patiens, & triumphans in sanctis suis Dominus. In Abel occisus à fratre: in Noë irrisus à filio, in Abraham peregrinatus, in Isaac oblatus, in Iacob famulatus, in Ioseph venditus, in Moyse expositus, & fugatus, in Prophetis lapidatus, & sectus, in Apostolis, terrâ, mariq; iactatus, & multis, ac variis beatorum Martyrum cruciibus frequenter occisus.* Christus est nobis exemplar. *Epist. ad vrsum 8.*

II. Ante Christi Aduentum, homines omnes in mundo, in mundum, & ea quæ sunt mundi, toto naturæ impetu inclinabant: Christus non habuit, vbi Caput suum reclinaret; mundum ingrediens, voluit nudus nasci, egrediens, nudus & mori. Homo ventosissimo fastu inflatus, exaltabat se super omnia culmina terræ: Christus depressit se vsque ad pedes Iudæ. Homo quilibet, inter, homines ambiebat esse primus hominum: Christus, inter homines factus est opprobrium hominum. Homo intemperanter expetebat dignitatis excelsissimæ decus: Christus adeò fecit se despicabilem, ut non esset ei species, neque decor. Quidquid homo diligebat, Chri-

Decemb. stus odit: quidquid magni pendebat, Christus flocci fecit: fugit, quæ ille sectabatur, abiecit, quæ ille admisit. Si nolis decipi mundi mendaciis, insistas, necesse est Christi vestigiis. Quidquid enim fecit, disciplina nobis est faciendi: ipsius vita, omnibus viuendi est forma, omnis eius actio, agendi est norma. Appositè ad rem nostram D. Chrysologus: *Christus sicut ouis, & volens, & tacens tondetur, ut tegat illam, quam Adam primus intulit nuditatem: velut agnus occiditur, ut peccatum totius mundi immolatus absoluat, ponit pro ouibus animam suam, ut impleat & pietatem Pastoris, & curam. Tibi ergò Rex, tibi Sacerdos, tibi Pastor tibi sacrificium, tibi ouis, tibi agnus, tibi totum, factus est, qui fecerat totum. Et qui sibi nunquam, tibi toties immutatur: propter te varias monstratur in formas, qui manet vnicâ suæ Maiestatis in formâ.*

Serm. 23.

III. Nihil Christus, per omnem vitam magis intendebat, quàm gloriã Patris. Hæc sit tibi exemplo Christi, viuendi regula, maior Dei gloria. Aliud agere, est vltima insania. Maior enim esset insania, quàm si quæreres niuem ad te calefaciendum: aut pictor vsurparet ad pingendum ferram fabri. Nihil est tam præter rem, tam extra propositum, tam absonum, tibique inconueniens, quàm cùm studes, non dico tuo honori, sed & vtilitati, nisi hoc ipsum cedat in gloriam Dei. Te perdis, si aliquid, quod non cedat in Dei honorem, quæris. Non attendas, dum aliquid intendis ad voluptatem, an sit iucundum ad difficultatem, an sit molestum, ad vtilitatem, an sit probrosum. ad commoditatem, an sit acceptum, non attendas, displiceat, an placeat, pungat, an vngat: efferat, an deprimat: sed vnum tibi hoc semper propone, & à te inquire, an, quod agis, vel omittis, sit Deo honorificum, & glorioſum. Infirmus, valetudinis recuperandæ studiosus, non reiicit potionem, quia amara est, non sumit frigidam, quia delectat, sed solùm attendit, an valetudini conducat. Peregrinus dum interrogat, ne aberret, semitam, siue dirigatur ad dexteram, siue ad sinistram, siue ad Orientem, siue ad Occidentem, siue ad ascensum montis, siue ad descensum vallis, perindè est illi, dummodò illa via ducat ad viæ metam: sic te geras in hac vita, ut peregrinus in vlâ. Oportet rebus sublunaribus vti, non frui: & sic vti, prout conferunt Diuinæ Gloriæ. Hîc enim omnia, sunt media ad finẽ: non habent vsum propter se. Nihil sumas, quod ad suum finem non dirigas, licet, pretiosum sit, quia inutile erit, nihil relinquas, quod ad illum faciat, licet acerbum sit, quia pernicioſum erit. In omnibus semper aspice Numen, & ex eius aspectu accipies lumen in mente, vulnus in corde. Quia

Numinis aspectus, penetrat cum vulnere pectus.

Digitized by Google

15. DIES DECEMB.

Non dedignetur, quod fecit Christus, facere Christianus. *S. Augustinus tract. 58. in Ioan.*

Decemb.

1. A Christo mutuatus es nomen, ô Christiane! Talem te esse prodas magis opere, quàm nomine. Audi Christiane, & expende verba Salviani; & in lignum te censebis nomine Christiani: *Magna, videlicet, nobis prærogativa de nomine Christianitatis blandiri possumus; qui ita agimus, ac vivimus; ut hoc ipsum, quod Christianus populus esse dicimur, opprobrium Christi esse videatur.* Nónne multorum Christianorum vita, non tàm, uti Iob loquitur, est militia, quàm malitia? Nonnè illorum vita non tam est bene agendi exemplum, quàm peccandi documentum? Tàm illis invisa est Paupertas; ac si Christus, ut eam fugeremus, jussisset præcepto. Humilitas, illis non est nota, nec de facie; imò, & ignota de nomine: tàm illis est exosa, quàm ipsum odium. Mansuetudo, illis est monstrum, & prodigium; ideó, & inter illos est ludibrium. Talibus illudit, qui paulò antè Salvianus: *Vbi est Christianitas nostra; qui ad hoc tantummodò Sacramentum salutis accipimus, ut majori postea prævaricationis scelere peccemus? Nos Ecclesijs Dei ludicra anteponimus; nos Altaria spernimus, & theatra honoramus: omnia denique amamus, omnia colimus; solus nobis in comparatione omnium Deus vilis est.* Dicta Principis æstimantur, ut pronuntiata: decreta à Rege, habentur pro lege: Cæsaris diplomata, sunt quasi Numinis oracula. Si tanti facimus hominis, non rarò sacrilegi dicta; cur non æstimamus Dei hominis facta?

Christiani est, imitare Christum. *De gub. l. 3.*

Suprà l. 4.

11. Quid causæ est; ut si quispiam Christianus futura credit, futura non timeat? Quid causæ est, ut si credit, quæ dixit Christus; non timeat, quæ minatur Christus? credis minanti Christo, se impios projecturum in tenebras exteriores? cur, cùm sis filius tenebrarum, non metuis te illic projiciendum? Si non credis verbis, quæ dixit Christus, non credas præmijs, quæ promisit Christus? neque enim se probat promissionibus Christi credere; qui non sic agit, ut possit ad promissa à Deo præmia pervenire. Imitari Christum; non tantùm decet, quia est dignitas; sed oportet, quia est necessitas. Si Christum imitari, est gloria; non erit arduum, ferre contemptus hominum, & opprobria. Non est comtemptus, ubi dignitas est contemni. Satius est, propter Christum semel contemni; quàm omni-

bus

Decemb. bus hominibus ſemper præponi. Pudeat nos, Ethnicos plura feciſſe, & graviora tuliſſe pro umbratili; quã nos pro cæleſti gloriâ Fuerunt olim Barbari, ſui Regis tàm amantes, ut quod eſt potiùs amentis; ſi Regi deeſſent oculi, ipſi ſuos eruerent oculos; ſi deeſſent manus, ſuas ſibi ipſi abſcinderent: tum demùm ſe rati eſſe amantes ſui Principis, ſi eum imitarentur vel in vitio corporis. Chriſtus, ut hoc modo eum imiteris, non jubet, imò prohibet. Si Chriſtus dumtaxat, quid faciendum eſſet, dixiſſet, nec tamen quidquam illorum feciſſet: tamen hoc exequi, non eſſet obſequium, ſed debitum: quantò, magis cùm ipſe nihil ſuaſerit faciendum, quod ipſe priùs non fecerit? Si aliquis è cælo delapſus Propheta ſimpliciter aſſeruiſſet amplectẽdam paupertatem, non haberet, quò ſe purgaret, qui eam non amplecteretur. Quantò magis, cùm ipſa Dei Sapientia, quæ ore Prophetarum, locuta eſt & in ſe pertecerit decet nos facere?

III. An putamus otioſa fuiſſe Chriſti verba, cùm aperiens Os ſuũ, in mõte
Matth 5. dixit. *Beati pauperes Spiritu.* Si judicas illa verba prodijſſe ex ore Veritatis; cur credis beatos eſſe divites? Si ais, te non credere: aio, te non ſapere, qui præponis opes egeſtati, quaſi non crederes veritati. Dixi eadẽ Veritas: *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam*: tu perſecutionẽ non proſequeris amore, ſed perſequeris odio: atque ita tuum præfers Chriſti judicio. Si non eſſet opus pati: fuiſſet nobis otioſa vita Chriſti patientis. Annè vanè, & ſine fructu voluiſſet Deus affligi Filium ſuum Unigenitum ſibi tàm dilectũ, ſi nihil referret facere, quæ ipſe fecit: nec opus eſſet nos conformes eſſe Imagini Filij ſui? Non eſt Deus impius ut ſine cauſa gauderet tàm atrociter ſævire in Filium, in quo ſibi ſemper benè complacuit: niſi nos ejus exemplo pati, ſibi eſſet placitum. Efferæ feræ, & ſanguinariæ belluæ ſunt erga fœtus pientiſſimæ: & quæ alios dilaceram unguibus: illos mulcent amplexibus. Quomodo Deus, qui habet viſcera Miſericordiæ, erit in Filium tàm immiſericors, ut velit eum tanta pati ſine fructu patientis, aut neceſſitate nobis patiendi? Scelera noſtra, licet maxima, & plurima, non requirebant tanta, quæ paſſus eſt tormenta, ut expiarentur; plus quàm ſatis erat una guttula, non dico Cruoris, ſed ſudoris: requiſivit ergò illam cruciatuum atrocitatem, vitæque auſteritatem, neceſſitas noſtra imitandi Chriſtum; & patiendi, quæ eſt regia via cæli. Aut Deus ſævus eſt, & dirus: aut ſummè neceſſarium eſt nobis, humiles, afflictos, & inopes eſſe. Chriſtum imitari, non eſt aliud: quàm quod ipſe æſtimavit, illa æſtimanda exiſtimare: & quæ deſ-
De civit. l. 11. c. 2. pexit, deſpicere. Undè eximiè eximius Doct. Aug. *Sola, adverſus omnes errores via munitiſſima Chriſtus, ut idem ipſe ſit Deus, & homo: quò itur Deus, quâ itur homo. Si vis ſalvari, Chriſtum ſtudeas imitari.*

16. DIES

16. DIES DECEMB.

In quo non est peccatum, ipse venit auferre peccatum. Decemb.

S. August. tract. 4. in epist. Ioan.

I. VEl suspicari in Christo vmbram peccati, sacrilegij est peccatum. Quomodò potuisset peccatum auferre, in quo priùs fuisset auferendum? Verè igitur D. Petrus: *Qui peccatum non fecit.* Quî potuisset committere peccatum, qui ardebat immenso odio peccati? Sciebat obstrui viam ad cælum solo peccato: ut igitur aperiret viam ad vitam, debuit abolere culpam. Et cùm tantus sit ofor peccati, nullum vnquam relinquit impunitum. Quia, ut solerter D. Augustinus, *Deus nec iusto, nec peccatori parcit, illum flagellando, ut filium; illum puniendo, ut impium.* Imò, adeò inuisum est Deo peccatum, ut ne quidem possit esse alteri auctor, ut peccet: quod tamen non potest committere, ad bonum aliquod indè eliciendum solùm potest permittere. Hinc iterum D. Augustinus: *Homo, & peccator, duo nomina sunt: In ipsis quære, quid fecerit Deus: quære, quid suaserit diabolus. Homo, à Deo factus est: peccatum, suadente diabolo, ab homine factum est.* At Christus, qui non homines vitiis oppressos, sed ipsa vitia, neque peccatores, sed peccata oderat, voluit tollere peccatum, & redimere peccatorem. Voluit tamen tam grande malum, quale est peccatum, ut vel committeret, vel omitteret, esse in potestate hominis, ac plena committendi, vel omittendi libertate. Hinc Augustinus: *Motus auersionis, quo fatemur esse peccatum; quoniam est voluntarius, in nostra est positus potestate. Si enim times illum, oportet, ut nolis: si autem nolis, non erit.*

Christus, peccati maximus ofor.

Contra Faust. l. 22. c. 20.

l. 50. Hom. Hom. 6.

l. de l. arbit. c. 20.

II. Nos membra Christi sumus: caueamus igitur, ne in pulcherrimo Corpore deformitatem efficiat vnus artus corruptus, & fædus. Quantùm deuenustaret sponsam formæ elegantissimæ putridus nasus, aut os immanè distortum, aut genæ vermibus scatentes, aut gibbus in tergore eminẽs. Corpus Christi non tantùm est pulchrum, sed ipsa pulchritudo. Membrum Christi immortalis es, ô homo mortalis! quanta igitur tibi habenda est cura, ut quantùm patitur humana conditio, illius imiteris & immortalitatem, & incorruptionem, ne dissones illius puritati. Si veste tritâ, pannosâ, & ad speciem ridiculâ indueres effigiem alicuius Sancti, habereris non tantùm impius, sed sacrilegus. Multò est indignius, tam speciosum Christi

Decemb. Corpus, putido, & rancido, ac cadaveroso membro deformare: quod ipsum agis, quoties, scelus commictis. Sicuti in cælo animæ nostræ, mutâ ac corpora summâ nitebunt puritate, & Deum laudabunt: sic & in hac vita & animæ, & corporis summa illum debemus puritate colere. Geminæ illæ, ex quibus homo constatur hominis partes corpus, & anima, debent conspiranti inter se fœdere pacisci, ut pariter contendant ad suam beatitudinem puritate; ne voluptate aliquâ pellectus, nimis indulgens parti tuæ mortali, te condemnes ad mortem Puritatem cælestium Thronorum debet æmulari corpus tuum, ut quemadmodùm in illis residet Deus, ita in tuo corpore, quod est Templum Spiritus Sancti, ut sit vas in honorem.

III. Cùm Christus pro immensis suis, quibus nos cumulauit beneficiis, iure à nobis exigat cordis nostri amorem non modò summum, sed totum, nec quid quam magis repugnet huic amori, quàm peccatum: debemus plus odisse peccatum, quàm ipsum Tartarum, & malle per omnem æternitatem, omnibus omnium dæmonum affligi cruciatibus, quàm vno momento contaminari minimo delicto, quo displiceamus Dilecto. Sed vndè hauriemus tantum illum, quo peccatum horreamus, ne Deo displiceamus, amorem? Amor non alio indiget Magistro, quàm seipso. Ipse sibi & Magister, & discipulus est: docet, & discit. Docet amor esse amandum: & amando discit, quomodò sit amandum. Ab amore instruimur ad amorem. Ut calleas amandi præcepta, non opus est, vllos consulas, qui vanas profitentur scientias, Præceptores. Frustrà te conferas vel ad Stoam Chrysippi, vel ad porticum Zenonis, vel ad Academiam Platonis, vel ad Liceum Aristotelis, ut recipias documenta amoris. Tota illorum eruditio, est vanitatis tantùm professio. Sub illorum disciplina vnum duntaxat disces, amorem cælestem dediscere. Iuuenis quidam scientiarum cupidus, Parisios petiit; ingressus scholam, cùm fors Magister è suggestu, illa Christi explicaret verba: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. Surgens, abituriebat, stupentibus omnibus, & verò sciscitante Magistro, quid hoc rei esset; quod eâdem hora, qua scholam ingressus fuerat, desereret? reposuit: Sat, inquit, multa hodie didici, cùm illud, quod audiui, perfecero, reuertar: & indè abdidit se in Asceterium, ut illic amandi acciperet magisterium:

Solo ab Amore, Deum disces super omnia amare.

17. DIES

17. DIES DECEMB.

Non errabis; quandò ibis ad Christum per Christum. Decemb.

S. August. de Epicur. & Stoic. c. 8.

I. ERrare in via ad vitam, est strenuè properare ad æternam pœnam. Peregrinaris in Domino; vide insistas viæ, quâ tendis ad Dominum. Nemo nouit viam cæli, nisi, qui per viam illam ambulauit. Nemo ascendit ad cælum, nisi, qui descendit de cælo, Christus Iesus: & qui per illam viam, quam ille monstrauit, incedit. Antequam Christus ad cætus hominum descendit, via cæli incognita erat omnibus hominibus: nullus enim fuerat ingressus cælum, nedum progressus per viam cæli. Ut illic ascenderemus, ne in viâ aberraremus à via, debuit ad nos descendere, qui est via. Non sic Christus nobiscum egit, ut solent rustici: qui interrogati à peregrinis de via, viam vel digito semel ostendunt, aut describendo diversa, per quæ transeundum est, loca, & pagos; ipsi sine vlteriori cura securi domi manent, & quieti sedent; nec amplius, ne errent viatores, sunt soliciti. Tota Christi vita, non est aliud, quàm recta ad cælum via. Quidquid docuit præceptis, confirmauit exemplis. Non opus est amplius viam investigare; vbi nobis sua reliquit, quibus insistamus, vestigia. Non tantùm de via, quæ tenẽda est, instruit; sed ut teneamus, præit: viæ dux est, non modò præceptor. Sicut tota nostra vita, non est aliud, quàm via: sic totum nostrum viuere, non est aliud, quàm ad metam alicuius viæ tendere. Via altera est spatiosa, quæ ad mortem; altera angusta, quæ ducit ad vitam. Vide, quam viam ineas, ne pereas. Christus est via.

II. Quid, si vt modò certi sumus de cælo; ita æquè non incerti fuissemus, illuc non posse nos peruenire, nisi pedibus; nec aliud deindè requireretur, nisi viam ignotam scire, & aliquis nos de ea tenenda doceret; imò, qui tantæ esset comitatis, vt vellet esse in itinere comes, & dux: quis esset, qui non accingeret se ad iter, ut posset pertingere ad tam optatam metam itineris? Quod tibi est in voto, est in promptu, habes in manu: quod voues, tenes. Ad cælum tenditur, non corporis pedibus, sed virtutum actibus. Christum habemus, qui præeat, ducem: cur igitur, Christum non sequimur præeuntem? cur non credimus viam docenti? Inter omnia, hoc est, præ omnibus tuum votum, peruenire ad Christum; per Christum ibis

Decemb. ad Christum. Non putas te erraturum, Sapientiâ Dei duce? An times, ne excidas salute, præeunte Saluatore? Acta Christi, nobis sunt via ad Regnum Christi. Docuit Christus viam ad cælum, esse Humilitatem. Quis vnquam inter homines, vilissimus filius terræ, sic se humiliauit, ut altissimi Dei Filius, Rex cæli? Quæ est creatura, cui se non submisit, eius Creator? Submisit se Angelis; dum ab vno illorum voluit confortari, cùm ipse omnium esset fortitudo: Itemque, cùm iam captus, diceret se posse ad nutũ habere duodecim legiones Angelorum, ut eriperetur de manibus Iudæorum; quasi ipse non posset, sine ipsis. Iterum se illis submisit, dum iam in deserto esuriens, ab illis voluit, quasi mendicus eleemosynam accipere, quo pelleret famem, precarium panem, cùm ipse potuisset lapides in panes conuertere. Submisit se non modò Angelis; sed & hominibus, & quidem omnis generis, fortunæ, ordinis.

III. In primis, Matri suæ, & Ioseph, illis subditus. Deindè sacrilegis Principibus, Cæsari, Herodi, Pilato: impiissimis Sacerdotibus, Annæ, & Caiphæ: impudoratis scurris, & selectissimis totius Iudææ nebulonibus, ab illis vinctus, consputus, flagellatus, Cruci affixus: submisit se creaturis omnibus, permittens in se sæuire frigus, æstus, ferrum, Crucem, sputa, arundinem, spinas, funes. Adhucnè aliquis supereſt, vel aliquid, cui se non submisit? Nulli sunt, qui illum terriori persequuntur odio, adeoque magis illi sint exosi, quàm dæmones, vtpotè, quos ipse palàm in se triumphauit, dum illos dominatu suo spoliauit, & tamen tam atrocibus illis suis inimicis se voluit submittere, dum passus est se à diabolo tentari, & duci super pinnaculum templi: & tradi, cùm pateretur, potestati tenebrarum. Non est creatura, vel in terra, vel in cælo, vel in orco, ab altissima, vsque ad vilissimam, ab optima, vsque ad pessimam, cui se non subiecerit, ut te efferret. Nullum propè fingi potest, quod auribus non percepit conuitium, nullum, quod corpore non excepit supplicium. Vinctus est, ut fur, consputus, ut blasphemator, percussus alapâ, ut Pontificiæ Maiestatis violator, derisus ut sacrilegus in Deum; flagellatus, ut malefactor; spinis redimitus, ut Regiæ dignitatis affectator, ad mortem condemnatus, ut populi seductor, suspensus in patibulo, binos inter latrones, ut Princeps latronum: atque ita, ut omnium sceleratissimus, interfectus omnibus cruciatibus. Ecce hîc rectissima via ad Regnum Dei, sanctissima gesta Christi. Et quod Christo non debes amoris tributum? qui se voluit, quod imitareris, tibi esse exemplum? Hoc mihi iam ratum est, & fixum; totum cor meum in te figere, & me ad normam tuæ vitæ fingere: Donec aërem cor trahet, simul trahet, simul attrahet spiritum amoris: donec venæ micabunt, simul emicabit amor:

Digitized by Google

amor: donec immortalis meus vivet animus, simul te amabo. Sine manibus, sine pedibus, sine lingua exercetur Amor: ubi cor est, ibi est copia Amoris. Tuo igitur Cordi Sacro-Sancto, totum cor consecro, dico, dedico: donec in Templo magno tuo celebrem solemnitatem huius meæ dedicationis; ubi omnia tua, erunt mea, si hîc mea sint priùs tua. Eris cum Christo consors, si dederis ei cor: Decemb.

Ne fias vacors, esto cum Numine concors.

18. DIES DECEMB.

Lux tua, veritas; & veritas Tu. *S. August. confes. 4. c. 9.*

I. NOn satis fuit Christo, si nobis, ne erraremus ambulando, esset Via; voluit, ne deciperemur credendo, esse Veritas. Veritas procul habitat à sensibus; quia illi innoxij sunt iunumeris erroribus. Si credis tantùm visui, eris Christo invisus: si auditui, malè apud eum audies: si odoratui, non eris Christi bonus odor: si tactui, audies statim; *Noli me tangere*: si gustui, non gustabis, quàm suavis sit Dominus. Renuntia sensibus, ut percipias, verborum, quæ Veritas loquitur, sensa; aliàs censeberis inter insensatos. Veritas, est cælestis planta, non floret in terris: non alitur carne, & sanguine; quia carò, & sanguis non revelabit tibi arcana Veritatis. Antequam ad nos descendit Veritas, hoc est, Redemptor generis humani; totum mendacij tenebris caligabat genus humanum, veluti in cæco specu, aut tenebricoso antro, aut tetro spelæo: ita ut nulla pateret vel rimula, per quam vel tenuissimus Veritatis radius posset elucere. Hinc, sicut nulla Divinæ Veritatis lucebat scintilla; nulla quoque Divini amoris ardebat favilla: tandem, ut, dissipatâ veluti opacâ nube, Veritas ubique lucis suæ effunderet radios, quæ semper fuerat sursum, Veritas deorsum descendit; ut homines, qui erant de deorsum, quæ sursum sunt, quærerent; quæ sursum sunt, saperent. Quidquid non est ad normam Christianæ Doctrinæ, sive Veritatis, est mendacium, fraus, vanitas, error. Quantùm ergò sumus obnoxii Christo; cujus doctrinâ, possumus nullis obnoxij esse erroribus. Omnes per Fidem credimus vera; sed non omnes credimus verè. Christus, est veritas. *Ioa. 20.*

II. Si credis vera, quæ Christus dicit; cur moribus contradicis? Si est verum, (quod indubiè est vero verius) quòd oportuerit Christum pati, ut

Decemb. intraret in gloriam suam; cur tu non modò pati nolis, sed patiendi occasiones fugis? Si verum est, Deum providere omnia in bonum iustorum; cur tàm acerbè affligeris? cur tàm amarè angeris, levibus, quos subis, laboribus; exiguis, quas pateris, angustijs? Si hæc quàm vera, tàm verè credis; dum adversa tibi eveniunt, totus lætitijs incederes. Si hîc in terris videres, delapsum è cælis, unum aliquem vel è sanctissimis Vatibus, ut Davidem; vel ex Apostolis, ut Paulum; vel ex Angelis, ut Gabriëlem, qui tibi certò asseveraret, & quidem ex parte Dei, esse Dei voluntatem, desideriũ, addo & imperiũ; ut hanc, quâ affligeris, æquo animo sustineres calamitatem; quia illa cederet in magnum tuæ & gratiæ in terris, & gloriæ in cælis cumulum; nónne hoc sufficeret; ut illam perferres non modò cum patientia, sed lætitia? Agnosce hîc tandem te, quæ credis vera, non credere verè. Cur non modò toleras; imò, & toto desiderio non anhelas pati? cùm idem sit hîc pro Christo pati; imò, & patiendo mori, ac cælo nasci. Illud quod tibi è cælo adferret nuntium, Paulus, vel Angelus, non debes tàm certum existimare, ac quodcunque punctum fidei: in simili enim eventu posses incertus de veritate ambigere; an non sit sub Angelo lucis, satanas; aut sub pelle ovinâ, lupus; aut spiritus malignus qui tibi illudat: & denique, cùm possis falli tuis sensibus. Igitur, si Veritas hæc ex fide certior sit, quàm si Angelus de cælo Euangelizaret tibi; cur minus te debeat commovere?

III. Nos, qui gloriamur nomine Christiano; nihil minus facimus, quàm quæ Christus. Quomodò possemus maiori odio prosequi Paupertatem; quàm, si Christus sub interminatione æterni exitij, nobis præcepisset odisse, & fugere Paupertatem? Quomodo potuissemus magis averlari Humilitatem; si dixisset: Omnis, qui se humiliat, damnabitur; quàm modò, cùm tamen promittit, eum, qui se humiliat, exaltandum? testimonium est Christi; & scimus nos Christiani, quia verum est eius testimonium: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam; quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Nos ita persecutionem abominamur; ac si dixisset: Miseri, qui persecutionem patiuntur; quia ipsorum est domus infernorum. Dicit Christus: *Beati mundo corde*, &c. Quis tamen in mundo, studet esse mundo corde? Scimus, quod Christus, sit Veritas; nec tamen plus ei credimus, quàm si esset ipsa vanitatum vanitas. Si quid nobis suadeat mundus; nobis oraculum; Si quid suggerat dæmon; nobis quasi lex est: tàm facilè illi credimus; ac si pro nobis fuisset mortuus. Ita aversamur Christi consilia, spernimus monita, contemnimus imperia; ac si illa effutijsset, vel fatuus aliquis in trivio, vel histrio ridiculus in theatro, vel Sycophanta in foro. O Deus! hoc

Matth. 5.

debeo

debeo corruptæ naturæ, quæ corpus, ut inutile pondus humi premit, unà- Decemb.
que secum colligatum animum, pronum in terram vergit. Cupit quidem anima, tanquam Aquila supra terras, & maria, & nubes; & supra quidquid est mortale in hac vitâ mortali eniti, ac defigere oculos in contemplandâ luce Veritatis tuæ; sed ah! catenâ carneâ corporis innodatus, retrahor ad ima: sed, an ideò, quia non possum sumere pennas, ut aquila, & tàm altè volare, non potero te amare? En Christe; quia tu es Dominus cæli, & terræ; totius cæli, & terræ stipatus amoribus: Tibi procumbo, quidquid hîc, vel illic immortalium flammarum collucet, illud totum tibi repræsento; ut amoris mei suppleant defectum. Illic in regione Veritatis gaudebo, videns in te uno, omne verum.

Est pro ventre merum; pro mente, & pectore verum.

19. DIES DECEMB.

Dignus planè est morte, qui tibi recusat vivere. *Bernardus super Cant.*

I. CUi potiùs oportet vivere; quàm ei, cui omnia vivunt? in quo vivimus, movemur, & sumus? qui est Auctor omnis vitæ; qui est vita vitæ nostræ; qui sibi viventibus promittit vitam æternam? An non dignissimus morte, & quidem æternâ, & in eâ pœnis sempiternis, qui recusat ei vivere; ex quo, per quem, & in quo est omnis vita? Vivere Christo; est mori mundo: mori mundo, est nihil sapere eorum, quæ sunt mundi. Sicut cadaver; si induatur purpurâ, & byssо, non erigit cristas; si ab omnibus, ut Dominus omnium, prono capite honoretur; varij proceres, eum ut Regem omni prosequantur cultu, non inflatur fastu: si illi apponantur selectissima fercula, suavissima bellaria, generosum massicum; nullum prodit famis indicium, edendi desiderium: omnia ei, quæ expetunt omnes, offerantur; ita se gerit, ac si nihil offerres; caret omni motu, & sensu. Si talem te exhibeas circa bona mundi; mortuus es mundo: & sic mori mundo: est vivere Christo. Potestnè fingi beatior vita; quàm eius, qui potest verè sine fuco dicere cum Paulo: *Vivo ego, iam non ego; vivit verò in me Christus?* Christus, est vita:

II. Quid iucundius; quàm vivere ei, qui Immensitatis suæ circulo infinito continet omnẽ beatitatem? cuius Potentiæ, nihil est arduũ; sapientiæ, nihil obscurũ; Maiestati, nihil non subditũ; Felicitati, nullũ non gaudiũ illigatũ.

Cuius

Decemb. Cuius tota vita in amoribus Diuiuis decurrat; ita ut ipſum eius vivere, nihil ſit, niſi Chriſtum diligere. Ut ipſæ, quas trahit, auræ, ſint anhelitus amoris: ut omnes cordis reciprocationes, omnes arteriarum pulſus, omnes diſcurſus ſpirituum, Chriſto dedicentur, tamquam nobiles impetus amoris: ut Chriſto cor ſe agitet; ei pulmo reſpiret; ei jecur ſanguinem coquat; ei ſanguis in venas diffluat; ei venæ micent; ei oſſa durentur; ei nervi ſe tendant; ei ſpiritus diſcurſent; ei calor vitalis æſtuet; ei medullæ pingueſcant: Chriſto denique ſoli nutriatur, vegetetur, creſcat, ſentiat, cogitet, velit, vivat, moriatur. Ut vivas Chriſto, debes ſic aſpirare ad eius amorem, ſicut corpus aſſiduè ducit anhelitum, aurámque trahit. Nam ſi corpus affluxu aëris; anima vivit influxu Amoris. Tametſi, ut amor erga ſummum Bonum ſit & ipſe ſummus, debet cum aliquo diſcrimine æmulari anhelitum corporis: corpus aërem, quem ad ſe attraxit, mox velut inutilem reijcit; & pulmonem reſpirandi officinam, perpetuâ viciſſitudine claudens, referanſque, quantum auræ hauſit, tantundem remittit. Non cadat hoc in animum tuum; ut Chriſti amorem, quem ſemel admiſit, remittat; nam quo momento hoc faceret, à morte occuparetur; unica enim Animi vita, eſt Chriſtum amare. Amoris in corde corruptio, eſt mortis in Anima generatio; illo fugiente, hæc accedit.

Pſal. 118. III. Imitare Davidem dicentem: *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum*: nec de illo remiſſo verbum adiungit. Sic cor tuum attrahat ſpiritum Amoris Divini; nec unquam illum remittat. Amor, tanquam ſpiraculum vitæ eſt; quod Deus homini à ſe formato de limo terræ ſpiravit in faciem; & reddi non poteſt, quin mors ſequatur. Amor, eſt tanquam Spiritus ſanctus; imò, eſt ipſe Spiritus ſanctus, quem Chriſtus, inſufflando, Apoſtolis dedit: & utique voluit, ut repulſus ad ſe rediret. Ama igitur Chriſtum, non reſpirando; ſed continenti tractu ſpirando Amorem. Amor eius in corde tuo exundet, atque exæſtuet tanquam mare; ſed non, ut tanquam mare refluat, & retrò vertat. Motus perpetuus, cuius inventio adhuc humana ingenia fatigat; in Amore tuo erga Chriſtum emineat. Ignis amoris tui in Chriſto amando accenſus nunquam dicat, Sufficit. Non ſit Amor tuus, ut ſol; qui ad arduam ſeptentrionis plagam enixus, curſum convertit, & iter verſus depreſſum mundi polum relegit. Nullum ſit amoris tui ſolſtitium, nulla converſio; aſcendat ſemper, ſine ſtandi mora, ſine damno relapſûs, ſymbolumque ſuum habeat, Plus vltrà. Modus amandi Chriſtum, ſit ſine modo. Et quomodò, ô Chriſte! amor meus, Divinitatem tuam ingreſſus, poſſet habere limites; cùm ad nullum appellere terminum poſſit: in immenſo igitur perfectionum tuarum campo ſe perdit; & metâ deſtitutus

non

non sistit, nec resilit; sed demum finitus, in spatio infinito euanéscit: & quo vergat, nescit. Non offendit in Te terminum, undè se reflectat; sed nec varietaté aliquam, per quam à rectitudine ardoris sui infractus feratur. Solis radius illapsus aëri, quanquam per illum se penetrat; quia tamen à puro æthere intensius elementum incidit, à recto suo tramite aliquantùm inclinatus desciscit. At amor meus, per simplicissimam naturam tuam progressus, omnesque perfectiones infinitas offendens; nullam causam nanciscitur, ob quam flammæ suæ in Te amando lapsum etiam modicè inclinet. Itaque modus, & motus amoris mei sit unica tua voluntas: solumque velim, quod tu ames; solùm amem, quod tu velis. Decemb.

Quod cupis, ipse volo; quod non cupis, hoc quoque nolo.

20. DIES DECEMB.

Illa est vita hominum, ubi est lumen verum, quod illuminat omnem hominem. *S. Augustinus annot. in Iob c.* 10.

I. SIc se habet Deus erga genus humanum, & Christum: sicut oculus erga obiectum suum, quod est, colores, & lux; sine luce omnes colores sunt inaspectabiles. Tollatur fons omnis lucis, Sol; & hortis venustas, nemoribus viror, campis amænitas, palatijs splendor, mundo sua forma perijt. Lux gemmis, lux floribus pulchritudinem præstat: à luce smaragdus, & amarinthus virent; adamas, & narcissus albent; hijacinthus, & crocus flavescunt; pijropus, & rosa purpurascunt. Sic Christus, lux mundi, facit, ut Deus respiciat homines aspectabiles iam, & acceptos illi; qui pridem in tenebris, & umbra mortis iacebant. Lumen est primum, & maximè visibile: per illud, reliqua videntur; & solùm videntur, quia illud participant: nam cum luce, aut in luce, aut per lucem colores videntur; in colore, lux; cum oculo, lux: per medium aërem, lux est. Ita Christus est, quod oculis Divinis primùm, & maximè visibile est: cæteri homines solùm, quia participant Christum, per ipsum, cum ipso, & in ipso videntur: ipse nos reddit aptos, & dignos eius oculis. Tota gloria, & gratia colorum, lux est, lucis beneficium est: tota gloria, honor, & gratia hominum, Christus est, Christi beneficium est. Noctu, res pretiosissimæ, quia non videntur, nullius videntur esse pretij: perindè sunt, ac si non essent. Ita sine Christo, castitati nitor, Christus, est lux mundi.

Digitized by Google

Decemb. fortitudini Decus, Modestiæ gratia, Prudentiæ fulgor, Pietati meritum, Spei præmium, fidei utilitas occubuit.

II. Sine luce, pulchra, & deformia, æqualia sunt: sine gratia Christi, perindè est acre, & subtile ingenium, ac bardum, & hebes. Reliquæ naturæ, artis, diligentiæ dotes, tantundem sunt, ac si nihil essent. Lux, anima est colorum: sine qua illi non magis, quàm umbræ resplendent. Et Christus anima est virtutum; sine qua illæ, ut Laruæ mortuales pallent. Christi gratia, omnibus animi dotibus venustatem accersit: Ab ea speculum accipit Prudentia; libram Iustitia; columnam fortitudo; frænum, & mensuram Temperantia. Cælum, & Sol beneficus est per lucem duntaxat, per quam omnia operatur: Sic Deus, solùm per Christum beneficia sua largitur. Cælum non admittit aliam qualitatem simplicem ex nostris, nisi lucem: ita neque in cælum ascendet homo; nisi in quem Christus splendeat: neque oratio bene admittetur, in qua Christus non sonet. Inter humanas opes, nihil pretiosius gemmis habetur: gemmarum autem pretium, & taxationem, lux, & splendor auget: tantò quæque pluris æstimatur, quantò plus fulget. Indè gemmarum primas Carbunculus, quia cæteris claritate præniter; & earum luci, sua luce obscuritatē adfert, maximi est pretij. Inter res omnes conditas, illæ sunt pretiosissimæ, quæ rationis, & intelligentiæ sunt capaces: harum porrò valorem, amor in Christum auget. Quò magis Christum amat, eò pluris à Deo æstimatur. Sol, inter planetas; oculus, inter sensus, regnum obtinent: quia ille lucis est parens; iste, lucis hospitium. Et cor, inter membra principatum gerit, quia Amoris est regio, imò regia: sed veluti sol, quo formosior est, cùm purè luce niter, eò est horridior, cùm subeunte lunâ defectionem patitur. Ita cor, quò luculentior eius est species, cùm amore Christi illustratur; eò turpius squallet, cùm infusis peccatorum umbris, Amori eclipsin accersit.

III. Quid adhuc humana gaudia, tanquam nocturna sidera fulgore exili, & ad diem inuehendum nihil profecturo, cordi meo irradiant? Quid aspicio in nocte mundi istius, hæc bona mortalia, quæ tenui hinc indè luce conspersa scintillant tanquam obtenebrati cæli imagines, quas aurea quædam stellarum, umbris interludentium, puncta insigniunt, ad quorum tamen emicantem fulgorem, mundus diem admittit? Quid, me Andromoda aliqua, aut Cassiopea, in obseruando oculorum suorum sidere fixum, immotumque detinet? Quid, me alicuius Berenices coma illaqueat? Quid, me corona honoris, fulgore suo percellit? Quid me voluptatis Lyra tàm blandè demulcet? Quid me auratus diuitiarum Aries, suâ luce perstringit? Quid hæreo in Pegaso humanæ eruditionis? Ah junge currum Sol iustitiæ Christe,

Digitized by Google

Christe,Sol meus!indue rutilantes crines; diffunde radios, & flammantibus rotis inuehere in cælum cordis mei:omnesque illas,quas enumeraui, exiguas sanè lucis guttulas, exuberantis fulgoris tui mundatione absorbe. Tum etiam cæteros affectus;qui tanquam planetæ,vago,errantique cursu, in animo meo lucebant,tuâ claritate extingue : & effuga à me Saturni pigritiam,Iovis superbiam,Martis iracundiam, Mercurij fallaciam,Veneris lasciuiam,Lunæ levitatem.Exorere,ô Sol meus, supra horizontem cordis mei,& terrificas timoris mei vmbras expelle!Quid sunt stellæ,sine luce;nisi informes globi?quid sunt virtutes,sine gratiæ tuæ lumine;nisi deformia vitia?Da mihi amore tui lucere,& ardere,ô amor meus!ô ardor meus! ô lux mea!ô Deus meus! Decemb.

Lux decorat flores;sic Christi Gratia mores.

21. DIES DECEMB.

Eamus & nos;& moriamur cum illo. *Ioan.*11.

I. PRæmittimus Christo volenti pro nobis nasci,Thomam volentẽ pro Christo mori.Hæc pauca impauidi Thomæ verba;quemcunque etiã infantem,redderent verbosissimum Oratorem , si quæ in recessu abdita latent,penetremus:*Moriamur cum illo?* Quàm multa,quàm paucis!sed Thoma,fortassè magnificentiùs, quàm veriùs illa iactas ? forsan te fugit, quid sit è vita fugere?ignoras,quid sit mori? Mors terribilium omnium est terribilissimum. *Moriamur?* Nihil coram illo potest esse terribile, qui terret ipsum Terrorem. Sed memineris, multos toto contremuisse corpore;toto exhorruisse animo,adituros vel pericula mortis , quid obituros mortem? Hæc dicas militibus, qui nihil secum deferunt in bellum , præter animum imbellem?scias te alloqui Thomam, hoc est,militem Christi; sub cuius signis stipendium facere,est pericula;ut eueniant, cum voto expetere; cùm euenerint,sine metu excipere. Quid, si lictor securi te feriat?feriat lictor, perferet Thomas,etiam tunc securissimus,dum subiiciam ceruicem securi?Quid,si sæuus carnifex lento supplicio te torqueat, in equuleo ? vel sic ligatis pedibus curram per stadium,ut apprehendam brauium ? Quid, si Tyrannus,omnem ex omnibus venis,inusitatâ carnificinâ extorqueat sanguinem ? quâ datâ portâ ruat ex omnibus eius poris copiosè sanguis. Tali sequitur de vulnere vita.Potius miserabilis est,qui sic cædit, quàm qui sic cadit. Laus S. Thomæ.

Digitized by Google

Decemb. II. Quid, si bustuarius aliquis gladiator, aut sanguinarius lanista totum corpus subiiciat flammis? Dum minaris flammas, iam totum, ut totus torreat, it pectus in flammas. Vnus mihi est ardor, pro Christo ardere. Non tam cupidè se volutauit vel Heliogabulus in rosis, vel Sardanapalus in plumis; quàm ego pro Christo in flammis. Hæc prò percitus æstro Thomas pro Christo, tum conuersus ad socios, illis classicum canere: Agite, inquit, Commilitones; ad eam deducti sumus necessitatem, ut nos iam oporteat prodere nostram, vel cum formidine ignauiam, vel cum audacia constantiam. Iam nolle sequi Christum, inexpiabile erit probrum. Quid timemus coram illo, quem timent omnia timenda? quid nos terret? periculum! quasi verò tunc futuri simus à periculis eximij, quandò ab eo erimus remoti; sine quo nec ipsa secura est securitas. Affectandum esset cum illo moriendi periculum, & vltrò oblatum fugiemus? Certum cum illo habemus morituri solatium; habebimus mortui præmium. Ambirent alij, quod nos imbelles metuimus. Præ ipsa optandum est vita, mori vel coram illo: quid pro illo? Imò nihil in tota vita est miserius ipsâ vitâ, si Christo mortuo viuamus. An forsan interpretamini miseriam, desinere esse miserum? quid dicet tota posteritas; dum intelliget Christum, quos sibi elegerat in vita discipulos, non habuisse in morte socios?

III. Vos meticulosi, per me licet, fugite? insequetur fugientes perfidia, infamia; & quæ illius est comes, pœnitentia. Stabo ego, & sine metu perstabo in gradu: non prius stationem desertturus, quàm me vita deserat. Cum illo ero, non tantùm contra pericula audax; sed inter pericula lætus. Itaque, vel ab illo viuus stabo, vel pro illo mortuus cadam. Quid dico? viuet etiam post mortem Thomas: modò Thomâ mortuo, viuat Christus. Ubi nunc est vox tua Petre; quâ nunquam locutus es de Christo verius, pro Christo fortiùs? *Tu es Christus, Filius Dei viui.* Si Filius Dei, igitur Auctor
Mat. 17. vitæ; igitur & vitæ nostræ Dominus: si Dominus; nos pro illo mori non tantùm decet, sed oportet. Quare, vel refugere pro illo vitæ amittendæ subire discrimen, summum est crimen. Imò scelus est, vel dubitasse; an cum illo velimus mori; quid nolle mori? vos, si lubet, quod non licet, capescite fugam; mihi certum est, pro illo oppignorare vitam. Mori prò Christo, est nasci cælo. Talis mors digna est, quæ non deploretur, quasi luctuosa epicediis; sed celebretur, quasi gloriosa epiniciis. Hæc Thomas coram Christo, & pro Christo; vir in causa Christi promptus, nihil non audere. Sic loqui, non est hominis fortis; sed ipsius fortitudinis. Nos, dum expectamus Christum nasciturum; ardore simili, verba proferamus dissimilia. Eamus, & nos, & nascamur cum illo? Eamus, non cum Apostolis in Ierusalem;

Digitized by Google

rusalem;sed cum Pastoribus in Bethleem:& tanquam modò geniti infantes nascamur cum illo;ut renascamur cum illo.Moriamur mũdò innascamur Christo,ut æternùm viuamus Deo. Decemb.

Ex te Christe sacra,felici est sidere natus.

22. DIES DECEMB.

Nemo tibi Christum potest auferre; nisi te illi auferas. *Ambrosius super Luc. l.5.*

I. IN vno Christo,nos habere omnia;salus est omnium, nisi saluari nolumus.Sed & hæc est summa nostra felicitas,non modò Christum nobis esse omne bonum;sed nec illud posse à quoquam, vnquam, aut vsquam auferri;nisi nos ipsi auferamus. Nemo enim Christum amittit; nisi qui à se demittit. Iam natura humana expectatione tam diuturnâ tot sæculorum,suspensa & cupida videre Dilectum, exclamabat, non sine immenso gemitu cordis: *Quis mihi det,ut inueniam te foris,& deosculer te?* quasi diceret:non ego te quæro Dilecte mi,prout intuses in sinu Patris,quia sic lucem habitas inaccessibilem; & non est, qui poterit ad illam accedere. Exi à Patre,& veni in mundum, ut inueniant te homines foris. Non te quæro in cælis,vbi iugiter videris ab iis,qui intus sunt,Angelis. Magis autem clamo: *Rorate cæli desuper;& nubes pluant iustum.* Non quæro,ut in forma mihi appareas Angelica; quia teipsum requiro Dominum, & caput Angelorum. Te requiro;de quo Pater,introducens *Primogenitum in orbem terræ*,dixit:*Et adorent eum omnes Angeli.* Non Te requiro in typis,& figuris, in sacrificiis veteris legis; vmbram enim habuit lex futurorum bonorum, non ipsam substantiam. Suspiria, ad Christi Aduentum. *Cant. 8.* *Isa. 45.* *Heb. 1.*

II. Non in scripturis Diuinitùs inspiratis Te quæro: Hæ siquidem, non ipsum Te;sed testimonium perhibent de Te,tuique ingerunt memoriam,& excitant desiderium.Non in creaturis siue rationabilibus,siue irrationabilibus Te quæro:illæ enim,Imaginem, & similitudinem tui; hæ solùm repræsentant vestigium. At ego non aliquid tuum, quale idcunque tandem sit;sed Te,ô Dilecte votorum meorum,teipsum requiro! Hoc, scilicet,opto,hoc flagito;ut Te Verbum vitæ,quod fuit ab initio apud Patrem,carne indutum,videant oculi mei, manus contractent, brachia amplexentur,labia deosculentur, lingua alloquatur; & quanta, quanta sum, tota tibi indissolubiliter coniungar,& viuiar: *Tibi dixit cor meum*,ô Deus

Decemb. Psal. 26. cordis mei *exquisiuit Te facies mea; faciem tuam, Domine requiram.* Ardentia hæc sponsæ desideria; & nos quoque peracta iam tot sæculis Christi Incarnatione concipere poterimus eo tempore, quo Ecclesia expectat, quasi venturum in carne Messiam. Suauiter hîc Bernardus: *Serm. 4. de Adven.* *Dignum est, Fratres, ut totâ deuotione, Domini celebremus Aduentum; delectati, tantâ consolatione; stupefacti, tantâ dignatione; inflammati, tantâ dilectione.* Non inuenitur Christus inter carnis delitias, sed præsepij paleas; non inter lolia, sed lilia, Mariam, & Ioseph; non iudutus purpurâ, & byssô; sed inuolutus pannis.

III. O Iesu! nunquam satis amate, nunquam satis amande, transilias licet colles, & salias in montibus, similis capreæ, hinnuloque ceruorum; sequetur te pernicibus alis Amor meus. Quæ loca penetres, quâ caligine te abdas, ut me in pænetralia, & cubilia tua Amor non ferat? In sole metaris tentorium tuum? Ecce ibi amo te Solem Iustitiæ; cuius pulchritudinem sol, & luna mirantur. Inter sidera Te collocas? Ecce ibi amo Magnificentiam tuam, quæ tam illustre mundo theatrum adornauit. Vltra stellas Te euehis, & in mediis beatarum mentium choris resides? Ecce ibi amo Munificentiam tuam, quæ tam inexplicabiles delitias mihi apparuit. In terram te condis? Ecce ibi amo immobilem Æternitatem tuam; cuius memoriam, stabilitas terreni globi mihi excitat. In montes Te recludis? Ecce ibi amo diuitias tuas; quarum vmbratile vestigium sunt illa metalla, quorum cupidine insanientes mortales, montium sinus cuiscerant. In nemora, & hortos prodis? Ecce ibi amo amabilitatem tuam, quam mihi frondosa siluarum, herbida camporum, hortorum florida amænitas, velut in imagine cognoscendam obiicit. Oceano, & fluctibus innatas? Ecce ibi amo Potentiam tuam, quæ vndis litora circumfundit, & vsque eo minaces procellas cogit elisas retrò spumescere. In aërem Te diffundis? ecce ibi amo sapientiam tuam; quæ nubes, & ventos, & pluuias, & tonitrua, & fulgura, & rores, & nebulas, & irides, incognito humanis mentibus artificio excogitauit. Inuoluis te fæno, & paleis in stabulo? Ibi demum, te totum toto corde amo; illic enim mihi, quàm alibi vsquam es amabilior, quia pro me vilior. Eris honorabilior in humilitate Bethleem, quàm Salomon cum omni gloria sua in Ierusalem. Plus te admirabor inter stipulas fæni, quàm inter stellas cæli. Plùs me tibi obligabis, & fortiùs me tibi ligabis, tuis quibus involutus es pannis; quàm si me locupletares omnibus totius mundi thesauris.

Est, quò Christe iaces, fœnum, in terris mihi cælum.

Digitized by Google

23. DIES DECEMB.

Venit de cœlo magnus Medicus, quia per totum vbique iacebat ægrotus. *S. Augustin. sup. Ioan.* Decemb.

I. ANte Christi è cœlis descensum, quid erat mundus, nisi ut probatica illa piscina, *in qua iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum*; quia necdum venerat ille, per quem cæci vident, claudi ambulant. Et quia Filius Dei necdum fuerat homo factus; quilibet homo poterat dicere, quod infirmus ille. *Hominem non habeo*; cui, videlicet, sit illa potestas tollendæ infirmitatis. Itaque, in toto genere humano, *à planta pedis, vsque ad verticem capitis, non erat sanitas*: opus ergò fuit; ut descenderet in piscinam, non Angelus; sed Deus homo, qui est charitas. Iam euoluta erant vltra quadraginta sæcula, & necdum Medicus. Tamen diffluebant liquidissimis gaudiis, suspiciendi illi Patriarchæ, & Prophetæ, vel ob promissum tantum Medicum; eiusque Aduentum ardentissimis desideriis expetebant, & cum clamore valido, atque eiulatu multo cælum noctes, dies-que pulsabant; optantes rumpi cælum, aperiri nubes; ut tandem veniret, & infirmis subueniret. Vtinam tantum esset post eius Adventum nobis gaudium; quantum illis, ad eius Adventum fuit desiderium. Age Anime! compone hominem ex maximorum Heroum dotibus, totum ex miraculis conflatum; in quo vno esset sapientia Salomonis, fortitudo Sampsonis, Pulchritudo Absolonis, fides Ionathæ, Castitas Ioseph, Mansuetudo Dauidis; & quæcunque alia, vel naturæ, vel gratiæ decora. Quis non anhelaret ad illius conspectum? quis non ambiret illius vti commercio, & si posset, frui contubernio? Christus Medicus. *Ioan. 5. 3.* *Isa. 1. 6.*

II. Agnosce homo, tuam dignitatem, æstima felicitatem. Venit tandem tam diu; ut veniret desideratus, à tam multis tam multùm expectatus, ab omnibus tot sæculis exoptatus: nec tantùm venit in mundum, sed ad te in mundo, imò in te. Quis ille? Cui efformando, tota se Dei Potentia, Sapientia, Bonitas impendit: sic, ut illustrius opus nullum, neque Potestas eius exequi infinita, neque perfectius Potentia excogitare, aut Amor æternus velle possit. Deindè Pater eius abiecit ad illius pedes omnes totius vniuersi, res à se procreatas; imò submisit illi omnes suas perfectiones in omni genere infinitas, permittendo arbitrio ipsius sanctissimæ Humanitatis, Omnipotentiam ad patranda miracula qualiacunque, & quotiescunque

Decemb. cunque liberet: Bonitatem, ac Misericordiam, ad condonanda peccata: Sapientiam, ad iudicandum. Cum hoc Homine-Deo, potest tibi esse continuum commercium Miser ergò, & miserabilis, quisquis es, cui, carum adeò aliquid esse potest; ut præ Iesu, illud æstimare, ipsiuè denegare audeas? Cælestis Pater, nihil ei negat; tu illi nihil non negas: dedit illi totum suum Regnum; tu illi ne cor quidem: dedit illi omnem suam gloriam, magnitudinem, Majestatem, thronum, & Omnipotentiam suam, cum ipso communicando. Nihil omninò fuit, quod pluris, quàm Iesum faceret: ipsum elegit Principem Prædestinatorum: eius amore, & reuerentiâ mundo aliàs perituro pepercit. Iesus, primogenitus est omnis creaturæ; cuius causâ, & in gloriam, cuius Pater facit omnia; nihilque negat, quod in Iesu nomine petitur. Quonam itaque modo cor illi tuum dare renuet luteus homuncio?

III. O ingrata anima, quæ nunc eo fueris, quem Sancti Patres inflammatissimis studiis concupiscebant, eminusque venientem amicissimè consalutabant! quomodò non præ magnitudine gaudij rumpuntur tibi omnes venæ; & præ amore totus, quantus es dissolui? Christus iam tibi natus est; tibi passus est; tibi fleuit in præsepio; tibi mortuus est in patibulo. Tuis, tu, oculis vsurpasti, tuisque tantùm non manibus palpasti; admirabilia inventa nimiæ illius Charitatis, millies experta es, dum penitissimas medullas tuas, & intimum cor tuum, ad illud in amorem mutuum solicitandum subijt; & perlibenter, ipsissima mundi pulchritudo, Patris Imago perfectissima, gaudium Seraphinorum, & voluptas Angelorum omnium. Amabo vos, ô venerandi Patres, ac Patriarchæ! nunquid intueri optastis Iustum Iustorum? Ego, qui peccatorum primus sum; sæpè sæpiùs tenui illum in corde meo; attigi illum labiis meis, & dedi illi osculum pacis. Quem videre voluistis? an desideratum cunctis gentibus? Illo ego iam beatus sum, illo potior, illum suavissimè amplector. Quem videre voluistis? nónne desiderium collium æternorum, & excelsissimorum Seraphim? Vidi ego illum abiectum, & humiliatum mei causâ vsque ad opprobrium crucis; vidi genua flectentem, & advolutum pedibus vilium hominum, ipsiusque Proditoris Iudæ. Quem videre voluistis? speciosumnè præ filiis hominum? Mecum illum habeo, comedique non solùm cum illo; sed ipsummet, ac gustaui suauitatem eius, fauumque libaui, & panem Angelorum. Quî fit igitur, quòd bona mea tam parùm norim? quòd non magis exultem, ac triumphem? quin gaudio exuberante dirumpitur pectus meum? dum eo potior, illum possideo, arctèque stringo complexibus; *quem, multi adeò Prophetæ, & Reges videre voluerunt, & non viderunt?* Et hæc omnia, ô ingrata

Mat. 13. 17.

grata anima,accepisti citra tua munera! potes laudare beneficia, & debes amare Benefactorem;non tamen te laudes;quia tibi benefecit. Quia, Decemb.

Qui sese laudat Christi se munere fraudat.

24. DIES DECEMB.

Quanti te fecit Deus;ex his,quæ,pro te factus est,agnosce. *Ber. ser.1.de Epip.*

I. SI dubites,ô homo,quanti te Deus fecit! vide, quid Dei Filius pro te sit factus? A novem mensibus, in vtero Matris pro te homo factus; cras,item pro te,apparebit homo natus. Tandem aliquando post diuturnam tot annorum,lustrorum,Olympiadum,sæculorum expectationem; post tot captiuorum è limbo eiulatus;Patriarcharum suspiria;Prophetarũ vaticinia,cæli clamores,terræ gemitus;adest nobis,singulari Dei Præpotẽtis beneficio dies ille expectatissimus,antiquæ legis vltimus, novæ primus; dies,ad quem aspirantes,tã tot annis,& mensibus; tot diebus,ac noctibus, irrequieto,ac indefesso studio,& labore gemimus. Adest dies plenitudinis tẽporis;ad quẽ,quasi ad horæ vnius integritatẽ, & cõplementum, singula momenta in dextrã,sinistramq; partẽ,per singulos gradus iactabantur: ad quẽ,quasi ad centrum mundani horologij pondera indefatigabili motu ferebantur. Et Sol ipse dierũ,atq; annorum parens,eosdẽ cursus iterũ,iterũq; repetebat:si fortè tandẽ aliquandò maiorẽ illum solẽ aspiceret,qui tẽpora novit,& momenta,eaq; habet in sua potestate. Circa quẽ,quasi cardinẽ versantur omnes dies sæculi,& qui eũ præcesserũt,& qui,deinceps secuti sunt, & qui,porrò orientur,& occident in omnes annos consequentes. Est dies mundi criticus,atq; decretorius:Mundi iam penè animã agentis,ut ab Auctore suo reparetur;& statũ meliorẽ, atq; adeò florentissimum restauretur. Iter in Bethleem.

II. Imò,dies placabilis Domini:quo cogitans cogitationes pacis,& nõ afflictionis;mundum, tacitis clamoribus invocantem,Sanctos omnes dico;in primisque B. Virginem,cum vniuersitate creaturarum exaudiuit. O quãta hîc mysteria! Deum fieri hominẽ;nasci ex Virgine,instabulo;iacere in præsepio;involui pannis;sugere vbera. Ut immensa hæc cælorum,terrarumq; moles è nihilo produceretur;eumque acquireret statum,quem cernimus, meritò admiramur. Ut decem mundorũ millia huic paria,aut etiã majora, & præstãtiora procreentur;quid opus tunc fuit,aut necessariũ foret,præter nudũ,ac simplicẽ consensum Divinæ Voluntatis? At efficere;ut tãtus,tãq; potens Artifex, sit verus Deus,& Homo:ut Virgo,sit Mater; & Mater, sit Virgo:ut,qui ab æterno est genitus,verè gignatur in tempore:ut is qui tãtâ simplicitate est;ut eius essentia,existentia,subsistentia,substãtia,natura vnũ sint; sit verè compositus ex duabus naturis,in vna numero persona,coniũctis:rursus;ut vna mulier fiat eodem momento, Dei Filia,Sponsa,Parens; id demùm opus magnum;ipsis quoq; cælitibus admirabile,ac planè Diviũ est. O Virgo inclyta! quæ iam cũ tuo Sponso occupas Bethleem suburbia, utpotè partui proxima,speciosa facta es,& suauis in deliciis tuis;ex quo gau-

Decemb. dium Angelorum, & delicias humani generis possidere incepisti : quàm glorioſa dicta sunt de te, ciuitas Dei! ex quâ homo, & homo; sed Homo-Deus; homo Redemptor, & homo redemptus; homo victus, & homo captiuus, receptus est in te.

III. Sed, & tu Anima comitare Virginem, quam cum sacro partu euntem comitantur plus quàm duodecim legiones Angelorum. Nam tibi iam inculco illud Paulinum; ut, quæ sursum sunt, quæras; sed non quæ super terram. Nam cæli Dominus inclinavit cælos, & descendit ad terras; ut quærat vbi, qui est caput nostrum, caput suum reclinet. Age igitur, ab ætheris palatio, ad paupertinam casam; à stellis, ad paleas; à lunâ, ad Virginem, quæ est pulchra, ut luna; ab Angelis, ad iumenta; à Diuinâ Numinis tui formâ, ad humanam Christi speciem delabere. Age! collige Bethleemiticæ specus paleas; super quas, ô qualis! ô quàm radians! ô quàm flammans carbunculus iacet! Iam tota spelunca, ut olim Sinai montis vertex, ardet; & ex mediis flammis, leges Amoris dictat, Deus Amoris. Infans nudus, & inermis exarmabit illic potestates tenebrarum. Ille paruus, immensi Amoris Deus, vix natus infans; non manus, quæ fasciis ligantur, sed oculos suos expedit ad corda omnium hominum vulneranda. Ab arcu superciliorum suorum, radiantis luminis tela passim euibrat. Nec mirùm, aspiciendo vulnerat, & videri, est tangi. Tela eius, ipsi oculorum sunt radij. Quid igitur mirùm? si ferit, cùm videt; cùm ferire, sit videre? Tua, ô Christe, Pulchritudo! tua est contra me Fortitudo. Tuâ facie nihil non facis, dum eâ, in omnibus accendis faces. Es toto inermis corpore, & tamen, vel sic me toto lædis pectore. Vel vnicum tuum ad me verbum, est mihi pro corde amoris telum.

Vis magna est herbis; Christi sed maxima verbis.

25. DIES DECEMB.

Christus solus sic potuit nasci, ut ei opus non esset renasci. *Augustin. Enchrid. c. 48.*

Christi Natiuitas est omnium felicitas.

I. NAscere tandem aliquando post tot sæculorum luctum, atque squallorem, ô parue Deus! ô magne puer! tam impatienter expectate, quàm vehementer expetite. Nascere; nunc enim ingemiscit omnis creatura. Princeps tenebrarum, per vniuersum mundum cæcâ errorum caligine

ligine circumseptum, impunè debacchatur: Omnis iam mundo proscripta est Pietas, exterminata Religio, prostrata Virtus; nullus Tui est cultus; nullus Patris est metus, nulla lex, nullum ius, nullus ordo; confusa omnia, sacra, profana, humana, Divina. Nascere ergò; Tu ipse testatus es, ore Sapientis, cùm dixisses: *Omnia, tempus habent.* Tempus, inquit, *nascendi.* Nascere, expectat Te cælum, ut tuâ illustretur gloriâ; terra, ut tuâ fruatur clementiâ; Angeli, ut restauretur illorum ruina; homines, ut per Te consequantur salutem: expectant Te omnes miseri, ut tuam experiantur Misericordiam. *Tempus nascendi.* Nascere: *iam enim nox præcessit; dies autem appropinquauit.* Expectat Te Mater tua: ut te osculetur osculo oris sui, ac pannis involuat: expectat Te Iosephus, ut te Deum in carne adoret: expectat Te bos, ut cognoscat Te possessorem suum: asinus, ut cognoscat præsepe Domini sui: expectat Te militia cælestis, ut evangelizent gaudium magnum; Pastores, ut Te salutent: Magi, ut munera offerant, Simeon, ut Te excipiat in vlnas suas: expectant Te cæci, ut videant, claudi, ut ambulent; leprosi, ut mundentur, mortui, ut resurgant. Denique, cælum, terra, Angeli, homines, totaque rerum vniuersitas, Ortum tuum fortunatissimum, tanquam rem omnium expectatissimam expectat, ut tui vnius Nativitas, sit communis omnium felicitas.

Decemb. Ecc. 1. 3. Rom. 8.

II. Cùm ergò iam quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet: & cùm iam venisset plenitudo temporis, & Matri eius, impletum esset tempus pariendi: cùm iam tandem eluceseeret illud momentum tanti momenti, quo debebat apparere Benignitas, & Humanitas Dei Incarnati, Vnigenitus Æterni Patris Filius: qui ante novem menses, propter nos homines, & nostram salutem descenderat de cælo, & conceptus fuerat de Spiritu Sancto, natus est ex Maria Virgine: sic tamen, ut, quæ ante partum Virgo, quoque permanserit in partu, & post partum. Famâ vulgatâ de Salomone nostro; non fuit media pars eorum, quæ experiuntur, qui eius faciem intuentur, præsertim Regina, Mater eius, quæ sine dubio, immensa & accensa amore, & oppressa stupore, præ vtroque non habebat vltra spiritum, vtpote, tota repleta Spiritu Sancto. Quoties tunc ingeminabat illud suum cæleste epos: *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo?* Si Præcursor Domini, exultans in gaudio in vtero Matris suæ, quem necdum videbat: sed adesse tantùm credebat: quomodò exultabat spiritus eius in Deo, iam Filio suo, quem & coram videbat, & in sinu gerebat: præsertim, cùm se & Matrem sentiret, & Virginem sciret: itaque enixam esse, factamque puerperam, ut sine diruptione vteri, sine claustri Virginalis violatione,

Luc. 2.

Decemb. Virginitatis gloriâ permanente, Lumen æternum mundo effunderet, Iesum Christum Dominum nostrum.

III. Deindè, cùm immunem sentiret à dolore partum: vacuum omni sorde puerperium: neque enim illa antecesserant, quæ deberent, & solerent carnis dolore, gemitibus animi, corporis sordibus expiari. Nónne paruulus ille Deus è præsepio videns ciuitatem sibi tam vicinam Ierusalem, flevit super eam, quia ex omnibus eius civibus, qui illum cognosceret, aut inviseret, non erat vsque ad vnum. Ingredere homo audacter stabulum: tu antea, ut bos comedisti fænum terræ, adest hîc pabulum tibi conveniens fænum: tu factus es, ut equus, & mulus, sunt hîc, quibus, ut tui similibus gaudeas, bos, & asinus. Qui ergò, similis factus es iumentis insipientibus: accede, ut iumentum ad præsepe. O magne Amor, paruum Numen! En ego me submitto ditioni tuæ! en ego me dedo imperio tuo! en ego me consecro arbitrio tuo! en ego inclino collum servituti tuæ! Ah! quid hîc stant iumenta duo? An forsan à Te iugum expectant? En ego! ô Divine Puer, cervicem meam vinculis tuis præbeo! ne præferas me bestiis? qui me creasti, ut dominarer bestiis terræ: ah me innoda, & illiga iugo tuo! An forsan adsunt, ut venant currum triumphi tui? Ah ego! ego quoque huic muneri succedam. En corpus, & anima mea, facta sunt, ut duo iumenta ante Te. Conscende currum præsepij tui, insside fæno tuo: ego iungam iumenta mea, & Te toto orbe circumveham, atque elatâ voce clamabo: Sic triumphat Amor:

Volvitur in pannis, nullis qui clauditur annis.

10. DIES DECEMB.

Heri, præsepis angustia Christum portauit Infantem: hodie, immensitas cæli susceptit Stephanum triumphantem. *S. Fulgentius de S. Stephano.*

N. tivitatis Christi varia mysteria.

I. TOtanon sufficit æternitas, ut dignè expendantur Mysteria, quæ Christi complectitur Natiuitas: quapropter non transiliam tam citò de Bethleem, vbi natus est Deus infantulus, ad Ierusalem, vbi passus est Stephanus eius famulus. Maxima laus est Stephani, potuisse inter omnes,

nes, primum pro ipso mori, qui dignatus est pro illo nasci. Plus me allicit Decemb.
præsepij angustia, in quo Christus iacet, quàm immensitas cæli, in quo Stephanus triumphat. Verè, qui iacet in fæno, plus quàm Salomon hic: cuius gloria, non auro de Ophir, & argento constat, non ebore, Indicisque gemmis, quæ mox Ægyptiorum præda fiant: sed immortalibus æternæ Patriæ bonis. Vis videre, quomodò stabulum glorioſius est aureâ Salomonis domo? & vile præsepium cothrono, cui parvulum inventum est opus in vniuersa terra? Quis est, qui si superba illa spectauerit: quæ ob prodigium operis appellantur septem mundi miracula, caput, venerandi causa, aperiat? quis non, ad Christi præsepe adorandum, venerabundus prosternitur? quis ad illa honoranda, vti hoc præsepe, maria, terrasque perlustret? Quanta gloria est, persuasisse mundo, & Matrem illam, esse Virginem, & pauperculum hunc Infantem, esse Deum! quanta gloria est, tam vilia, reddere tam glorioſa!

II. Sed à præsepi, & Agnello, qui iacet in præsepio, descendamus ad Pastores ovium. Quàm inopinata fuit illis immensa illa, quâ in concubia nocte perfusi sunt lætitiâ, ad inusitata, quæ perceperunt nuntia? Vigilabant super gregem: & mox iuxta illos sterit Angelus Domini, ut facilè exaudiri vox posset, & inter illos, radiante fulgore circumfulsit: erat enim Angelus lucis, lucem habitans inaccessibilem, lucem amans, & secum inuehens: deniique lucem magnam exortam mundo nuncians, populo, qui habitabat in tenebris, & regione vmbræ mortis. Angelica lux inexpectata, ac repentina, & in nocturnis tenebris lucens, subitum timorem incussit talium visionum, ac visitationum insolentibus: itaque, *timuerunt timore magno*: mox *Luc. 2.*
tamen gavisuri gaudio magno. Nam fulgur, suo fulgore terret, nec lux in tenebris, minus horretur, quàm densæ tenebræ in medio die. Pertimuit autem & lux, & timor ad attentionem: nam qui timent, arrectis auribus adstant, & ad opinionem rei novæ, & in primis seriæ conciliandam. Quia tamen nimius timor perturbat, & confundit hominis mentem; Angelus eum efficaci voce moderatur, dicens: *Nolite timere.* Gaudij enim, & fiduciæ vobis apporto nuncium: nec vobis tantùm, sed populo, nec vestro tantùm, sed omni populo. Quod autem, maius gaudij argumentum, quàm patefactus aditus ad gaudia sempiterna? Quicunque in carcere mundi huius, & vmbra mortis sederis, oportet natum vobis gratulari Salvatorem, qui à seruitute dæmonis, & peccati, asserat vos in libertatem filiorum Dei.

III. Natus est vobis hodie, nec vltrà dicendum est: *Ecce venit.* Promissa, in rem deducta sunt: venit, descendit, adest, natus est: & vo-

Decemb. bis natus est, & qui erat similis nobis in cælis, similis factus est vobis in terris. Ipse est Christus, vnctus omni gratiâ, Regiâ, Propheticâ, Sacerdotali: Christus Dominus, non civitatis David, aut cuiuspiam singularis loci: sed Dominus cæli, & terræ. Et quia Parentes illius nó nominabant, neque hospitij domus designabatur: aliquo signo, res monstranda erat, ut inveniretur, & agnosceretur. *Et hoc vobis signum*, inquit: *Inuenietis Infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.* Neque oportuit distinctiùs locum ab Angelo notari; nam speluncam Divini puerperij, in aditu ipso, ac suburbio Bethleem erant inventuri. Verè, signum magnum apparuit in cælo, Deus in fæno. Vix Orator ille cælestis, finem dicendi fecerat: cùm multitudo militiæ cælestis, quæ Divinum legatum comitabatur: & in tantæ, tamque inauditæ rei miraculo, iam dudum stabat defixa: silentium rupit, & consonâ voce nobilissimum inchoavit hymnum: ut exemplo suo mortales incitaret ad laudandum Deum. Apparet autem, eos inter canendum visos esse cælum ascendere, nec Pastores interrupisse musicam longè suavissimam: sed attonitos quamdiu licuit attendisse, dum minus, minusque audiretur. Dum autem illi, incepta hîc cantica, in cælum non intermissa transferunt; ibique vel hunc ipsum hymnum, vel illud trisagium, summâ audientium voluptate, indefatigabiles integrant; Pastores sibi ipsis redditi, inter se colloqui, seque mutuò ad Bethleemiticam profectionem invitare cæperunt: eoque mox, cum festinatione profecti, agnoverunt accepti Nuntij veritatem: quod mox spaisêre in vulgus; & eos, qui audierunt, propriæ admirationis, & gaudij participes effecerunt. Hîc habes compendium mirabilium, quæ fecit mirabilis Dominus; non tantùm mirabilis in sanctis suis, sed in pannis suis. Imitemur concinentes Pastores, in hâc solennitate Pastoris boni? Itaque

Nos resonante lyrâ, modulemur carmina mira.

Digitized by Google

27. DIES DECEMB.

Aquila est, Ioannes, sublimium Prædicator; & lucis æternæ, & internæ fixis oculis contemplator. *Sanctus Augustinus in Ioann. tractat. 36.* Decemo.

I. VT toto corde diligamus natum Iesum: tribus voculis, nos non tam accendit, quàm compellit, Discipulus ille, quem diligebat Iesus: dum, videlicet, hæc scriberet: *Verbum, Caro factum est.* Vt inflammemur amore Dei, frustrà alia excogitamus verba: postquam Verbum Increatum, fuit Incarnatum. Propter hæc sola verba quia tam sublimia, meritò Ioannes vocatur Aquila; nemo volavit excelsiùs, quia nemo scripsit Diviniùs. Nos, ut Aquilæ euadamus ad paruam illam Aquilam: quæ non euolauit in altum, sed descendit ad ima: quæ non posuit nidum suum in arduis, sed in humilibus convolemus. Non, ut Pastores transeamus vsque in Bethleem, mox inde abituri: sed ibi commorando, mansionem faciamus. Paruulus Iesus, qui heri adhuc iacebat in præsepio: nunc, quasi humiliori sublatus subsellio, considet in Matris gremio. Hinc Amoris iura, & leges dictat. O felix antrum Bethleem, & quocunque Capitolio nobilius! Hoc stramineũ mapale, & humile antrum, augustius, & sacratius, est quàm ipsum Salomonis Templum: quia, qui hîc iacet, plus quàm Salomon est. pluris incomparabiliter facienda sunt bina illa, quæ stiparunt præsepe Infantis-Dei, iumenta, bos, & asinus: quàm duodecim illi, licet auro rigidi, qui thronum Salomonis stipabant, leonculi. Dignitas stabuli Bethleemitici.

II. O casa gentilicia, Amoris Bethleem, in quâ Iesus Amor triumphat! amænior millies illa cisterna Bethleem: cuius vndis leuare sitim, Davidis votum fuit. Ah in te! ô specus, Patria Dei mei! Ah in te, Origo fontis est! cuius aquæ saliunt in vitam æternam: & ex quo, qui bibit, non sitiet iterum O Bethleem! ô natale solum Amoris! ô horreum, & domus panis, vnde Angeli fiunt immortales! ô quale, in te frumentum conditum est! frumentum electorum. O quale granum ex aridis aristis tuis eminet! Granum, quod olim cadens in terram, & mortuum, fructum oppidò multum, & centuplicato cum fœnore adferet. O Puer aureè! ô Infans, Amor! Tu, inter paleas cunarum tuarum, spica es: septem illis Pharaonis spicis, plenis, atque formo-

Decemb. formosis,vna plenior,atque formosior.Tu,spica es,Iosephi manipulo mille partibus præstantior:hunc enim, stantem in agro, manipuli fratrum adorarunt:ante Te verò, sedentem ad dexteram Matris tuæ, cælestium, & inferorum genua curuantur.In cavo speluncæ illius antro iocosæ Amoris voces ludunt.Quod enim Bos,& Asinus anhelant:quod Pastores loquuntur ad invicem: quod Iosephus Pastoribus narrat : quod Angeli canunt: quod Maria Virgo suspirat: quod paruus ille Deus, omnium Amor plorat:Omnia hæc,soni sunt:qui à specu Bethleem , ad aures cordis nostri repercussi,non cessant clamare:ne cessa amare. Procumbo ergo ante thronum præsepij tui:& professionem æterni amoris, ac servitutis Tibi nuncupo.O Puer,ô Deus!ô hominum, & Angelorum Amor ! ô Rex cordis mei!ô Imperator animæ meæ!Tuus sum ex toto totus.

III. Sta hîc viator in hac lutea spelunca, ad hoc fæneum præsepe: & dum videseum,qui venit ignem mittere in terram:ut accendatur,algere, gaudium vniuersæ terræ plorare,Isaac,hoc est, Risum nostrum flere:qui linguas infantium facit disertas,infantis instar vagire:sapientiam balbutire,fortitudinem tremere,Immensitatem coarctari, Potentiam debilitari: denique Christum,ut intret in gloriam suam,vix cæpisse nasci,mox incepisse pati:de te,quid cogitas?Christus,qui peccatum non fecit:qui ex Virgine est natus,vix natus,volvit pati:& tu,qui in peccatis natus es totus non modò pati refractarius recusas, sed vel vmbram patiendi meticulosus reformidas? Ah!ut sim conformis imagini meæ:hoc mihi , quod tuæ olim sponsæ Teresiæ,sit pro symbolo:*Aut pati,aut mori*. Excipiant igitur,me casus improsperi:exhauriat me egestas:occupent ægritudines:fames stringat: eludi meas spes sentiam:falli vota:conatus excidere:circumsistant me tormenta:ferrum,& flamma,in meum caput incumbant:quæcunque sævâ,& acerba, homines dicunt, me affiliant. Aquæ multæ falsorum horum fluctuum,non poterunt extinguere caritatem,nec flumina inundantium malorum obruent eam.Non habent calamitates impetum,qui amoris mei in Deum-Infantem,constantiam,non dico,prosternat, sed vel quatiat. Nutritur,& crescit adversis Amor:& ingruentia mala,in suam laudem vertit. Non volo,ô Amor meus,immori rosis!dum cerno duras tuas, quibus incumbis,stipulas:non placet mihi,mors pallida in plumis, excipienda:opto potius vel fumosam,inter ignes:vel cruentam,inter enses. Non subtraho me ictibus tuis,ô blande Puer! mihi eris blandus,etiam dum in me fueris sævus:feri,quâ lubet:quia volentem percutis.

Per castra,& rastra,ignem, & ferrum,tendis ad astra.

28. DIES

Digitized by Google

28. DIES DECEMB.

Herodes persequitur parvulum: sed stellæ obsequentis fulgor declarat Deum. *Gaudentius ser.19.*

Decemb.

I. PArvulus ille Regulus, ut vel tunc multos haberet sui Regni hæredes, permisit, ut in parvulos ferrum stringeret Herodes: ut per Herodem, infantium sanguine, suam perficeret laudem. Voluit vix natus, docere viam ad cælum, hoc est, ad terram illam fluentem lacte, & melle, non esse lacteam, sed cruentam, dum tot infantium voluit effundi cruorem. Hi parvuli, dum fuerunt primitiæ Martyrum, aliis omnibus signum extulerunt ad Martyrium. Sed, dum Herodes, Christum, ut mortalem hominem persequitur: Deum immortalem declarat stella fulgens, dum illi obsequitur. Vel sic mundo se prodidit mundi victorem, tot, quæ pro illo cecidere victimis. Parvulus ille Pontifex, non hircorum vitulorum: sed parvulorum infantium sanguine voluit sibi litari: posteà suum, ut Patri litaret, copiosissimè effusurus. Ut tu cadas talis Christo hostia: esto tui ipsius hostis. Uti Herodes in alios: sic tu, in teipsum sævias. Ut sis Divini Infantis dignus amore, non odio: noli te amore prosequi, sed odio persequi. Sicut Herodes plùs Infantibus profuit odio, quàm profuisset obsequio: ita, & tu plus tibi proderis, si fueris tui osor, quàm cultor: tibi ipse, tuis in te officiis officies. Nimia in corpus indulgentia, est in animam extrema sævitia: huius es tortor, dum illius es fautor.

Amor Christi in nos.

II. Age, & vide: an non tantùm mereatur, in plurimis plurimùm de te benè meritus Deus-Infans. Sic te amavit, ut licet fueris extremè ingratus: nihilo tamen secius tibi agat gratias, pro illis, quæ ei debes: ac si illius, quæ tibi confert munera, essent totidem, quibus tibi obstringitur debita. Eo modo peccata tibi remittit, ac si plurimis à te fuisset affectus beneficiis: quasi peccati remissio, esset remittendi obligatio. Bona tua opera sic remuneratur: ac si ad illa, nihil ipse contulisset: quasi tua merita essent tui solius operantis industriæ, non ipsius cooperantis gratiæ. Eo denique modo, qualiacunque officia tua compensat: velut post acceptas à te multas injurias, plura ei beneficia contulisses? Potuisset nè Christus plura vel facere, vel pati pro sua ipsius salute, quàm pro tua? Plura tamen amore tui facere, & pati non modò paratus, sed promptus fuisset. Audi, quid ipse olim dixerit D. Brigittæ: *Dilectio*, inquit, *mea erga hominem, modò æquè grandis, atque incom-*

l.7. Revelat. c.19.

Decemb. *incomprehensibilis est; sicut erat tempore Passionis meæ, quando per mortem meam ex nimia charitate liberavi omnes electos meos. Et si fieri posset; ut totiens morerer, quot sunt animæ in inferno: ego promptissimâ voluntate, & perfectissimâ charitate corpus meum traderem, eandemq; Passionem, & mortem, pro qualibet anima sustinerem, quam sustinui pro omnibus.*

III. Vis plura de amore Iesu in te? Audi, & stupe. Christus animam vnam suâ dotatam gratiâ, impensiùs diligit, quàm sanctissimam Trinitatem omnes simul cælites. Tanto in Deum amore accensa fuit aliquando Catharina Senensis; ut aliquando præcius vehementia, & violentia, animam exhalarit; & ad quatuor horas exanimis iacuerit. Si talis est amor vnius hominis in Deum hîc in exilio; qualis est amor sanctorum simul omnium, & quidem Deum in gloria facie ad faciem videntium? Pluris tamen incomparabiliter Christus amat vnam vnius hominis animam. Ipse profectò si Homo factus; tam benè affectum corpus, & à morbis omnibus immune non habuisset; animæque sentientis cupiditatibus habenas laxasset affectuum, ex voluntatis ardore erumpentium; copia, amorisque in animo flagrantis vis ingens, vitam ei etiam Infanti in præsepio iacenti eripuisset, perpetuò quodam miraculo supra triginta annos propagatam. Quid igitur, pro immenso in te amore iam superest; quàm, ut totum, omnibus & corporis, & animæ viribus te ei consecres? Quid dicam tibi? ô Iesu! quàm, ut dici à me voluisti, & docuisti? fiat voluntas tua? quod tibi placet, approbo; sententiæ tuæ concordo; quod negas, dimitto; quod das, accipio; quod infligis, fero. Ad omnem voluntatem tuam cereus occurro. Hæc in corde meo regnet, mea in exilium agatur. Omnia non meo rogatu; sed tuo nutu eant; tui arbitrij sponte, ac libens cuncta facio. Vitam mihi, ut voles, profer, vel contrahe; morbos pelle, vel ingere; opes cumula, vel accide; negotiis meis successum promoue, vel euerte; Amores, erga me hominum excita, vel odia permitte; sapientiam, famam, eruditionem, facundiam adde, vel deme. Nihil iam horum precor, vel deprecor; fit, quodcunque voles. Amorem tui solùm, cum gratia tua mihi dones, & dives sum satis: nec aliud quidquam vltrà posco.

Vnum, Christe, peto; misero me surripe leto.

29. DIES DECEMB.

Cùm nascitur Christus; oritur origo rerum. Decemb.

S. Chrysologus serm. 148.

I. CHristus, qui, ut Deus in sinu Patris in principio erat Verbũ; qui, & in tempore, in principio creavit cælum, & terram, est rerum omnium origo, à qua vna omnia oriuntur. O vtinam! sicut ipse est origo omnium rerum; ita sit & origo omnium nostrarum actionum! Imò, sicut ipse est non modò Alpha, hoc est principium; sed & Omega, id est finis: sic & idem sit omnium nostrorum, & à quo ordiamur, principium, & propter quem agimus, finis operum. Et ad quem potius referemus omnia, quàm ad Iesum? in quo, ex quo, & per quem sunt omniá; cùm, quæ singula, Amorem excitant; in eo copulata sint vniuersa. In illo est cælorum puritas, siderum harmonia, solis nitor, imbrium fæcunditas, florum pulchritudo, silvarum amænitas, camporum vbertas, picturarum elegantiá, musicæ dulcedo, gemmarum virtus, palatiorum splendor, vrbium majestas, templorum magnificentia, munitionum robur, exercituum potentia, epularum oblectatio, ludorum iucunditas, amicitiarum voluptas, fontium claritas, riparum viror, auri pretium, purpuræ decus; verbo, meritum, dignitas, amabilitas rerum omnium. Quæcunque in cælo, vel terra sparsa sunt, collecta tenet; & ita tenet, non quo modò in illis affulgent, sed præstantiâ infinitis gradibus altiori; adeò, ut laudes eius attollere, per comparationem cum perfectionibus rerum conditarum; si res ipsa, non affectus ponderatur, sit ironia, & eius irrisio, non laudatio æstimanda. Christi perfectiones.

II. Sicuti, si quis de Sampsone diceret, illum formicâ robustiorem esse; aut de Davide, illum lepori, magnitudine animi præstare: nónne illum contumeliâ eos afficere, & irridere putaretur? At Christus multò magis supra perfectionem omnium creaturarum eminet; quàm supra formicam, Sampsonis robur, & supra leporem, Davidis alacritas. Amabilis est Iesus, ob res ab eo conditas, & ob gratias nobis exhibitas; sed longè amabilior, ob gratias quas in se habet. Accepta sunt mihi tua, ô Iesu! beneficia; sed acceptior est mihi Bonitas tua. Pulcher es in omnibus operibus tuis; sed pulchrior in Natura tua. Cara mihi sunt munera tua: sed carior est dextera, quâ munera porrigis. Amo igitur Te, Iesu, amor meus! quia bonis tuis me cumulas: sed etiam, si his retractis, omnibus malis me subiiceres,

Decemb. Te amarem; quia Amor meus erga Te flammam concipit; non tam ob id, quòd ego sum ex munere Tuo; quàm ob id, quòd Tu es ex Natura tua. Ah! nimis abiectus foret iste amor meus; si solùm ideò Te amarem, quia donis tuis divitem me facis: testudineus hîc amor esset, per humum creaturarum tuarum repens; cùm ego illum cupiam assimulari capreæ, hinnuloque cervorum, super montes aromatum, id est, Divinarum perfectionum. Amor, qui solùm opibus tuis, quas nobis elargiris, inhæret, parem se facit pecudibus; quæ semper in humum pronæ, herbis pascuntur, quas Sol producit: ad Solem verò ipsum, parentem pabuli sui, oculos attollere non curant. At ego volo Amorem meum euolare, ut Aquilam, & oculis in pura luce tua defixis, radiis Divinitatis tuæ, vnde omnia cætera bona mihi promanant, pasci.

III. Quid moramur, Anima mea? quid rivis, qui à Iesu profluunt, nostrum Amorem rigamus? Patet fons omnibus non in cisterna, sed in spelunca Bethleem. O origo, in ipso tuo principio immensa! ô perfectionis omnis circulus, & centrum! Apud Te consilium: apud Te ratio: apud Te cogitationes pulcherrimæ, & infinitæ, & rerum omnium scientiæ, & artificiorum inuenta, & causarum, & naturarum, & innumerabilium mundorum cognitiones habitant. Quid memorem Beatitudinem tuam? quæ omnibus gaudiis tam exaggerata est, ut nihil illi addi, tam stabilis, ut nihil illi demi possit: tam Tibi propria, atque innata, ut Tuum viuere, sit beatè viuere. Quid Æternitatem, quâ tum omnes tuas perfectiones, tum omnes mobilium temporum lapsus, in vnicum firmum, & immobile punctum colligis? quid Magnitudinem, quæ modum non capit? quid Immensitatem, quæ omnia spatia excedit? quid Libertatem, quæ nullius imperio libatur? quid Immortalitatem, quæ nullo æuo carpitur? quid puritatem, ad cuius comparationem, Angeli, lutum, & materia sunt? Quanta iam est & Potentia tua, quæ Sapientiam nusquam deserit? sed quidquid fieri posse intelligit, hæc facere potest, & facere potest volendo. Tuum velle, posse est: & promptius Tibi res est efficere; quàm nobis cupere, aut fingere. Nã nec servis Tibi, nec molitione opus est; ad vnicum vocis tuæ sibilum, ex nihilo suo mundi advolant, & ante Te provoluti, ac curvati dicunt: Adsumus. O parue, in fæno Deus! hæreo, stupeo, obrigesco: mens, sensus, cogitatio, ratio me deficit; dum tua in Te, Te in tuis contemplor. Tu solus mihi sufficis: Tu mihi felicitas, & gaudium: Tu Beatitudo, & vita: Tu Amor, & desiderium: Tu cælum, & terra: Tu vnus, mihi es omnia.

Fers animum Iesum; nisi antes super omnia Iesum.

30. DIES

30. DIES DECEMB.

Tempus non erit amplius. *Apoc.* 10.6.

Decemb.

I. VBi in novissima hora exierit è corpore spiritus; mox tibi dicetur: *Tempus non erit amplius.* Ut ergò, in hac vita, quæ est Phase, id est transitus, sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna; imò, ut novissima hora, cum Christo transeamus *ex hoc mundo ad Patrem*, suggero hoc penultimo anni die quædam documenta. Quot annis ad sex vel octo dies abde te in solitudinem; & ut Christus, dic ad illam *animi turbam tumultuantem: Recedite.* Sequere consilium Ambrosij: *Intra in receſſum pectoris tui, totus ingredere.* Edic ad aliquot dies quoddam curarum, ac fremétium negotiorum, quasi iustitium. Via ad vitam, ut nulla certior; ita nec vlla compendiosior. O quæ in ista arcana solitudine, ignota hactenus intelliges, inaudita percipies, inusitata facies! Verbo perstringam omnia. Illic labore minimo, fructu maximo, *mutaberis in virum alterum.* Et tibi idem, quod Christo eueniet: *Receſſit ab eis, & ferebatur in cælum.* Sic, vbi receſseris ab anxiis curis, à popularitumultu, à civili strepitu; mox toto animo feres à terra, ad cælum, à vanitate, ad veritatem; à vitiis, ad virtutes; ab hominibus, ad Deum; à tempore, ad æternitatem. Facilè declinabis à malo, & inclinabis ad bonum, si cum Christo declines à turba. Ab anno dilabere ad menses. Ut quovis anno aliquot dies; ita singulis mensibus seligе diem vnum, quo ferieris à negotiis. Et ne cogaris dicere cum Iob: *Ego habui menses vacuos*; die vno, quot mensibus, tibi, Deoque vaca. Hic sæpius à te ipso quære: quod à Caino Deus: *Quid feciſti?* Quid hoc mense, quod non decebat, feciſti mali? quid, quod oportebat, feciſti boni? quàm multa feciſti, quibus Deum offendiſti, mala; quibus tempus prodegiſti, vana? Alia, ut sis alius, quàm feceris, facere propone: ac illo mense, omnia sic agas; ut optabis te egisse, cùm animam ages.

Temporis vtilis vsura. *Exod.* 12. *Ioan.* 13. *Mat* 9 4. *l.* 6. *de Sacram. c.* 2. *1. Reg.* 10. 6. *Luc.* 24. 51. *Iob* 7. 3. *Gen.* 4. *Mat.* 6 6. *Gen.* 29. 20.

II. Ut quot mensibus diem, sic quot hebdomadibus horam, negotiis subtrahe, & tibi, ac tuæ saluti impende. Die ergò septimâ, quæ est hebdomadis vltima; *Intra cubiculum tuum, & clauſo oſtio*, hîc rursus interroga, ut prius; *Quid feciſti?* Et ut villicus ille in Euangelio: *Quid faciam?* Respice septem dies præteritos, prospice futuros: ex illis, quid feciſti? In his, quid facies? Prodeat meminisse illius, quod de Iacob dicitur: *Seruiuit Iacob pro Rachel ſeptem annis*: & tu pro Deo, nec septem diebus. Quid faciam? Tot saltem

Digitized by Google

Decemb. Virginitatis gloriâ permanente, Lumen æternum mundo effunderet, Iesum Christum Dominum nostrum.

III. Deindè, cùm immunem sentiret à dolore partum: vacuum omni sorde puerperium: neque enim illa antecesserant, quæ deberent, & solerent carnis dolore, gemitibus animi, corporis sordibus expiari. Nónne paruulus ille Deus è præsepio videns ciuitatem sibi tam vicinam Ierusalem, flevit super eam, quia ex omnibus eius civibus, qui illum cognoscerent, aut inviserent, non erat vsque ad vnum. Ingredere homo audacter stabulum: tu antea, ut bos comedisti fænum terræ, adest hîc pabulum tibi conveniens fænum: tu factus es, ut equus, & mulus, sunt hîc, quibus, ut tui similibus gaudeas, bos, & asinus. Qui ergò, similis factus es iumentis insipientibus: accede, ut iumentum ad præsepe. O magne Amor, paruum Numen! En ego me submitto ditioni tuæ! en ego me dedo imperio tuo! en ego me consecro arbitrio tuo! en ego inclino collum servituti tuæ! Ah! quid hîc stant iumenta duo? An forsan à Te iugum expectant? En ego! ô Divine Puer, cervicem meam vinculis tuis præbeo! ne præferas me bestiis? qui me creasti, ut dominarer bestiis terræ: ah me innoda, & illiga iugo tuo! An forsan adsunt, ut venant currum triumphi tui? Ah ego! ego quoque huic muneri succedam. En corpus, & anima mea, facta sunt, ut duo iumenta ante Te. Conscende currum præsepij tui, insside fæno tuo: ego iungam iumenta mea, & Te toto orbe circumveham, atque elatâ voce clamabo: Sic triumphat Amor:

Volvitur in pannis, nullis qui clauditur annis.

10. DIES DECEMB.

Heri, præsepis angustia Christum portauit Infantem: hodie, immensitas cæli susceptit Stephanum triumphantem. *S. Fulgentius de S. Stephano.*

Natiuitatis Christi varia mysteria.

I. TOtanon sufficit æternitas, ut dignè expendantur Mysteria, quæ Christi complectitur Natiuitas: quapropter non transiliam tam citò de Bethleem, vbi natus est Deus infantulus, ad Ierusalem, vbi passus est Stephanus eius famulus. Maxima laus est Stephani, potuisse inter omnes,

nes, primum pro ipso mori, qui dignatus est pro illo nasci. Plus me allicit Decemb.
præsepij angustia, in quo Christus iacet, quàm immensitas cæli, in quo Stephanus triumphat. Verè, qui iacet in fæno, plus quàm Salomon hic: cuius gloria, non auro de Ophir, & argento constat, non ebore, Indicisque gemmis, quæ mox Ægyptiorum præda fiant: sed immortalibus æternæ Patriæ bonis. Vis videre, quomodò stabulum glorioſius est aureâ Salomonis domo? & vile præsepium cothrono, cui parvulum inventum est opus in vniuersa terra? Quis est, qui si superba illa spectauerit: quæ ob prodigium operis appellantur septem mundi miracula, caput, venerandi causa, aperiat? quis non, ad Christi præsepe adorandum, venerabundus prosternitur? quis ad illa honoranda, vti hoc præsepe, maria, terrasque perlustret? Quanta gloria est, persuasisse mundo, & Matrem illam, esse Virginem, & pauperculum hunc Infantem, esse Deum! quanta gloria est, tam vilia, reddere tam gloriosa!

II. Sed à præsepi, & Agnello, qui iacet in præsepio, descendamus ad Pastores ovium. Quàm inopinata fuit illis immensa illa, quâ in concubia nocte perfusi sunt lætitiâ, ad inusitata, quæ perceperunt nuntia? Vigilabant super gregem: & mox iuxta illos sterit Angelus Domini, ut facilè exaudiri vox posset, & inter illos, radiante fulgore circumfulsit: erat enim Angelus lucis, lucem habitans inaccessibilem, lucem amans, & secum inuehens: denique lucem magnam exortam mundo nuncians, populo, qui habitabat in tenebris, & regione vmbræ mortis. Angelica lux inexpectata, ac repentina, & in nocturnis tenebris lucens, subitum timorem incussit talium visionum, ac visitationum insolentibus: itaque, *timuerunt timore magno*: mox *Luc. 2.*
tamen gavisuri gaudio magno. Nam fulgur, suo fulgore terret, nec lux in tenebris, minus horretur, quàm densæ tenebræ in medio die. Pertimuit autem & lux, & timor ad attentionem: nam qui timent, arrectis auribus adstant, & ad opinionem rei novæ, & in primis seriæ conciliandam. Quia tamen nimius timor perturbat, & confundit hominis mentem; Angelus eum efficaci voce moderatur, dicens: *Nolite timere*. Gaudij enim, & fiduciæ vobis apporto nuncium: nec vobis tantùm, sed populo, nec vestro tantùm, sed omni populo. Quod autem, maius gaudij argumentum, quàm patefactus aditus ad gaudia sempiterna? Quicunque in carcere mundi huius, & vmbra mortis sederis, oportet natum vobis gratulari Salvatorem, qui à seruitute dæmonis, & peccati, asserat vos in libertatem filiorum Dei.

III. Natus est vobis hodie, nec vltrà dicendum est: *Ecce venit*. Promissa, in rem deducta sunt: venit, descendit, adest, natus est: & vo-

Decemb. bis natus est, & qui erat similis nobis in cælis, similis factus est vobis in terris. Ipse est Christus, vnctus omni gratiâ, Regiâ, Propheticâ, Sacerdotali: Christus Dominus, non civitatis David, aut cuiuspiam singularis loci: sed Dominus cæli, & terræ. Et quia Parentes illius nō nominabant, neque hospitij domus designabatur: aliquo signo, res monstranda erat, ut inveniretur, & agnosceretur. *Et hoc vobis signum*, inquit: *Invenietis Infantem pannis involutum, & positum in præsepio.* Neque oportuit distinctiùs locum ab Angelo notari; nam spelunca Divini puerperij, in aditu ipso, ac suburbio Bethleem erant inventuri. Verè, signum magnum apparuit in cælo, Deus in fæno. Vix Orator ille cælestis, finem dicendi fecerat: cùm multitudo militiæ cælestis, quæ Divinum legatum comitabatur: & in tantæ, tamque inauditæ rei miraculo, iam dudum stabat defixa: silentium rupit, & consonâ voce nobilissimum inchoavit hymnum: ut exemplo suo mortales incitaret ad laudandum Deum. Apparet autem, eos inter canendum visos esse cælum ascendere, nec Pastores interrupisse musicam longè suavissimam: sed attonitos quamdiu licuit attendisse, dum minus, minusque audiretur. Dum autem illi, incepta hîc cantica, in cælum non intermissa transferunt; ibique vel hunc ipsum hymnum, vel illud trisagium, summâ audientium voluptate, indefatigabiles integrant; Pastores sibi ipsis redditi, inter se colloqui, seque mutuò ad Bethleemiticam profectionem invitare cæperunt: eoque mox, cum festinatione profecti, agnoverunt accepti Nuntij veritatem: quod mox sparsêre in vulgus; & eos, qui audierunt, propriæ admirationis, & gaudij participes effecerunt. Hîc habes compendium mirabilium, quæ fecit mirabilis Dominus; non tantùm mirabilis in sanctis suis, sed in pannis suis. Imitemur concinentes Pastores, in hâc solennitate Pastoris boni? Itaque

Nos resonante lyrâ, modulemur carmina mira.

Digitized by Google

27. DIES DECEMB.

Aquila est, Ioannes, sublimium Prædicator; & lucis æternæ, & internæ fixis oculis contemplator. *Sanctus Augustinus in Ioann. tractat. 36.* Decemb.

I. VT toto corde diligamus natum Iesum: tribus vocibus, nos non tam accendit, quàm compellit, Discipulus ille, quem diligebat Iesus: dum, videlicet, hæc scriberet: *Verbum, Caro factum est.* Vt inflammemur amore Dei, frustrà alia excogitamus verba: postquam Verbum Increatum, fuit Incarnatum. Propter hæc sola verba quia tam sublimia, meritò Ioannes vocatur Aquila; nemo volavit excelsiùs, quia nemo scripsit Diviniùs. Nos, ut Aquilæ euadamus ad paruam illam Aquilam: quæ non euolauit in altum, sed descendit ad ima: quæ non posuit nidum suum in arduis, sed in humilibus convolemus. Non, ut Pastores transeamus vsque in Bethleem, mox inde abituri: sed ibi commorando, mansionem faciamus. Paruulus Iesus, qui heri adhuc iacebat in præsepio: nunc, quasi humiliori sublatus subsellio, considet in Matris gremio. Hinc Amoris iura, & leges dictat. O felix antrum Bethleem, & quocunque Capitolio nobilius! Hoc straminеũ mapale, & humile antrum, augustius, & sacratius, est quàm ipsum Salomonis Templum: quia, qui hîc iacet, plus quàm Salomon est. pluris incomparabiliter facienda sunt bina illa, quæ stiparunt præsepe Infantis-Dei, iumenta, bos, & asinus: quàm duodecim illi, licet auro rigidi, qui thronum Salomonis stipabant, leonculi. Dignitas stabuli Bethleemitici.

II. O casa gentilicia, Amoris Bethleem, in quâ Iesus Amor triumphat! amænior millies illa cisterna Bethleem: cuius vndis leuare sitim, Davidis votum fuit. Ah in te! ô specus, Patria Dei mei! Ah in te, Origo fontis est! cuius aquæ saliunt in vitam æternam: & ex quo, qui bibit, non sitiet iterum. O Bethleem! ô natale solum Amoris! ô horreum, & domus panis, vnde Angeli fiunt immortales! ô quale, in te frumentum conditum est! frumentum electorum. O quale granum ex aridis aristis tuis eminet! Granum, quod olim cadens in terram, & mortuum, fructum oppidò multum, & centuplicato cum fœnore adferet. O Puer aureè! ô Infans, Amor! Tu, inter paleas cunarum tuarum, spica es: septem illis Pharaonis spicis, plenis, atque formo-

Decemb. formosis,vna plenior,atque formosior.Tu,spica es,Iosephi manipulo mille partibus præstantior:hunc enim, stantem in agro, manipuli fratrum adoraruntante Te verò, sedentem ad dexteram Matris tuæ, cælestium, & inferorum genua curuantur.In cavo speluncæ illius antro iocosæ Amoris voces ludunt.Quod enim Bos,& Asinus anhelant:quod Pastores loquuntur ad invicem: quod Iosephus Pastoribus narrat: quod Angeli canunt: quod Maria Virgo suspirat: quod paruus ille Deus, omnium Amor plorat:Omnia hæc,soni sunt:qui à specu Bethleem, ad aures cordis nostri repercussi,non cessant clamare:ne cessa amare. Procumbo ergo ante thronum præsepij tui:& professionem æterni amoris, ac servitutis Tibi nuncupo.O Puer,ô Deus!ô hominum, & Angelorum Amor! ô Rex cordis mei!ô Imperator animæ meæ!Tuus sum ex toto totus.

III. Sta hîc viator in hac lutea spelunca, ad hoc fæneum præsepe: & dum videseum,qui venit ignem mittere in terram:ut accendatur,algere, gaudium vniuersæ terræ plorare,Isaac,hoc est, Risum nostrum fieri:qui linguas infantium facit disertas,infantis instar vagire:sapientiam balbutire,fortitudinem tremere,Immensitatem coarctari, Potentiam debilitari: denique Christum,ut intret in gloriam suam,vix cæpisse nasci,mox incepisse pati:de te,quid cogitas?Christus,qui peccatum non fecit:qui ex Virgine est natus,vix natus,volvit pati:& tu,qui in peccatis natus es totus non modò pati refractarius recusas, sed vel vmbram patiendi meticulosus reformidas? Ah!ut sim conformis imagini meæ:hoc mihi, quod tuæ olim sponsæ Teresiæ,sit pro symbolo:*Aut pati,aut mori.* Excipiant igitur,me,casus improsperi:exhauriat me egestas:occupent ægritudines:fames stringat: eludi meas spes sentiam:falli vota:conatus excidere:circumsistant me tormenta:ferrum,& flamma,in meum caput incumbant:quæcunque sævâ,& acerba, homines dicunt, me affiliant. Aquæ multæ salsorum horum fluctuum,non poterunt extinguere caritatem,nec flumina inundantium malorum obruent eam.Non habent calamitates impetum,qui amoris mei in Deum-Infantem,constantiam,non dico,prosternat, sed vel quatiat. Nutritur,& crescit adversis Amor:& ingruentia mala,in suam laudem vertit. Non volo,ô Amor meus,immori rosis!dum cerno duras tuas, quibus incumbis,stipulas:non placet mihi,mors pallida in plumis, excipienda:opto potius vel fumosam,inter ignes:vel cruentam,inter enses. Non subtraho me ictibus tuis,ô blande Puer! mihi eris blandus,etiam dum in me fueris sæuus:feri,quâ lubet:quia volentem percutis.

Per castra,& rastra,ignem, & ferrum,tendis ad astra.

28. DIES

Digitized by Google

28. DIES DECEMB.

Herodes persequitur paruulum: sed stellæ obsequentis fulgor declarat Deum. *Gaudentius ser.*19.

Decemb.

I. PAruulus ille Regulus, ut vel tunc multos haberet sui Regni hæredes, permisit, ut in paruulos ferrum stringeret Herodes: ut per Herodem, infantium sanguine, suam perficeret laudem. Voluit vix natus, docere viam ad cælum, hoc est, ad terram illam fluentem lacte, & melle, non esse lacteam, sed cruentam, dum tot infantium voluit effundi cruorem. Hi paruuli, dum fuerunt primitiæ Martyrum, aliis omnibus signum extulerunt ad Martyrium. Sed, dum Herodes, Christum, ut mortalem hominem persequitur: Deum immortalem declarat stella fulgens, dum illi obsequitur. Vel sic mundo se prodidit mundi victorem, tot, quæ pro illo cecidêrunt victimis. Paruulus ille Pontifex, non hircorum, vitulorum: sed paruulorum infantium sanguine voluit sibi litari: posteà suum, ut Patri litaret, copiosissimè effusurus. Ut tu cadas talis Christo hostia: esto tui ipsius hostis. Uti Herodes in alios: sic tu, in teipsum sævias. Ut sis Divini Infantis dignus amore, non odio: noli te amore prosequi, sed odio persequi. Sicut Herodes plùs Infantibus profuit odio, quàm profuisset obsequio: ita, & tu plus tibi proderis, si fueris tui osor, quàm cultor: tibi ipse, tuis in te officiis officies. Nimia in corpus indulgentia, est in animam extrema sævitia: huius es tortor, dum illius es fautor.

Amor Christi in nos.

II. Age, & vide: an non tantùm mereatur, in plurimis plurimùm de te benè meritus Deus-Infans. Sic te amauit, ut licet fueris extremè ingratus: nihilo tamen secius tibi agat gratias, pro illis, quæ ei debes: ac si illius, quæ tibi confert munera, essent totidem, quibus tibi obstringitur debita. Eo modo peccata tibi remittit, ac si plurimis à te fuisset affectus beneficiis: quasi peccati remissio, esset remittendi obligatio. Bona tua opera sic remuneratur: ac si ad illa, nihil ipse contulisset: quasi tua merita essent tui solius operantis industriæ, non ipsius cooperantis gratiæ. Eo denique modo, qualiacunque officia tua compensat: velut post acceptas à te multas iniurias, plura ei beneficia contulisses? Potuissetnè Christus plura vel facere, vel pati pro sua ipsius salute, quàm pro tua? Plura tamen amore tui facere, & pati non modò paratus, sed promptus fuisset. Audi, quid ipse olim dixerit D. Brigittæ: *Dilectio*, inquit, *mea erga hominem, modò æquè grandis, atque incem-*

l.7. Reuelat. c.19.

Decemb. *incomprehensibilis est; sicut erat tempore Passionis meæ, quando per mortem meam ex nimia charitate liberaui omnes electos meos. Et si fieri posset; ut toties morerer, quot sunt animæ in inferno: ego promptissimâ voluntate, & perfectissimâ charitate corpus meum traderem, eandemq; Passionem, & mortem, pro qualibet anima sustinerem, quam sustinui pro omnibus.*

III. Vis plura de amore Iesu in te? Audi, & stupe. Christus animam vnam suâ dotatam gratiâ, impensiùs diligit, quàm sanctissimam Trinitatem omnes simul cælites. Tanto in Deum amore accensa fuit aliquando Catharina Senensis; ut aliquando præcius vehementia, & violentia, animam exhalarit; & ad quatuor horas exanimis iacuerit. Si talis est amor vnius hominis in Deum hîc in exilio; qualis est amor sanctorum simul omnium, & quidem Deum in gloria facie ad faciem videntium? Pluris tamen incomparabiliter Christus amat vnam vnius hominis animam. Ipse profectò si Homo factus; tam benè affectum corpus, & à morbis omnibus immune non habuisset; animæque sentientis cupiditatibus habenas laxasset affectuum, ex voluntatis ardore erumpentium; copia, amorisque in animo flagrantis vis ingens, vitam ei etiam Infanti in præsepio iacenti eripuisset, perpetuò quodam miraculo supra triginta annos propagatam. Quid igitur, pro immenso in te amore iam supereſt; quàm, ut totum, omnibus & corporis, & animæ viribus te ei consecres? Quid dicam tibi? ô Iesu! quàm, ut dici à me voluisti, & docuisti? fiat voluntas tua? quod tibi placet, approbo; sententiæ tuæ concordo; quod negas, dimitto; quod das, accipio; quod infligis, fero. Ad omnem voluntatem tuam cereus occurro. Hæc in corde meo regnet, mea in exilium agatur. Omnia non meo rogatu; sed tuo nutu eant; tui arbitrij sponte, ac libens cuncta facio. Vitam mihi, ut voles, profer, vel contrahe; morbos pelle, vel ingere; opes cumula, vel accide; negotiis meis successum promoue, vel euerte; Amores, erga me hominum excita, vel odia permitte; sapientiam, famam, eruditionem, facundiam adde, vel deme. Nihil iam horum precor, vel deprecor; sit, quodcunque voles. Amorem tui solùm, cum gratia tua mihi dones, & diues sum satis: nec aliud quidquam vltrà posco.

Vnum, Christe, peto; misero me surripe leto.

Digitized by Google

29. DIES DECEMB.

Cùm nascitur Christus; oritur origo rerum.

Decemb.

S. Chrysologus serm. 148.

I. CHristus, qui, ut Deus in sinu Patris in principio erat Verbũ; qui, & in tempore, in principio creavit cælum, & terram, est rerum omnium origo, à qua vna omnia oriuntur. O vtinam! sicut ipse est origo omnium rerum; ita sit & origo omnium nostrarum actionum! Imò, sicut ipse est non modò Alpha, hoc est principium; sed & Omega, id est finis: sic & idem sit omnium nostrorum, & à quo ordiamur, principium; & propter quem agimus, finis operum. Et ad quem potius referemus omnia, quàm ad Iesum? in quo, ex quo, & per quem sunt omniá; cùm, quæ singula, Amorem excitant; in eo copulata sint vniuersa. In illo est cælorum puritas, siderum harmonia, solis nitor, imbrium fæcunditas, florum pulchritudo, silvarum amænitas, camporum vbertas, picturarum elegantiá, musicæ dulcedo, gemmarum virtus, palatiorum splendor, vrbium majestas, templorum magnificentia, munitionum robur, exercituum potentia, epularum oblectatio, ludorum iucunditas, amicitiarum voluptas, fontium claritas, riparum viror, auri pretium, purpuræ decus; verbo, meritum, dignitas, amabilitas rerum omnium. Quæcunque in cælo, vel terra sparsa sunt, collecta tenet; & ita tenet, non quo modò in illis affulgent, sed præstantiâ infinitis gradibus altiori; adeò, ut laudes eius attollere, per comparationem cum perfectionibus rerum conditarum; si res ipsa, non affectus ponderatur, sit ironia, & eius irrisio, non laudatio æstimanda. Christi perfectiones.

II. Sicuti, si quis de Sampsone diceret, illum formicâ robustiorem esse; aut de Davide, illum lepori, magnitudine animi præstare: nónne illum contumeliâ eos afficere, & irridere putaretur? At Christus multò magis supra perfectionem omnium creaturarum eminet; quàm supra formicam, Sampsonis robur, & supra leporem, Davidis alacritas. Amabilis est Iesus, ob res ab eo conditas, & ob gratias nobis exhibitas; sed longè amabilior, ob gratias quas in se habet. Accepta sunt mihi tua, ô Iesu beneficia; sed acceptior est mihi Bonitas tua. Pulcher es in omnibus operibus tuis; sed pulchrior in Natura tua. Cara mihi sunt munera tua: sed carior est dextera, quâ munera porrigis. Amo igitur Te, Iesu, amor meus! quia bonis tuis me cumulas: sed etiam, si his retractis, omnibus malis me subiiceres,

Decemb. Te amarem; quia Amor meus erga Te flammam concipit; non tam ob id, quòd ego sum ex munere Tuo; quàm ob id, quòd Tu es ex Natura tua. Ah! nimis abiectus foret iste amor meus; si solùm ideò Te amarem, quia donis tuis divitem me facis: testudineus hic amor esset, per humum creaturarum tuarum repens; cùm ego illum cupiam assimulari capreæ, hinnuloque cervorum, super montes aromatum, id est, Divinarum perfectionum. Amor, qui solùm opibus tuis, quas nobis elargiris, inhæret, parem se facit pecudibus; quæ semper in humum pronæ, herbis pascuntur, quas Sol producit: ad Solem verò ipsum, parentem pabuli sui, oculos attollere non curant. At ego volo Amorem meum euolare, ut Aquilam, & oculis in pura luce tua defixis, radiis Divinitatis tuæ, vnde omnia cætera bona mihi promanant, pasci.

III. Quid moramur, Anima mea? quid rivis, qui à Iesu profluunt, nostrum Amorem rigamus? Patet fons omnibus non in cisterna, sed in spelunca Bethleem. O origo, in ipso tuo principio immensa! ô perfectionis omnis circulus, & centrum! Apud Te consilium: apud Te ratio: apud Te cogitationes pulcherrimæ, & infinitæ, & rerum omnium scientiæ, & artificiorum inuenta, & causarum, & naturarum, & innumerabilium mundorum cognitiones habitant. Quid memorem Beatitudinem tuam? quæ omnibus gaudiis tam exaggerata est, ut nihil illi addi, tam stabilis, ut nihil illi demi possit: tam Tibi propria, atque innata, ut Tuum viuere, sit beatè viuere. Quid Æternitatem, quâ tum omnes tuas perfectiones, tum omnes mobilium temporum lapsus, in vnicum firmum, & immobile punctum colligis? quid Magnitudinem, quæ modum non capit? quid Immensitatem, quæ omnia spatia excedit? quid Libertatem, quæ nullius imperio libatur? quid Immortalitatem, quæ nullo æuo carpitur? quid puritatem, ad cuius comparationem, Angeli, lutum, & materia sunt? Quanta iam est & Potentia tua, quæ Sapientiam nusquam deserit? sed quidquid fieri posse intelligit, hæc facere potest, & facere potest volendo. Tuum velle, posse est: & promptius Tibi res est efficere; quàm nobis cupere, aut fingere. Nã nec servis Tibi, nec molitione opus est; ad vnicum vocis tuæ sibilum, ex nihilo suo mundi advolant, & ante Te provoluti, ac curvati dicunt: Adsumus. O parue, in fæno Deus! hæreo, stupeo, obrigesco: mens, sensus, cogitatio, ratio me deficit; dum tua in Te, Te in tuis contemplor. Tu solus mihi sufficis: Tu mihi felicitas, & gaudium: Tu Beatitudo, & vita: Tu Amor, & desiderium: Tu cælum, & terra: Tu vnus, mihi es omnia.

Fers animum læsum; nisi ames super omnia Iesum.

30. DIES DECEMB.

Tempus non erit amplius. *Apoc.* 10.6.

Decemb.

I. VBi in novissima hora exierit è corpore spiritus; mox tibi dicetur: *Tempus non erit amplius.* Ut ergò, in hac vita, quæ est Phase, id est transitus, sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna; imò, ut novissima hora, cum Christo transeamus *ex hoc mundo ad Patrem*, suggero hoc penultimo anni die quædam documenta. Quot annis ad sex vel octo dies abde te in solitudinem; & ut Christus, dic ad illam *animi turbam tumultuantem: Recedite.* Sequere consilium Ambrosij: *Intra in recessum pectoris tui, totus ingredere.* Edic ad aliquot dies quoddam curarum, ac fremētium negotiorum, quasi iustitium. Via ad vitam, ut nulla certior; ita nec vlla compendiosior. O quæ in ista arcana solitudine, ignota hactenus intelliges, inaudita percipies, inusitata facies! Verbo perstringam omnia. Illic labore minimo, fructu maximo, *mutaberis in virum alterum.* Et tibi idem, quod Christo eueniet: *Receßit ab eis, & ferebatur in cælum.* Sic, vbi receſseris ab anxiis curis, à populari tumultu, à civili strepitu; mox toto animo feretis à terra, ad cælum, à vanitate, ad veritatem; à vitiis, ad virtutes; ab hominibus, ad Deum; à tempore, ad æternitatem. Facilè declinabis à malo, & inclinabis ad bonum, si cum Christo declines à turba. Ab anno dilabere ad menses. Ut quovis anno aliquot dies; ita singulis mensibus selige diem vnum, quo ferieris à negotiis. Et ne cogaris dicere cum Iob: *Ego habui menses vacuos*; die vno, quot mensibus, tibi, Deoque vaca. Hic sæpius à te ipso quære: quod à Caino Deus: *Quid fecisti?* Quid hoc mense, quod non decebat, fecisti mali? quid, quod oportebat, fecisti boni? quàm multa fecisti, quibus Deum offendisti, mala; quibus tempus prodegisti, vana? Alia, ut sis alius, quàm feceris, facere propone: ac illo mense, omnia sic agas; ut optabis te egisse, cùm animam ages.

Temporis vtilis vsura. *Exod.* 12. *Ioan.* 13. *Mat.* 9.4. *l.* 6. *de Sacram. c.* 2. *1. Reg.* 10.6. *Luc.* 24.51. *Iob* 7.3. *Gen.* 4.

II. Ut quot mensibus diem, sic quot hebdomadibus horam, negotiis subtrahe, & tibi, ac tuæ saluti impende. Die ergò septimâ, quæ est hebdomadis vltima; *Intra cubiculum tuum, & clauso ostio*, hîc rursus interroga, ut prius; *Quid fecisti?* Et ut villicus ille in Euangelio: *Quid faciam?* Respice septem dies præteritos, prospice futuros: ex illis, quid fecisti? In his, quid facies? Pudeat meminisse illius, quod de Iacob dicitur: *Seruiuit Iacob pro Rachel septem annis*: & tu pro Deo, nec septem diebus. Quid faciam? Tot saltem

Mat. 6.6. *Gen.* 29.20.

Decemb. Virginitatis gloriâ permanente, Lumen æternum mundo effunderet, Iesum Christum Dominum nostrum.

III. Deindè, cùm immunem sentiret à dolore partum: vacuum omni sorde puerperium: neque enim illa antecesserant, quæ deberent, & solerent carnis dolore, gemitibus animi, corporis sordibus expiari. Nónne paruulus ille Deus è præsepio videns ciuitatem sibi tam vicinam Ierusalem, flevit super eam, quia ex omnibus eius civibus, qui illum cognoscerent, aut inviserent, non erat vsque ad vnum. Ingredere homo audaciter stabulum: tu antea, ut bos comedisti fænum terræ, adest hîc pabulum tibi conveniens fænum: tu factus es, ut equus, & mulus, sunt hîc, quibus, ut tui similibus gaudeas, bos, & asinus. Qui ergò, similis factus es iumentis insipientibus: accede, ut iumentum ad præsepe. O magne Amor, paruum Numen! En ego me submitto ditioni tuæ! en ego me dedo imperio tuo! en ego me consecro arbitrio tuo! en ego inclino collum servituti tuæ! Ah! quid hîc stant iumenta duo? An forsan à Te iugum expectant? En ego! ô Divine Puer, cervicem meam vinculis tuis præbeo! ne præferas me bestiis? qui me creasti, ut dominarer bestiis terræ: ah me innoda, & illiga iugo tuo! An forsan adsunt, ut vehant currum triumphi tui? Ah ego! ego quoque huic muneri succedam. En corpus, & anima mea, facta sunt, ut duo iumenta ante Te. Conscende currum præsepij tui, insidè fæno tuo: ego iungam iumenta mea, & Te toto orbe circumveham, atque elatâ voce clamabo: Sic triumphat Amor:

Volvitur in pannis, nullis qui clauditur annis.

10. DIES DECEMB.

Heri, præsepis angustia Christum portauit Infantem: hodie, immensitas cæli susceptit Stephanum triumphantem. *S. Fulgentius de S. Stephano.*

Natiuitatis Christi varia mysteria.

I. TOta non sufficit æternitas, ut dignè expendantur Mysteria, quæ Christi complectitur Natiuitas: quapropter non transiliam tam citò de Bethleem, vbi natus est Deus infantulus, ad Ierusalem, vbi passus est Stephanus eius famulus. Maxima laus est Stephani, potuisse inter omnes,

nes, primum pro ipso mori, qui dignatus est pro illo nasci. Plus me allicit præsepij angustia, in quo Christus iacet, quàm immensitas cæli, in quo Stephanus triumphat. Verè, qui iacet in fæno, plus quàm Salomon hic: cuius gloria, non auro de Ophir, & argento constat, non ebore, Indicisque gemmis, quæ mox Ægyptiorum præda fiant: sed immortalibus æternæ Patriæ bonis. Vis videre, quomodò stabulum glorioſius est aureâ Salomonis domo? & vile præsepium eo throno, cui parvulum inventum est opus in vniuersa terra? Quis est, qui si superba illa spectauerit: quæ ob prodigium operis appellantur septem mundi miracula, caput, venerandi causa, aperiat? quis non, ad Christi præsepe adorandum, venerabundus prosternitur? quis ad illa honoranda, vti hoc præsepe, maria, terrasque perlustret? Quanta gloria est, persuasisse mundo, & Matrem illam, esse Virginem, & pauperculum hunc Infantem, esse Deum! quanta gloria est, tam vilia, reddere tam glorioſa! Decemb.

II. Sed à præsepi, & Agnello, qui iacet in præsepio, descendamus ad Pastores ovium. Quàm inopinata fuit illis immensa illa, quâ in concubia nocte perfusi sunt lætitiâ, ad inusitata, quæ perceperunt nuntia? Vigilabant super gregem: & mox iuxta illos steterit Angelus Domini, ut facilè exaudiri vox posset, & inter illos, radiante fulgore circumfulsit: erat enim Angelus lucis, lucem habitans inaccessibilem, lucem amans, & secum inuehens: denique lucem magnam exortam mundo nuncians, populo, qui habitabat in tenebris, & regione vmbræ mortis. Angelica lux inexpectata, ac repentina, & in nocturnis tenebris lucens, subitum timorem incussit talium visionum, ac visitationum insolentibus: itaque, *timuerunt timore magno*: mox tamen gavisuri gaudio magno. Nam fulgur, suo fulgore terret, nec lux in tenebris, minus horretur, quàm densæ tenebræ in medio die. Pertimuit autem & lux, & timor ad attentionem: nam qui timent, arrectis auribus adstant, & ad opinionem rei novæ, & in primis seriæ conciliandam. Quia tamen nimius timor perturbat, & confundit hominis mentem; Angelus eum efficaci voce moderatur, dicens: *Nolite timere*. Gaudij enim, & fiduciæ vobis apporto nuncium: nec vobis tantùm, sed populo, nec vestro tantùm, sed omni populo. Quod autem, maius gaudij argumentum, quàm patefactus aditus ad gaudia sempiterna? Quicunque in carcere mundi huius, & vmbra mortis sedetis, oportet natum vobis gratulari Salvatorem, qui à servitute dæmonis, & peccati, asserat vos in libertatem filiorum Dei. *Luc.* 2.

III. Natus est vobis hodie, nec vltrà dicendum est: *Ecce venit*. Promissa, in rem deducta sunt: venit, descendit, adest, natus est: & vo-

Decemb. bis natus est, & qui erat similis nobis in cælis, similis factus est vobis in terris. Ipse est Christus, vnctus omni gratiâ, Regiâ, Propheticâ, Sacerdotali: Christus Dominus, non civitatis David, aut cuiuspiam singularis loci: sed Dominus cæli, & terræ. Et quia Parentes illius nō nominabant, neque hospitij domus designabatur: aliquo signo, res monstranda erat, ut inveniretur, & agnosceretur. *Et hoc vobis signum*, inquit: *Invenietis Infantem pannis involutum, & positum in præsepio.* Neque oportuit distinctiùs locum ab Angelo notari; nam speluncam Divini puerperij, in aditu ipso, ac suburbio Bethleem erant inventuri. Verè, signum magnum apparuit in cælo, Deus in fæno. Vix Orator ille cælestis, finem dicendi fecerat: cùm multitudo militiæ cælestis, quæ Divinum legatum comitabatur: & in tantæ, tamque inauditæ rei miraculo, iam dudum stabat defixa: silentium rupit, & consonâ voce nobilissimum inchoavit hymnum: ut exemplo suo mortales incitaret ad laudandum Deum. Apparet autem, eos inter canendum visos esse cælum ascendere, nec Pastores interrupisse musicam longè suavissimam: sed attonitos quamdiu licuit attendisse, dum minus, minusque audiretur. Dum autem illi, incepta hîc cantica, in cælum non intermissa transferunt; ibique vel hunc ipsum hymnum, vel illud trisagium, summâ audientium voluptate, indefatigabiles integrant; Pastores sibi ipsis redditi, inter se colloqui, seque mutuò ad Bethleemiticam profectionem invitare cæperunt: eoque mox, cum festinatione profecti, agnoverunt accepti Nuntij veritatem: quod mox sparsêre in vulgus; & eos, qui audierunt, propriæ admirationis, & gaudij participes effecerunt. Hîc habes compendium mirabilium, quæ fecit mirabilis Dominus; non tantùm mirabilis in sanctis suis, sed in pannis suis. Imitemur concinentes Pastores, in hâc solennitate Pastoris boni? Itaque

Nos resonante lyrâ, modulemur carmina mira.

Digitized by Google

27. DIES DECEMB.

Aquila est, Ioannes, sublimium Prædicator; & lucis æternæ, & internæ fixis oculis contemplator. *Sanctus Augustinus in Ioann. tractat. 36.* Decemb.

I. VT toto corde diligamus natum Iesum: tribus vocalis, nos non tam accendit, quàm compellit, Discipulus ille, quem diligebat Iesus: dum, videlicet, hæc scriberet: *Verbum, Caro factum est.* Vt inflammemur amore Dei, frustrà alia excogitamus verba: postquam Verbum Increatum, fuit Incarnatum. Propter hæc sola verba quia tam sublimia, meritò Ioannes vocatur Aquila; nemo volavit excelsiùs, quia nemo scripsit Diviniùs. Nos, ut Aquilæ euadamus ad paruam illam Aquilam: quæ non euolauit in altum, sed descendit ad ima: quæ non posuit nidum suum in arduis, sed in humilibus conuolemus. Non, ut Pastores transeamus vsque in Bethleem, mox inde abituri: sed ibi commorando, mansionem faciamus. Paruulus Iesus, qui hert adhuc iacebat in præsepio: nunc, quasi humiliori sublatus subsellio, considet in Matris gremio. Hinc Amoris iura, & leges dictat. O felix antrum Bethleem, & quocunque Capitolio nobilius! Hoc straminеũ mapale, & humile antrum, augustius, & sacratius, est quàm ipsum Salomonis Templum: quia, qui hîc iacet, plus quàm Salomon est. pluris incomparabiliter facienda sunt bina illa, quæ stiparunt præsepe Infantis-Dei, iumenta, bos, & asinus: quàm duodecim illi, licet auro rigidi, qui thronum Salomonis stipabant, leonculi. Dignitas stabuli Bethleemitici.

II. O casa gentilicia, Amoris Bethleem, in quâ Iesus Amor triumphat! amænior millies illa cisterna Bethlcem: cuius vndis leuare sitim, Davidis votum fuit. Ah in te! ô specus, Patria Dei mei! Ah in te, Origo fontis est! cuius aquæ saliunt in vitam æternam: & ex quo, qui bibit, non sitiet iterum. O Bethleem! ô natale solum Amoris! ô horreum, & domus panis, vnde Angeli fiunt immortales! ô quale, in te frumentum conditum est! frumentum electorum. O quale granum ex aridis aristis tuis eminet! Granum, quod olim cadens in terram, & mortuum, fructum oppidò multum, & centuplicato cum fœnore adferet. O Puer aure! ô Infans, Amor! Tu, inter paleas cunarum tuarum, spica es: septem illis Pharaonis spicis, plenis, atque formo-

Decemb. formosis,vna plenior,atque formosior.Tu,spica es,Iosephi manipulo mille partibus præstantior:hunc enim, stantem in agro, manipuli fratrum adorarunt:ante Te verò, sedentem ad dexteram Matris tuæ, cælestium, & inferorum genua curuantur.In cavo speluncæ illius antro iocosæ Amoris voces ludunt.Quod enim Bos,& Asinus anhelant:quod Pastores loquuntur ad invicem: quod Iosephus Pastoribus narrat: quod Angeli canunt: quod Maria Virgo suspirat: quod paruus ille Deus, omnium Amor plorat:Omnia hæc,soni sunt:qui à specu Bethleem, ad aures cordis nostri repercussi,non cessant clamare:ne cessa amare. Procumbo ergo ante thronum præsepij tui:& professionem æterni amoris, ac servitutis Tibi nuncupo.O Puer,ô Deus!ô hominum, & Angelorum Amor! ô Rex cordis mei!ô Imperator animæ meæ!Tuus sum ex toto totus.

III. Sta hîc viator in hac lutea spelunca, ad hoc fæneum præsepe: & dum videseum,qui venit ignem mittere in terram:ut accendatur,algere, gaudium vniuersæ terræ plorare,Isaac,hoc est, Risum nostrum flere:qui linguas infantium facit disertas,infantis instar vagire:sapientiam balbutire,fortitudinem tremere,Immensitatem coarctari, Potentiam debilitari: denique Christum,ut intret in gloriam suam,vix cæpisse nasci,mox incepisse pati:de te,quid cogitas?Christus,qui peccatum non fecit:qui ex Virgine est natus,vix natus,volvit pati:& tu,qui in peccatis natus es totus non modò pati refractarius recusas, sed vel vmbram patiendi meticulosus reformidas? Ah!ut sim conformis imagini meæ:hoc mihi, quod tuæ olim sponsæ Teresiæ,sit pro symbolo:*Aut pati,aut mori*.Excipiant igitur,me,casus improsperi:exhauriat me egestas:occupent ægritudines:fames stringat: eludi meas spes sentiam:falli vota:conatus excidere:circumsistant me tormenta:ferrum,& flamma,in meum caput incumbant:quæcunque sævâ,& acerba, homines dicunt, me affiliant. Aquæ multæ falsorum horum fluctuum,non poterunt extinguere caritatem,nec flumina inundantium malorum obruent eam.Non habent calamitates impetum,qui amoris mei in Deum-Infantem,constantiam,non dico,prosternat, sed vel quatiat. Nutritur,& crescit adversis Amor:& ingruentia mala,in suam laudem vertit. Non volo,ô Amor meus,immori rosis!dum cerno duras tuas, quibus incumbis,stipulas:non placet mihi,mors pallida in plumis, excipienda:opto potius vel fumosam,inter ignes:vel cruentam,inter enses. Non subtraho me ictibus tuis,ô blande Puer! mihi eris blandus,etiam dum in me fueris sæuus:feri,quâ lubet:quia volentem percutis.

Per castra,& rastra,ignem, & ferrum,tendis ad astra.

28. DIES DECEMB.

Herodes persequitur paruulum : sed stellæ obsequentis fulgor declarat Deum. *Gaudentius ser.*19.

Decemb.

I. PAruulus ille Regulus, ut vel tunc multos haberet sui Regni hæredes, permisit, ut in paruulos ferrum stringeret Herodes : ut per Herodem, infantium sanguine, suam perficeret laudem. Voluit vix natus, docere viam ad cælum, hoc est, ad terram illam fluentem lacte, & melle, non esse lacteam, sed cruentam, dum tot infantium voluit effundi cruorem. Hi paruuli, dum fuerunt primitiæ Martyrum, aliis omnibus signum extulerunt ad Martyrium. Sed, dum Herodes, Christum, ut mortalem hominem persequitur: Deum immortalem declarat stella fulgens, dum illi obsequitur. Vel sic mundo se prodidit mundi victorem, tot, quæ pro illo cecidêrunt victimis. Paruulus ille Pontifex, non hircorum vitulorum : sed paruulorum infantium sanguine voluit sibi litari: posteà suum, ut Patri litaret, copiosissimè effusurus. Ut tu cadas talis Christo hostia : esto tui ipsius hostis. Uti Herodes in alios: sic tu, in teipsum sævias. Ut sis Divini Infantis dignus amore, non odio: noli te amore prosequi, sed odio persequi. Sicut Herodes plùs Infantibus profuit odio, quàm profuisset obsequio: ita, & tu plus tibi proderis, si fueris tui osor, quàm cultor: tibi ipse, tuis in te officiis officies. Nimia in corpus indulgentia, est in animam extrema sævitia: huius es tortor, dum illius es fautor.

Amor Christi in nos.

II. Age, & vide: an non tantùm mereatur, in plurimis plurimùm de te benè meritus Deus-Infans. Sic te amauit, ut licet fueris extremè ingratus: nihilo tamen secius tibi agat gratias, pro illis, quæ ei debes : ac si illius, quæ tibi confert munera, essent totidem, quibus tibi obstringitur debita. Eo modo peccata tibi remittit, ac si plurimis à te fuisset affectus beneficiis: quasi peccati remissio, esset remittendi obligatio. Bona tua opera sic remuneratur: ac si ad illa, nihil ipse contulisset : quasi tua merita essent tui solius operantis industriæ, non ipsius cooperantis gratiæ. Eo denique modo, qualiacunque officia tua compensat: velut post acceptas à te multas iniurias, plura ei beneficia contulisses? Potuissetnè Christus plura vel facere, vel pati pro sua ipsius salute, quàm pro tua? Plura tamen amore tui facere, & pati non modò paratus, sed promptus fuisset. Audi, quid ipse olim dixerit D. Brigittæ: *Dilectio*, inquit, *mea erga hominem, modò æquè grandis, atque incom-*

l.7. Reuelat. c.19.

Decemb. *incomprehensibilis est; sicut erat tempore Passionis meæ, quando per mortem meam ex nimia charitate liberaui omnes electos meos. Et si fieri posset; ut toties morerer, quot sunt animæ in inferno: ego promptissimâ voluntate, & perfectissimâ charitate corpus meum traderem, eandemq; Passionem, & mortem, pro qualibet anima sustinerem, quam sustinui pro omnibus.*

III. Vis plura de amore Iesu in te? Audi, & stupe. Christus animam vnam suâ dotatam gratiâ, impensiùs diligit, quàm sanctissimam Trinitatem omnes simul cælites. Tanto in Deum amore accensa fuit aliquando Catharina Senensis; ut aliquando præ eius vehementia, & violentia, animam exhalarit; & ad quatuor horas exanimis iacuerit. Si talis est amor vnius hominis in Deum hîc in exilio; qualis est amor sanctorum simul omnium, & quidem Deum in gloria facie ad faciem videntium? Pluris tamen incomparabiliter Christus amat vnam vnius hominis animam. Ipse profectò si Homo factus; tam benè affectum corpus, & à morbis omnibus immune non habuisset; animæque sentientis cupiditatibus habenas laxasset affectuum, ex voluntatis ardore erumpentium; copia, amorisque in animo flagrantis vis ingens, vitam ei etiam Infanti in præsepio iacenti eripuisset, perpetuò quodam miraculo supra triginta annos propagatam. Quid igitur, pro immenso in te amore iam superest; quàm, ut totum, omnibus & corporis, & animæ viribus te ei consecres? Quid dicam tibi? ô Iesu! quàm, ut dici à me voluisti, & docuisti? fiat voluntas tua? quod tibi placet, approbo; sententiæ tuæ concordo; quod negas, dimitto; quod das, accipio; quod infligis, fero. Ad omnem voluntatem tuam cereus occurro. Hæc in corde meo regnet, mea in exilium agatur. Omnia non meo rogatu; sed tuo nutu eant; tui arbitrij sponte, ac libens cuncta facio. Vitam mihi, ut voles, profer, vel contrahe; morbos pelle, vel ingere; opes cumula, vel accide; negotiis meis successum promoue, vel euerte; Amores, erga me hominum excita, vel odia permitte; sapientiam, famam, eruditionem, facundiam adde, vel deme. Nihil iam horum precor, vel deprecor; fiat, quodcunque voles. Amorem tui solùm, cum gratia tua mihi dones, & dives sum satis: nec aliud quidquam vltrà posco.

Vnum, Christe, peto; misero me surripe leto.

Digitized by Google

29. DIES DECEMB.

Cùm nascitur Christus; oritur origo rerum.

Decemb.

S. Chrysologus serm. 148.

I. CHristus, qui, ut Deus in sinu Patris in principio erat Verbũ; qui, & in tempore, in principio creavit cælum, & terram, est rerum omnium origo, à qua vna omnia oriuntur. O vtinam! sicut ipse est origo omnium rerum; ita sit & origo omnium nostrarum actionum! Imò, sicut ipse est non modò Alpha, hoc est principium; sed & Omega, id est finis: sic & idem sit omnium nostrorum, & à quo ordiamur, principium, & propter quem agimus, finis operum. Et ad quem potius referemus omnia, quàm ad Iesum? in quo, ex quo, & per quem sunt omnia; cùm, quæ singula, Amorem excitant; in eo copulata sint vniuersa. In illo est cælorum puritas, siderum harmonia, solis nitor, imbrium fæcunditas, florum pulchritudo, silvarum amænitas, camporum vbertas, picturarum elegantiá, musicæ dulcedo, gemmarum virtus, palatiorum splendor, vrbium majestas, templorum magnificentia, munitionum robur, exercituum potentia, epularum oblectatio, ludorum iucunditas, amicitiarum voluptas, fontium claritas, riparum viror, auri pretium, purpuræ decus; verbo, meritum, dignitas, amabilitas rerum omnium. Quæcunque in cælo, vel terra sparsa sunt, collecta tenet; & ita tenet, non quo modò in illis affulgent, sed præstantiâ infinitis gradibus altiori; adeò, ut laudes eius attollere, per comparationem cum perfectionibus rerum conditarum; si res ipsa, non affectus ponderatur, sit ironia, & eius irrisio, non laudatio æstimanda. Christi perfectiones.

II. Sicuti, si quis de Sampsone diceret, illum formicâ robustiorem esse; aut de Davide, illum lepori, magnitudine animi præstare: nónne illum contumeliâ eos afficere, & irridere putaretur? At Christus multò magis supra perfectionem omnium creaturarum eminet; quàm supra formicam, Sampsonis robur, & supra leporem, Davidis alacritas. Amabilis est Iesus, ob res ab eo conditas, & ob gratias nobis exhibitas; sed longè amabilior, ob gratias quas in se habet. Accepta sunt mihi tua, ô Iesu! beneficia; sed acceptior est mihi Bonitas tua. Pulcher es in omnibus operibus tuis; sed pulchrior in Natura tua. Cara mihi sunt munera tua: sed carior est dextera, quâ munera porrigis. Amo igitur Te, Iesu, amor meus! quia bonis tuis me cumulas: sed etiam, si his retractis, omnibus malis me subiiceres,

30. DIES DECEMB.

Tempus non erit amplius. *Apoc.* 10.6. Decemb.

I. VBi in novissima hora exierit è corpore spiritus; mox tibi dicetur: *Tempus non erit amplius.* Ut ergò, in hac vita, quæ est Phase, id est transitus, sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna; imò, ut novissima hora, cum Christo transeamus *ex hoc mundo ad Patrem*, suggero hoc penultimo anni die quædam documenta. Quot annis ad sex vel octo dies abde te in solitudinem; & ut Christus, dic ad illam *animi turbam tumultuantem: Recedite.* Sequere consilium Ambrosij: *Intra in recessum pectoris tui, totus ingredere.* Edic ad aliquot dies quoddam curarum, ac fremētium negotiorum, quasi iustitium. Via ad vitam, ut nulla certior; ita nec vlla compendiosior. O quæ in ista arcana solitudine, ignota hactenus intelliges, inaudita percipies, inusitata facies! Verbo perstringam omnia. Illic labore minimo, fructu maximo, *mutaberis in virum alterum.* Et tibi idem, quod Christo eueniet: *Recessit ab eis, & ferebatur in cælum.* Sic, vbi recesseris ab anxiis curis, à popularitumultu, à ciuili strepitu; mox toto animo fereris à terra, ad cælum, à vanitate, ad veritatem, à vitiis, ad virtutes; ab hominibus, ad Deum; à tempore, ad æternitatem. Facilè declinabis à malo, & inclinabis ad bonum, si cum Christo declines à turba. Ab anno dilabere ad menses. Ut quovis anno aliquot dies; ita singulis mensibus selige diem vnum, quo feriaris à negotiis. Et ne cogaris dicere cum Iob: *Ego habui menses vacuos*; die vno, quot mensibus, tibi, Deoque vaca. Hic sæpius à te ipso quære: quod à Caino Deus: *Quid fecisti?* Quid hoc mense, quod non decebat, fecisti mali? quid, quod oportebat, fecisti boni? quàm multa fecisti, quibus Deum offendisti, mala; quibus tempus prodegisti, vana? Alia, ut sis alius, quàm feceris, facere propone: ac illo mense, omnia sic agas; ut optabis te egisse, cùm animam ages.

Temporis vtilis vsura. *Exod.* 12. *Ioan.* 13. *Mat.* 9.4. *l.* 6. *de Sacram. c.* 2. *1. Reg.* 10.6. *Luc.* 24. 51. *Iob* 7.3. *Gen.* 4.

II. Ut quot mensibus diem, sic quot hebdomadibus horam, negotiis subtrahe, & tibi, ac tuæ saluti impende. Die ergò septimâ, quæ est hebdomadis vltima; *Intra cubiculum tuum, & clauso ostio*, hîc rursus interroga, ut prius; *Quid fecisti?* Et ut villicus ille in Euangelio: *Quid faciam?* Respice septem dies prætcritos, prospice futuros: ex illis, quid fecisti? In his, quid facies? Pudeat meminisse illius, quod de Iacob dicitur: *Seruiuit Iacob pro Rachel septem annis*: & tu pro Deo, nec septem diebus. Quid faciam? Tot saltem

Mat. 6 6. *Gen.* 29. 20.

Decemb. tem consecra dies Deo, pro tua salute, quot Iacob Labano annos pro sua Rachele. Dicebat ille: *Seruiam tibi, pro Rachele septem annis.* Quid tu? Seruiã Tibi, ô Deus, pro anima mea septem diebus! ô vetè sacrum leptenarium! si per septem dies, totum te impendas in Dei obsequium. Ergò, ne inter omnia tua opera, perdas operam, per horam die septimo requiesce ab omni opere. Fac iam gradum ab Hebdomade, ad diem; ut quælibet dies, sit tibi dies salutis: orto iam die, impende horæ dimidium saluti. Hæc Christi ad Ieroſolymam querimonia, sit tibi quotidiana meditandi materia: *Quia si cognouisses & tu, & quidem hac die tuâ, quæ tibi ad pacem.* O! si cognoscetes, quæ tibi euenient super omnem fidem, incredibilia; super omnem timorem, horribilia: super omnem stuporem, admirabilia, *in articulo illius diei*; quando recoles pauidâ mente, & repetes querulâ voce illa verba Iob: *Dies mei transierunt.* Quid hoc die non ageres? ô quantæ, hâc die tibi adest felicitatis occasio! vide, ne desis occasioni? Hæc est dies tua: *Ergò, salua animam tuam?* Hæc est dies tua: *Ergo, miserere animæ tuæ?* Hęc est dies tua: Ergo, sic cõponas tè, & disponas tua: ut quodlibet verbum, cogitatio, opus, sit semen æternæ felicitatis, sit fructus felicis æternitatis. Denique quæuis dies, erit tibi dies salutis; si quâuis die credas te obiturum diem.

Luc. 9. 42. Gen. 7. 13. Iob. 7. 11. Gen. 19. 17. Eccl. 30. 24.

III. Post diem, sequitur hora. Cuiuslibet horæ exordio, insonet auribus tuis vox illa Paulina: *Hora est, iam nos de somno surgere.* Quia vnâ horâ es morti vicinior, & æternitati propinquior: quia fors hæc, *noviſſima hora est.* Quia fors hâc horâ, audies illud ferale: *Redde rationem villicationis tuæ.* Quia fors hâc horâ, *anima tua ibit in domum æternitatis.* Hâc horâ: *quia periclitamur omni horâ* Surge ergò, qui dormis, & exurge toto animo, & sonante horæ præludio, dic cum Iudithâ: *Confirma me, Domine Deus, & respice in hac hora, ad opera manuum mearum.* Hâc horâ quidquid agam, quidquid patiar, propter te omnia, contra te nihil Sit tibi quæuis hora, ut prima, & nouissima, & eris primus, qui virtute es noviſſimus. Post omnia vitæ tẽpora, supereſt quod est in tempore minimum, Momentum. Non tamen, hoc parui facias: quia, quod in tempore minimum est spatio, maximum est pretio. Et ideò nullum est in vita momentum, quod non sit maximi momenti. Nullum sit momentum, quo non aspires ad Deum; quia nullum est momentum, quo non præseruaris à Deo. Quod vis temporis momentum, gradus est ad sepulchrum:

Rom. 13. 11. Ioan. 2. 18. Luc. 16. 2. Eccle. 12. 5. 1. Cor. 15. 30.

Quodvis momentum, est nobis gradus ad monumentum.

Digitized by Google

31. DIES DECEMB.

Transierunt. *Sapient.* 5.

IAm propè anni exeuntis premimus metam: vtinam, sine anni malè exacti luctu, & meru! Et quia tacitis, uti annis senescimus: ita, & passibus, ad sepulchrum tendimus. Ante huius anni occasum, & pro ineuntis exordio, suggero, quod in curriculo nostro expendamus argumentum. Hoc porrò argumentum, non est verbosior aliqua vel Tullij Oratio, vel Aristotelis ratiocinatio, vel Quintiliani declamatio; totum, vnius verbi circumscribitur angustiis. Est vox vna familiaris omnibus alterius mundi incolis: tam illis, qui gloriantur in cælo; quàm aliis, qui cruciantur in orco. Est vox, quæ non multa, sed multum complectitur. Est vox, quæ diligenter expensa, cogeret hominem vno momento despicere mundum, & omnia quæ sunt mundi; suspicere Deum, & omnia quæ sunt Dei. Est vox, quæ iustos in hoc mundo erigit ad summam spem, excitat ad solidam lætitiam, animat ad inconcussam in omnibus adversis constantiam; sed quæ impios percellit summo timore, incutit maximum horrorem, infert extremum dolorem. Sed quænam tandem est illa vox tanti ut moueat, roboris; ut percellat, ponderis, ut exhilaret, virtutis? Expressa est illa vox inter effata Sapientis; & est illa modò fructuosa nobis morituris, prolatu iucunda, benè; funesta malè morientibus, memoratu familiaris omnibus iam mortuis. Quæ tandem illa? Trāsierunt. O quàm paucis, quàm multa! Non est nisi vnicum verbum; plus tamen habet virtutis ad mouendum, quàm omnes omnium Rethorum Orationes verbosissimæ. Sed parùm conducet illud verbum, Transierunt; si quasi per transennam prætereuntes strictim tantùm aspiciamus: necesse est totâ mentis contentione per otium, tanquàm summi momenti negotium, expendere.

Vanitas omnium rerum.

II. Respice mundi nascentis incunabula; quando in principio creauit Deus cælum, & terram, & recense omnia, vsque ad hoc nostrum, quo degimus, sæcula; reperies mundum iam persistisse ferè ad sex millia annorum: iam verò à tempore Adami, vsque ad hunc ipsum annum; quot in hoc mundo homines, velut in theatro histriones agentes fabulam suam, momento vno apparuerunt, momento altero euanuerunt; atque ita in ictu oculi, Transierunt. Ab illis porrò hominibus, quàm multa scripta, dicta, facta, cogitata? Tot fuerunt habitæ in rostris Orationes, tot decantata carmina,

Decemb. mina,tot elucubrata librorum volumina,tot erecta theatra, tam splendida excitata palatia,tam rara exhibita spectacula, tam sumptuosa instructa conuiuia,tam quæstuosa institura tripudia , tot inita prælia, tot relatæ victoriæ,tot acti triumphi,tot celebratæ nuptiæ?Hæc omnia,vsque in hanc horam,vbi iam?Transierunt.Vbi iam tua infantia?vbi pueritia ? vbi adolescentia?vbi iuuentus?vbi omnia,ad hoc vsque momentum acta,& cogitata?Transierunt. O quanto cum gaudio Beati in cælo!quanto cum luctu, ad perennes pœnas damnati in tartaro pronuntiant illud verbum, Transierunt! Age Petre,vbi tua quæ passus es in cruce tormenta? vbi nunc Stephane,tui lapides?tua Laurenti,craticula?tuæ Sebastiane,sagittæ? vbi pœnæ vestræ,ô Christi Pugiles!vbi vestra,ô Anachoretæ,suspiria,lachrymæ, ieiunia,vigiliæ,labores,sudores?vbi denique omnia, quæ pro Regno cælorum pertulistis mala? Transierunt.

III. Et tuæ,ô Heliogabile,deliciæ,ubi nunc?vbi tuæ Sardanapale,voluptates?tua,ô Auguste,potentia:tua,ô Cæsar,trophæa? Denique, vbi vestra,ô miseri,gaudia,honor,gloria,fama,regna,& quæ ex illis hausistis oblectamenta?Transierunt.Hoc est inauspicatissimum illud verbum ; quod per totam,quæ nunquam transibit,æternitatem,horrifico cum vlulatu,ex tenebricoso illo vaporario, illi Tartari municipes,iugiter vociferando ingeminabunt;memores omnium, quæ instar vmbræ, euanuerunt, bonorum, & confixi aculeis præsentium,quæ patiuntur,malorum: *Transierunt*
Sap.5. *omnia illa,tanquam vmbra.* Quæ illa? Illa , illa, pro quibus expensæ pecuniæ; impensæ, omnes animi & corporis vires. effusus sudor , profusus cruor, emissæ lachrymæ,exantlati labores,adhibiti conatus, exacti tot dies,& noctes,& anni.*Transierunt omnia illa*,propter quæ excidimus salute;& amisimus illum,in quo sunt bona omnia. His, sortem suam nunquam satis deplorandam,deplorant næniis, qui hîc circumfluxerunt deliciis. Nunc ergò,si sapis;per omnia,quæ sub lunâ voluuntur,mentis aciem studiosè circumfer. Respice præterita,Transierunt:circumspice præsentia,Transeũt; prospice futura,Transibunt. Quid indè argues,quàm omnia esse Transitoria?De solo Deo, & quæ Deus ab æterno decreuit in æternum , iustorum præmiis; & reproborum suppliciis, nunquam dicetur ; Transierunt. Vnum iam relinquitur;ut relictis illis,quæ te brevi relinquent, sectaris æ-
Sap.2.5. terna;ne,si perituris inhæreas,cum illis pariter & pereas. *Vmbræ transitus, est tempus nostrum.* Sed à quo,ad quid est transitus? Ab vtero ad tumulum;à cunabulis ad sarcophagum ; à fasciis infantilibus ad sindonem sepulchralem;à vita ad mortem;à momento ad æternitatem.Esse tempus nostrum, vmbræ transitum,experti sunt Maiores nostri;experientur omnes Posteri,&

Digitized by Google

ri, & nos cum illis: quia de illis aliquando, de nobis brevi, denique de omnibus semel, seriùs, ocyùs dicetur, *Transierunt:*

Scatet vita malis: volat & pernicibus alis.

FINIS VENIT,

Venit Finis.

Ezec. 7. 2.

POst omnes vitæ annos, menses, hebdomades, dies, horas, momenta, sequitur omnium Finis. Finis coronat opus; quia à fine dependet salus: Quia, *qui perseuerauerit vsque in finem; hic saluus erit.* Finis vitæ, erit tibi principium pœnæ: nisi iam tua omnia dirigas ad eum, qui est *Principium, & Finis.* Ne in fine corrumpas, hæc duo sæpè cogita: Finis hominis, est peruenire ad regnum, cuius nullus est finis. Et illud: Inter omnia, quæ per anni tempus omne agitas, & quibus exagitaris negotia; Negotiorum omnium maximum est negotium, animæ cum Deo otium. In hoc operoso, & negotioso otio, per anni, mensis, hebdomadis, diei, horæ, momenti spatia diligenter negotiare; & cogita, post omnia tandem omnibus, *solùm supereſt sepulchrum.* Quot iam in terra censentur capita; tot brevi sub terra iacebunt funera. Quia cui contigit nasci; eidem necesse est & mori. Tunc de omnibus hominibus, & illorum vanis operibus, & operum deliciis, & deliciarum vsurâ, dicetur illud mœstum hesternæ tesseræ croama: *Transierunt.*

Postquàm exactum est totius vitæ spatium; nihil supereſt, quàm hominis iam mortui Epitaphium:

STA VIATOR?

Antequàm iaceas cadaver.
Nunquam opportunius fui locutus, quàm è loculo;
Nec vtilius monui,
Quàm è monumento.
Crede mihi iam vmbræ;omnia bona, præter
Summum Bonum,
Vmbra sunt.
Tum primùm cognovi;quod omne, quod in mundo est mundi,
Non fit nisi fumus,dum Iacui funus.
Sum,quod eris;fui,quod es.
Si sapis,hîc viue Deo;morere mundo.
Heu vita continenter currit ad Mortem etiam invita.
Ad mortem autem?
Imò verò ad Æternitatem.
Ah!quàm vellem plus virtuti,minus permisissem me Vanitati.
Nunc mihi istud non nisi optare,
Tibi etiam præstare licet.

Feli-

Digitized by Google

Felicissimè Æternitatis portum ingredi potes plenis velis, si ita velis.

Vt non impingas in scopulum ; respice scopum.

Abi modò

Et quod ego Tibi æternùm vt gaudeas; Tu mihi reciprocâ prece

Seriò adprecare.

AVCTORES.

EX QVIBVS

DESVMPTÆ SVNT

TESSERÆ.

PROFANI.

ANtoninus Imperator.
Aristoteles.
Cato Maior.
Cicero.
Liuius.
Musonius.
Plutarchus.
Quintilianus.
Seneca.
Sextus Pythagoricus.
Theodoricus.
Valerius Maximus.
Xenophon.

Sacri.

Albertus.
Ambrosius.
Anselmus.
Antonius.
Augustinus.
Bernardus.
Boetius.
Cæsarius Arelatensis.
Cassianus.
Chrysologus.

Sacri.

Digitized by Google

Sacri.

Chryſoſtomus.
Cyprianus.
Cyrillus Hieroſolymit.
Dionyſius.
Dorotheus.
Eucherius.
Euſebius Emiſſen.
Euſebius Gallican.
Ezechiel.
S. Franciſcus.
Fulgentius.
Gaudentius.
Gerardus.
Gerſon.
Gregorius Magnus.
Gregorius Thaumar.
Guigo.
Hieronymus.
Hilarius.
Hugo Victorin.
Iacobonus.
Ildephonſus.
S. Ignatius Confeſ.
Innocentius.
S. Ioannes Euang.
Iſaias.
Iſidorus.
Lactantius.
Laurentius Iuſtin.
Leo.
S. Lucas.

Sacri.

Martinus Epiſc. Dunen.
Minutius Felix.
Nicetas.
Oleaſter.
Paulinus.
S. Paulus.
Petrarcha.
Petrus Damianus.
Poſsidius.

Digitized by Google

Philo Iudæus.
Proclus.
Prosper.
Richardus Victorin.
Romvaldus.
Salvianus.
Sidonius.
Stephanus Papa.
Tertullianus.
Theophilus Alexand.
Thomas A Kempis.
Valerianus.
S.Xaverius.
Zeno.

IN-

Digitized by Google

INDEX RERVM.

P. DESIGNAT

Partem f. folium.

A.

Abstinentia. pagin. 3. fol. 24.
Acedia. 2.f.24.
Adoratio. 2.f.198.
Adulatio. 1.f.204.
Aduersitas. 1.f.113.
Æquanimitas. 3.f.12.
Æternitas. 2.f.52.
Affabilitas. 2.f.186.
Amantis Deum, felicitas. 3.f.108.
Amanti maximus est dolor, tam rarus Dei Amor. 3.f.110.
Amicitia. 2.f.155.
Amor sui. 2.f.7.
Amor carnis, est odium mentis. 2. fol. 91.
Amoris indoles. 3.f.106.
Anima, prima sit cura. 1.fol.86.89. 91.
Angelus custos colendus. 3.f.58.
Astutia. 1.f.168.
Auaritia. 2.f.3.
Auditus cautè seruandus. 2.f.67.
S. Augustini laus. 2.f.222.

B.

Bethleemitici stabuli dignitas. 3.f. 231. Iter in Bethleem. 3.f. 225.
Beneficia Dei in nos. 1.f.31. 2.f. 184. Exigunt nostra obsequia. 3.f. 103.
Beneficentia. 2.f.163.
Beneuolentia. 2.f.161.
Boni natura inuestigatur. 1.f.143. 2.f.110.
Bonum, solus Deus. 1.f.153.
Bona temporalia spernenda. 1.f.121. 2.f.85. Sunt caduca. 1.f.139. Sunt peritura. 1.f.147. Sunt vana. 1.f.149. Sunt Dei vestigia. 1.f.145. Supra solem sunt quærenda vera bona. 1.f.149.
Bonum solum est, quod est incommutabile. 1.f.151.

C.

Cælum, primò querendum. 1. fol.7.
Calumnia. 1.f.183.
Castitas. 3.f.27.
Cautio. 2.f.149.
Charitas in omnes. 3.f. 47. 2. fol. 159.
Christi Incarnatio. 1.f.141.
Christi pulchritudo. 3.f.195. In nos beneficia. 3.f. 199. Est Deus, & homo. 3 f.195. & f.201. Eius merita sunt infinita. 3. f.203. Est frater noster. p.3.f.197. Est nobis exemplar. 3.f.205. Est imitandus. 3.f.207. Peccati est maximus osor. 3.f.209. Est via. 3.f.211. Veritas. 3.f.213. Vita. 3.f.215. Est lux mundi. 3 f.217. Suspiria ad eius Aduentum. 3. f. 221. Est Medicus. 3.f.223. Eius Natiuitas, est omnium felicitas. 3.f.226. Varia eius Natiuitatis mysteria. 3 f.228. Eius in nos amor. 3.f. 233. Eius perfectiones. 3.f.235.
Circumspectio. 2.f.147.
Cognitio sui. 3.f.61.
Cogitationes dirigendæ. 3.f.71.
Concupiscentia. 2.f.55.
Confessio. 2.f.226.
Conscientiæ malæ tormenta. 2. fol. 29.
Consortium malum fugiendum. 2.f. 74.
Constantia. 3.f.16.
Consuetudo mala. 2.f.76.
Consultatio. 2.f.134.
Contemptus aliorum non nocet. 1.f. 110.
Contumelia. 1.f.188.
Conuersio maturanda. 1.f.42. 2.f. 50.
Ad eam stimuli. 1 f.43.45.
Conuitium. 1.f.186.
Corpori non nimis indulgendum. 2.f. 11.
Correctio fraterna adhibenda. 2.f. 157.
Creatio hominis. 1.f. 29.
Crucis amor. 2.f.4.
Cupiditas, est animi tempestas. 2.f. 57.
Curiositas circa aliena. 2.f.14.
Curiositas in vanis scientiis. 2. fol. 16.

D.

Defectus est in omnibus. 2. fol. 42. Etiam minimus non negligendus. 2.f.44.
Defunctis succurrendum. 3.f.120.
Desiderium. 3.f.87.
Detractio. 1.f.185.
Deuotio. 2.f.202.
Deo viuendum. 1.f.36. Solus satiat. 3.f.89. 3.f.187.
Dei præsentia. 3.f.93. Cum eo familiaritas. 3.f.128. Et commercium. 3. f. 112. Est mirabilis in animalculis. 3.f.105.

Sub

Sub eo ſeruitus, eſt ſuper omnia dominatus. 3.f.134. *Vt eum æſtimes, alia præ eo nihil exiſtimes.* 3.f.139. *Eſt ſtudioſè quærendus.* 3.f.142. *Amandus, quia Deus.* 3.f.144. *Eſt omne bonum.* 3.f.146. *Sit mane omnium operum ſcopus.* 1.f.96. *Eſt fons omnis delectationis.* 3.f.148. *Eius Benignitas.* 3.f.150. *Eius Bonitas.* 3.f.152. *Pulchritudo.* 3.f.154. *Solus amandus.* 3.f.156. *Eſt omnia.* 3.f.63. & 162. *Ei inhærendum.* 3.f.164. *Dei ſe voluntati conformantis felicitas.* 3.f.168. *Eſt admirabilis.* 3.f.170. *Eius Maieſtas.* 3.f.112. *Laborandum, ut ei placeamus.* 3.f.174. *Eius gloria in omnibus quærenda.* 3.f.183. *Eſt incomprehenſibilis.* 3.f.186. *Amandus, quia noſter eſt Deus.* 3.f.187. *Solus bonus, & ſummum bonum.* 3.f.189. *Ad eum amandum infinitæ ſunt obligationes.* 3.f191.

Diffidentia ſui. 3.f.9.

Diligentia. 1.89.

Director eligendus in viâ perfectionis. 1.f.8.

Divitiæ non ſunt bonum. 1. fol. 123.

Docibilitas. 2.f.140.

S.Dominicus, Sol Eccleſiæ. 2.fol. 174.

Domus magnificentia vana. 1.fol. 137.

E.

Eleemoſyna danda. 2.f.178.

Errores ex errore. 2.f.78.

Euchariſtia. 2.f.224.

Exercitia ſpiritualia. 22. fol. 24. 26.

Exempla aliorum aſpicienda. 3. fol. 54.

Expectatio malorum. 3.f.75.

F.

Fama vanitas. 1.f.132.

Fidelitas. 2.f.190.

Fides. 3.f.43.

Fiducia in Deum. 3.f.7.

Finis hominis. 1.f. 33. *Ad eum media.* 1.f.34.

Flori campi ſimilis debet eſſe homo. 1.f. 155.

Fortitudo. 3.f.5.

Fortuna non nocet. 1.f.108.

Eius inconſtantia. 2. fol. 98.

S.Franciſci ardor in Deum. 3.fol. 63.

G.

Gloria, non est verum bonum. 1.f. 128.
Gratia dat posse, & velle. 1.f. 10. 11. 13. Sine eâ nihil possumus. 2 f. 115. Eius dignitas. 2 f. 116. Dignior est dono faciendi miracula 2. fol. 18. Est lux animæ 2.f 122. Timendum cum ea & sine ea. 2.f. 120. Ducit ad virtutem. 2.f. 123.
Gratitudo ergo homines. 2.f. 180. Erga Deum. 2.f. 182.
Gula. 2.f. 21.
Gustus. 2.f. 71.

H.

Historias legere, perutile. 3. fol. 81.
Hominis fragilitas. 2. fol. 35.
Homo in mundo, ut flos in horto. 1.f. 60. Miseria hominis nascentis. 2. f. 101. Viuentis. 2.f. 104 Morientis. 2 f 106. Quidquid vult, hoc est. 2 f. 113.
Honor, est vanus. 1.f. 127.
Humanitas. 3.f. 31.
Humilitas. 3.f. 39.

I.

S. Ignatij Confess. laus. 2. fol. 163.
Ignorantia. 1.f. 172. 2 f. 38.
Imaginatio. 3.f. 69.
Immisericordia. 1.f. 198.
Impietas in Deum. 2.f. 6.
Inconsideratio. 1.f. 162.
Inconstantia. 1.f. 164.
Infernus. 1 f. 7. Illic Tenebræ. 1.f. 72. Fætor. 1.f. 74. Fletus. 1.f. 75. Fames. 1. f. 77. vermis. 1.f. 99. Ignis. 1.f 81. Desperatio. 1.f. 82. Æternitas pœnarum. 1.f. 84.
Ingratitudo in homines. 1.f 200. In Deum. 1.f. 202.
Iniuria, non est malum. 1.f. 175.
Iniuriæ remittendæ inimicis. 2.f. 89. & 170.
Iniustitia. 1.f. 114.
Inimicitia. 1.f. 192.
Intellectus reformatio. 3.f. 67.
Intelligentia. 2.f. 138.
Inuidia. 1.f. 111. 2.f. 100. 1. 196.
Iracundia, non nocet.
Ira. 2.f. 22.
Iudicium particulare. 1.f. 67.
Iudicium temerarium. 1.f. 181.
Iustitia. 2.f. 153.

Digitized by Google

L.

Laus est vana. 1.f.130.
Lectio piorum librorum perutilis. 3.f.71.
Liberalitas. 2.f.192.
Libertas hominis. 3.f.179.2.fol. 113.
Lingua frenanda. 2 f.79.
Luxuria. 2.f.19.

M.

Magnanimitas. 3.f.11.
Mala fugienda. 1.f.101. *Quid propriè malum.* 1. f.103. *A malo primò recedendum.* 1. fol. 157.
Mansuetudo. 3.f.37.
Marialaus. 1.f.53. *Nihil post Deum eâ maius.* 2.f. 111. *Eius ad cælum Assumptio.* 2.f.196. *Præsentatio in Templo.* 3.fol.158. *Eius conceptio.* 3.f.193.
Meditatio, quanti momenti. 1.27.3.f. 132.
Memoria, 3.f.77. *Eius laus* .2.f. 136.
Mendacium. 1.f.206.
Misericordia. 2.f.176.
Miseria nulla nocet. 1.116.
Modestia. 3.f.35.
Modus in omnibus seruandus. 2.fol. 151.
Morbus, non est malum. 1. fol. 115.
Mors est echo vitæ. 1. fol. 62. 64.
Mors. 1.f. 59. *Non est malum.* 1.55.56. 118.
Mortis comes, pœna vel gloria. 1.fol. 69.
Mortificatio. 3 f.124.
Mundi miseriæ. 1.19.
Mundi bona, non sunt bona. Eius perfidia. 2. fol. 94. *Peruersitas.* 3.97.
Mundi odium, est Diuini Amoris tyrocinium. 3.99.
Mundi miseriæ sunt Divini Amoris illecebræ. 3.101.
Musica non tantùm est vocum, sed morum. 3.160.

N.

Natura paucis est contenta. 1.f. 106.
Nobilitas, non est bonum. 1. fol. 134.
Negligentia. 1.166.
Sancti Norbertij laus. 2. fol. 64.

O.

OBedientia. 3.f.3.
Occasio peccati fugienda. 2. fol. 87.
Oculorum curiositas.
Oculi cautè seruandi. 2. fol. 65.
Odium proximi. 1.190.
Odoratus. 2.69.
Opera Deus requirit, non verba. 3.fol. 137.
Opinio. 1.179.
Oratio. 3.f.130. In ea attentio. Et reuerentia. 2 fol. 200. & 206. 208.
Ordtiones iaculatoria. 2. fol. 204.
Ordo in omnibus seruandus. 1. fol. 5.
Otium. 1.87.2.26.

P.

PAssiones animi frenanda. 2.f. 60.
Patientia. 3.14.
Paupertas, non est malum. 1.fol. 105.
Pax animi. 2.f.172.
Peccati comes, pœna. 3 fol.114.
In peccatis cognoscendis sumus cæci. Eius turpitudo. 2.f.47.
Grauitas. 1 fol. 38.
Damna, quæ infert. 1.40.2.28.
Est conscientiæ pœna. 2.29
Est mors animæ. 2.33.
Deum demittit, & Diabolum admittit. 2.31.
Est solum malum. 1.120.
Peccati venialis grauitas. 1.fol. 48.
Plus nocet omnibus morbis. 2. fol. 45.
Peccatoris miseria. 2.49.
Perfectio. 3.59.
Perfidia. 1.208.
Perseuerantia. 3.18.
Pietas. 3.1.
Pigritia. 1.92.
Præcipitatio. 1.160.
Præmeditatio malorum. 3. fol. 73.
Principium operis, summi est ponderis. 1.4.
Prodigalitas. 1. 209.
Prouidentia humana. 2. fol. 145.
Prudentia carnis, qua. 1.fol. 168.
Prudentia, est prima inter Virtutes Cardinales. 2.131.
Prudentia, quid sit. 2. fol. 132.
Pulchritudo, non est bonum. 1. fol. 125.

R.

RAtio. 2.143.
Religio, prout eſt virtus Moralis. 2.194.
Renouatio ſpiritus. 3.65.
Reſpectus humani ſpernendi. 2. 83.

S.

SAcerdotes honorandi. 2. fol. 220.
Sacrificium Miſſæ eſt propitiatorium. 2. 212. Eſt Latreuticum. 2.214. Eſt Euchariſticum. 2.216. Eſt Impetratorium. 3.218.
Salutis conſequendæ varia documenta. 3.95.
Sanctorum ſolennitas eſt ſtimulus ad ſanctitatem. 3.118.
Scientia ſanctorum, qualia doceat. 3. 112.
Senſualitas, quàm noxia. 2.9.
Senſus, ſunt ianuæ mortis. 2. 62.
Simplicitas. 2.188.
Simulatio. 1.194.
Sobrietas. 3.26.
Solertia. 2.141.
Solicitudo nimia circa temporalia. 1. 176.
Solitudinis laus. 1.16. Commendatio. 1.17.21.22.24.
Somnolentia. 1.94.
Spes. 3.45.
Studioſitas. 3.22.
Superbia. 2.18.
Suſpicio. 1.177.

T.

TActus, quàm periculoſus. 2. 72.
Temperantia. 3.20.
Templis debetur reuerentia. 2. 210.
Temporis breuitas. 1.97. Eſt ſemen Æternitatis. 1.100. Bene ordiendum. 1.52. Cum fenore vtendum. 1.50. Ordinandum. 2.1. Eius ratio exacta Deo reddenda. 1.107. Non differendum bene vti. 3.56. Quia celerrimè effluit. 2.228. Eius volubilitas. 3.116. Eius pretium cognoſcitur ex æternitate. 3.176. Eius vtilis vſura. 2.52. 3. 273 2. 168.
S. Thomæ Apoſtoli laus. 3. fol. 219.
Timor Dei. 1.47.
Timendum ſemper, & in gratiâ, & ſine eâ. 2.120.

V.

VAnitas omnium rerum. 2. 93. 3. 239.
Verecundia. 3. 29.
Veſtium luxus. L. 138. 2. 13.
Vigilantia. 3. 41.
Vita ſpernenda. 2. 96.
Vitiis addictorum ſeruitus. 1. 159.
A vitiis receſſus, eſt acceſſus ad virtutes. 2. 40.
Virtus Vitio eſt facilior acquiſitu. 2. 125.
Sui eſt pretium, & præmium. 2. 127.
In eâ ſemper proficiendum. 2. 129.
Eius pulchritudo. 3. 48.
Eſt deſideranda 3. 50.
Labore acquiritur. 3 52.
Vnum eſſe oportet. 3. 91.
Voluntatis reformatio. 3. 83.
Voluntatis propriæ abnegatio. 3. 85.
Eius mala. 2. 81.
Voluntas Dei, fons omnis boni; hominis contra, omnis mali. 3. 166.
Voluptas eſt mala. L. 125. 2. 58.
Vrbanitas, ſiue Eutropolia. 2. 33.
Vſus rectus omnium rerum. 3. 136.

X.

S. XAuerij laus. 3. 181.

FINIS.

*parte 3. fol. 122

Digitized by Google

Digitized by Google

8-1

Digitized by Google